
DE
S. TRINITATE
LIBRI TRES CONTRA HVIVS ÆVI TRINITARIOS,
Antitrinitarios, & Autotheanos.

G. Genebrardo Theologo Paris. auctore.


His præposita est summa sessionum Synodi, quam triennio superiore Ministri Poloni cum Trinitariis Petricouiæ habuerunt, ex alicuius amici Poloni Epistola.

Tertio libro Symbolum S. Athanasii exponitur, & à contumeliis Valentini Gentilis vindicatur.

Ad D. Carolum Lotharingum Cardinalem & Principem.



PARISIIS, M. D. LXIX.
Apud Ioannem Bene-natum.
CVM PRIVILEGIO REGIS.



D. CAROLO LOTHARINGO CARDINALI ET PRINCIPI Maximo G. Genebrardus Theologus Parisiensis.



Vm in multis aliis rebus, Cardinalis & Princeps illustrissime, tum in præsenti negotio haud dubiè nimis verum cernimus, quod alicubi secundum Aristotelem Clemens & Theodoritus scriptum reliquérunt, veri vnicam & simplicem esse viam, falsi autem multiplicem. Vbi enim semel fuit à Catholica de S. Trinitate sententia discessum, vt taceam vetera veterum hæreticorum commenta, recentiores de ea vltrò citróque implácabili animorum contentione rixantes, nostro æuo in tres præcipuè familias se dissecuerunt. Alij dum intueri nequeunt, quî cum vnitate essentiæ personarum ternio possit cohærere, in ca-

Clem. sub finem li. 3. Recog. Theod. lib. 1. de prouidentia.

Trinitarij qui.

ſtris Trinitariorũ militantes defendunt vnitatem ſpeciei, cuius apud Philoſophos crebriuſcula mentio exiſtit, neceſſariò in hoc myſterio recipiendam. Alij, vel nimio ab hoc impio dogmate ſecedẽdi ſtudio, vel etiam rerum articulo de Deo pulcherrimè ſaluberriméque conceptarum ignoratione, Antitrinitarij euaſerunt. Antitrinitarios voco non Tredeitas ſuperiores, contra quos ſub iſto titulo SchegKius Schorndoffenſis publicæ Eccleſiæ ſuæ Brentianæ nomine ſcripſit, ſed ipſummet SchegKium & eiuſdem generis impios, qui contraria Trinitariis ſentientes profitentur ſic vnam eſſe Dei ſubſtantiam, vt ille non perſonis, ſed δυνάμεσιν *& facultatibus diſtinguatur. Quæ profectò ſententia iam pridem in Sabellio damnata eſt. Etſi enim à ſe Sabellianiſmum repellunt verbo, quòd huiuſmodi facultates non nomine tantùm, vt ille, verùm etiam reipſa diſtin-*

Antitrini-tarij.

ctas prædicent, tamen, quia vnicam agnoscunt in diuinitate hypostasim & subsistentiam, re vera numerandi sunt in Sabellianis. Nam non tam damnatus est Sabellius, quòd Deum Trinominem faceret, quàm quòd negaret τριυπόστατον. Cæteros appellare libuit. Autotheanos, quoniam dum etiam ipsi longius abscedunt à Tredeitarum hæresi, Christum à se habere essentiam, non à Patre, contendunt. Huius impietatis primum auctorem Stancarum, qui multa quidem certamina, sed infelicissimè cùm istis primus omnium sectariorum in Polonia gessit, extitisse suspicor, ex his, quæ de Mediatore Christo aduersum reliquos disputauit. Gregorius tamen Paulus & Iohannes Cazanouius Trinitariorum signiferi Ioanni Caluino, in libris, quos contra eum edidêre, eius inuēti palmam deferunt. Vtrum horum sit certius; nihil mea videtur interesse,

Autotheani.

quando quidem non cum personis, sed cum causa, de qua multo animarum dispendio agitur, decertare, ac morbo in dies latè etiam atque etiam gliscenti, si Dei gratia valeo, medicinam facere in optatis habeam. Quàm solidis autem & Scripturis & rationibus, & veterum, quos omnis pietatis habemus auctores, testimoniis, veritatis ab istis desertæ patrocinium suscipiamus, iudicent alij, quos obnixè velim obsecratos, vt hæc nostra legant animo candido ac perturbationibus vacuo. Studuimus certè, vt in eo moderatè philosophia vteremur, neque Scripturas contaminaremus tortis interpretationibus, neque Patrum scitis abuteremur in speciem orthodoxæ nostræ fidei. Plurimùm autem mihi gratulor, te diuinitus, vt quidem reor, meæ sorti esse oblatum, cui hoc opusculū nuncuparem, & cuius authoritate tāquam theriacis aduersus venenatos aduersa-

riorum, contráq; sentiẽtium morsus, me communirem. Quamuis enim fortasse in publica commoda peccare videamur, quòd te à supremis Reip. clauis ad extrema, id est, ad priuati hominis scripta reuocemus, tamen putauimus esse non indignum, mihi verò etiã priuatim commodum, vt eius auspiciis causam Dei vnius & Trini tueremur, cuius ope, cura, consiliis regnum nostrum Christianum adhuc spirare ac viuere, per Dei gratiam, sentimus. Vt autem omnes, in quos hæc lucubratiuncula incidet, si quidem incidet, sanctius incorruptiúsque de hac tota actione possint iudicare, dedimus operam, ne statum disputationis inuolueremus. Aristotelis more primo loco refutauimus per ordinem sententias & argumenta, quæ Catholicæ aduersabantur. Altero libro facili planáque, vt mihi quidem videtur, methodo veram ac puram doctrinã de Deo vno

Operis periocha.

ac trino, ad cuius ſalutarem recordationem contremiſcere potius noſtrum erat, quàm diſſerere, niſi hominum ingratus improbúſque erga ſuum ſummum opificem animus omnem moderationẽ frãgeret, ex ſacris oraculis cõſtituimus. Poſtremò confeſſionem D. Athanaſij (ſic enim eius Symbolum apud Græcos inſcribitur) à ſpurcis corruptelis impuri infidelíſque Valentini Gentilis, qui gentiliter & pluſquam Satanicè illam auſus eſt nominare Symbolum Satanaſij, repurgantes, explicauimus, qua potuimus breuitate, præcipua noſtræ ſanctæ fidei capita, quatenus faciebant aduerſum enatas nuper per orbem Chriſtianum hæreſes. Speramus in domino, cuius cauſa pios omnes oblectare debet vehementiſſimè, hunc laborem non fore inutilem Eccleſiæ, tuæ etiam dignitati acceptum, quòd in ipſo agniturus ſis, quicquid de hoc articulo, circa quem cardo

Articulo de Deo v-

nostræ religionis potissimum vertitur, & per quem à Iudæis, Maometanis, Paganis, Philosophis, omnibus denique atheis maximè distinguimur, ferè potest & solet in disputationē cadere. Oro Patrem, & Filium & Spiritum sanctum, qui reipsa distincti, sunt vnus Deus naturaliter, etiam si rumpātur infernæ potestates, vt dissoluant opera Satanæ, néve sinant impiorum adulterinas plantationes, in suorum animis radices propagare, te vt etiam atq; etiam ad sedandos regni motus, quibus communis omnium nostrûm patria perditè diuexatur, incolumen diuturnúmque seruent. Vale in Domino. Lutetiæ Parisiorum 9. Calend. April. M. D. LXVIIII.

no & trino distinguimur à cæteris.

SVMMA COLLOQVII ORTHODOXORVM, CVM NOuis Arianis Petricouiæ in Comitiis, in Regno Poloniæ habiti 1565. ante Dominicam, quæ dicitur Lætare, ex quadã amici nostri Poloni Epistola.

Oppugnatur hæc enũciatio, Pater, Filius, & Spiritus sanctus sũt vn⁹ Deus. Quasi vni⁹ dei nomine solus Pater intelligendus sit.

CVm Petricouiæ comitia haberentur, in quibus de salute Reip. contra immanem hostem Moschum deliberabatur, placuit magnæ Nobilitatis parti, Rege Sigismundo permittente, publicum colloquium de religione instituere. Primùm igitur ex parte Orthodoxorum, eorum qui ad exemplum Geneuensium reformatas Ecclesias habent, erãt selecti quatuor testes futuræ actionis, viri illustres, duo ex Minore, totidem ex Maiore Polonia. Erant delecti etiam è ministris verbi, quatuor collocutores, videlicet Sarnicius, Syluius, Andreas Radzionienfis Pastor & Treiius, his adiunctus erat Scriba Nicolaus Plusius vir nobilis. Totidem fuêre aduersariorum & Testes & Ministri, quorum Ministrorum hæc sunt nomina, Gregorius Paulus dux Hæresis Tritheitanæ, Lutomirius, Paclesius, Homanus, Scriba verò homo nobilis, qui contra duas Epistolas Caluini ad fratres Polonos scripsit, Ioannes Cazanouius. Sed quæstio erat de præside, quis & an vnus esse deberet. Placebat Orthodoxis, vt alternis diebus, vnus ex vtraque parte præesset: vbi cùm discordes essent, tandem duo electi sunt, vnus Orthodoxus, aduersariorum alter. Porrò cùm iam ad reipsam accederent, summus Regni Magister, quem Mareschalcum vocant, (is autem erat

vnus è testibus) præfatus est, & ad colendam pacem ac reditum ad Orthodoxos, Aduersarios inuitabat, his verbis subiectis. Iam igitur, inquit, constituta propositione, qua de agendum est, in Dei vnius in Trinitate nomine exordimini. Vbi protinus quidam eorum toruè inspiciens, respondit. Nos verò hîc non dicimus, Amen. Neque enim nos nouimus istum Deum Trinitatem. Tum nostri, Nulla iam alia (inquiunt) propositione nobis opus est, cùm se hæc obtulerit. Nos autem Deo fauente & volumus & parati sumus demonstrare, quòd spiritus sanctus non alium nos Deum in Scriptura doceat nisi solum Patrem, Filium & spiritũ sanctum, id est, Deum vnum in Trinitate. Is erat ad rem accessus, verum vt eo melius res ipsa percipiatur, poterit tota ista actio in tria capita distingui.

I *In primis quatuor sessionibus nihil aliud quàm veri ac puri verbi Dei testimonia in medium afferebamus, idq; ideo quòd aduersarij sententiis verbi Dei gloriari, seque iactare apud vulgum soleant, vt eum tantò facilius decipiant, inque hæreses inducant. Primùm igitur legebatur nostrum scriptum, cuius hæc erat sententia. Nos quidem ô amici, haud difficulter poterimus vobiscum eam rem transigere. Nam vbi primùm Biblia aperueritis, & initium veteris & nouæ legis consideraueritis, statim offendetis id ibi asseri, quod vos pernegatis. Sic enim Genesis primo Scriptura loquitur. Faciamus hominem ad imaginem nostram. Nostram, inquit, non Meam, posteà verò addit, Et fecit Deus. Nouæ autem legis initium hoc est. Verbum erat apud Deum, Et Verbum erat Deus. Videtis, vt in veteri lege loquatur, Vnus Deus tanquam de Tribus, hîc verò, quòd Filius Verbum æternum (Nã*

quod ab initio erat æternum est) erat apud Deum. Et *erat idem, nō alius, vti vos perperam interpretamini,* Deus. Multa *& alia sunt nobis verbi diuini testimonia. Verùm ne longius progrediamur, videtis, vt statim ab ipso* Bibliorum *principio redaguamini. Isti verò secundo consessu scripto nostro responderunt, quod ipsorum responsum, quàm à nobis tertio scripto funditus euersum fuerit, ille demum intelliget, quicunque illud leget. sed & extremum eorum responsum idem testatur.* Vbi *cùm iam plane nihil directè respondere possent, obiiecerunt nobis quasdam æquipollentes enuntiationes minime ad rem pertinentes & quasi ex alia theca petitas.* Is *erat primus insultus colloquij quatuor actibus absoluti.*

2 In *secundo conflictu tanquam in tabula depicta consentionem primitiuæ* Eccesiæ *ad nostra vsque tempora deductam, quàm manifestissimè demonstrauimus. Nempè quòd nō alia vnquam doctrina in* Ecclesia Dei *viguerit, quàm qua* Filius Dei *est verus* Deus. *Nemo est autē qui nesciat, nō nisi duos posse esse* Deos *verum esse aut falsum. Quod si* Filius Dei *verus est* Deus, *non potest esse alius quàm vnus ille, quē concordi conuentu celebrat vniuersa sancta* Scriptura, Audi Israël Dominus Deus *tuus* Deus *vnus est.* Et Ego *sum* Deus, *ante me non est alius* Deus, *& post me non erit & præter me non est.* Hîc *aduersarij huic nostro veterum* Ecclesiarum *consensui, contrarias eorundem* Scriptorum *sententias opposuêre quibus tamen nihil ostendebant, nec quicquam aliud afferebāt, quàm illud suum, vnus est* Deus Pater. *Quas sententias, vbi ad satietatem vsque recitassent, studuimus eas paucis verbis refutare.* Concedimus *quidem, dixerūt* Nostri,

vnum esse Deum Patrem, sed Deum Patrem sapientem & spirantem, hoc est, vnum cum filio & spiritu Sancto. Ad quæ illi. Quandoquidem, inquiunt, Patrum testimonia tàm vestra, quàm nostra vera sunt, consequens erit, vt isti Patres sibi ipsis sint contrarij. Facessánt igitur isti. Nos verbo Dei inhæreamus, Quibus Orthodoxi. Vos verò, inquiunt, quemadmodum neque Verbum Dei, quod vobiscum faciat, sicut iam ostensum est, ita neque consensum Ecclesiæ, quo magis confirmemini, habere potestis. Patres autem illi sancti non sibi ipsis aduersantur, neque enim amétes fuêre, nec bilingues, vti vos eos traducitis, sed ad scripta eorum intelligenda necesse habetis arcana quadam claue. Hic vbi clamantes asseuerarent eos sibi ipsis esse contrarios, Nostri illis proposuerunt ex iisdem Patribus desumptos eiusmodi locos, cõtra quos nihil poterant mutire, quibus in locis seipsos interpretantur & declarant manifestè, videlicet nihil inter hæc duo enunciata interesse, imò æquipollentia esse, Vnus est Deus, hoc est, Deus Pater, Filius & spiritus sanctus & vnus est Deus Pater. Nam illi semper intelligunt Deum Patrem esse vnius cum Filio & spiritu sancto essentiæ, prout inquit Tertullianus, Cùm, inquit, nominatur Deus Pater, intelligitur & Filius, etiamsi non nominetur. Hic erat finis alterius congressus, tribus actibus absoluti.

3 Porrò in tertio conflictu ad historias ventum est. Nam vbi & testimoniis Verbi Dei & consensu sanctæ Ecclesiæ conuicti essent, receperunt se ad historias, quas iam in promptu habebant, quas illi cùm proferrent, studuerunt potissimùm duplici turpissima reprehensione fidei Christianæ authoritatem derogare. Pri-

ma fuit, cùm pertinacißimè assererent, quasi hæc nostra fides in Niceno primùm concilio fabricata, & in lucem edita esset. Altera cùm dicerent, quasi magna vi à Cæsare Constantino, & ab illis Episcopis constituta atque stabilita esset. Vbi se dolore affici professi sunt ob casum illorum quinque discipulorum Arij nolentium approbare verbum ὁμοούσιος, carpentes sanctos illos Patres Athanasium, Cyrillum, Augustinum, Epiphanium, Chrysostomum & illos præstātes Impp. Gratianum, Valentinianum & Theodosium, qui suis edictis fidem Christianam sanxerunt. Quæ omnia scripto complexi nobis obtruserunt. In quo scripto palam vituperarunt Concilium Nicenum, sanctos Patres & pios illos Imperatores fidémque eorum. Contrà verò comprobarunt Concilium Arianum Syrmij habitum, eíque subscripserunt, laudantes tam discipulos illos Arij, fidémque ipsorum, quàm Constantium Cæsarem fautorem Arianorum. Hæc nos vbi audiuimus, scriptúmque eorum magno cum animi nostri dolore accepimus, huiusmodi eos verbis postremo confessu allocuti sumus. Non sine graui animorum nostrorum mœrore id ex vobis amici intelleximus, quòd vos palam profitemini, Arij esse amatores. Nos verò omnino parati eramus demonstrare fidem vestram, quàm eà recens, quàm vana sit, non tantùm sanctis literis, consensu Catholico, ac historiis, sed quocunque tandem voluissetis scriptorum genere. At quoniam expreßis verbis contestati estis vos Arianarum partium fautores esse, præclusistis iam hoc pactò viam & nobis vobiscum & vobis nobiscum deinceps hisce de rebus disserendi. Non enim vos latet quàm Arius fuerit hostis omnis Catholici nominis. Nobis autem, qui exi-

De hoc concilio lege Nicephor. lib. 9. cap. 31.

gua fidentium pars sumus, neque conuenit, neque nos decet causam totius orbis Christiani transigendam suscipere. Quod si faceremus, neminem esse existimamus, qui non hoc nobis vitio potius vertat, quàm tribuat laudi, præsertim cùm & Apostolicis mandatis & legibus Romanis ab eiusmodi curiosis quæstionibus arceamur. Attamen ecce vobis scriptum, quo ostẽdimus, non ex mutilatis, sed certis & fidei probatæ historiis verbum ὁμούσιος, adeóque doctrinam de Deo Vno & Trino ante Nicenum concilium fuisse, illósq; 318. Episcopos, qui illic aderant, nihil aliud quàm antiquam & à maioribus acceptam fidem (quos vos, nescimus, quid noui inuexisse putatis) clariorem reddidisse. sed neque vis cuiquam, vti vos existimatis, vlla illata est, quod testatur historia Socratis lib. 1. cap. 8. & illa altera de Pafnutio, quem solum fregisse scribunt omnium suffragia de Sacerdotum matrimonio. Adhæc omnes historici testantur, Constantinum illum religiosißimum imperatorem nihil ausum fuisse in consessu illo amplißimo eloqui, nisi prius ab Episcopis petita venia. Vos verò, cùm omnia perperam interpretemini, Dei ideo vindictam aliquando experiemini. Iam verò videmus nullam vobis amplius esse sortem in hac hæreditate.

His illi auditis vale nobis dixerunt & verbis & scripto. Hîc verò cùm surrexisset pastor Radziolouiensis elegantißima oratione ad precandum omnes cohortatus, Deum aduersariis propitium deprecatus est. Tandem cùm finis actioni imponendus esset, cecinimus vulgatam cantilenam, in hæc verba: Deo Patri & Filio & Spiritui sancto omnipotenti Deo laus sit & honor perpetuus, Amen. Vbi statim aduersarij,

tum hæc verba ferre non possent, cœperunt sese subducere, negantes se velle dicere, Amen. Is fuit finis colloquij. Deinde die Dominico, qui Lætare dicitur, conuocatus est vniuersus nobilium cœtus, vt rem gestam cognosceret, vbi summus regni magister ex consensu reliquorum testium professus est totum negotium, ita quemadmodum hîc perscriptum est, gestum atque transactum esse. Idque ipsimet etiam testes comprobarunt.

Colloquij ministrorum cum Trinitariis finis.


Errata, quæ irrepserunt, sic corrige.

Pag.65. lin. 1. pro efficere lege afficere. 74. lin. 1. leg. patentiorem. 28. pro implorandam lege implorantium. 77.14. post, Apostolica autem, adde, Ecclesia. 88.14. confundatur & lin. vlt. desideratur, Nos, ante, Verbũ accepisse. 91.21. leg. Loro. lin. 22. lustrũ. 95. lin. antepen. Partis. 96.3. leg. demonstrandum. & lin.5. Calorem. & lin.13. vident. 102.4. le. Ciuium. 105.29. iuxta. 188. lin. antepen. Quorum.



DE S. TRINITATE LIBER PRIMVS G. GENEBRARDI Theologi Parisiensis.

Contra Trinitarios, Antitrinitarios, & Autotheanos, nostri æui monstra portentosissima.



IMPLICI *fide olim confitebatur Ecclesia Patrem, Filium, & Spiritum sanctum vnum esse Deum, aut Patrem ita esse solum Deum propter authoritatem originis, secundum verbum Domini, vt eo obtentu à diuinitatis consortio nunquam excluderet Filium & Spiritum S. tanquam Patris natiua germina,* καὶ βλαστοὺς φωτικωτάτους, *vt Dionysius Areopagita pereleganter loquitur. Nec verò curiosius percontabatur, quî vel vnitas in tribus reipsa distinctis citra permixtionem, confusionem, collectionem, aggregationem, continuationem, aliquid deniq; eiusmodi, vel Trinitas cum vnitate salua reali distinctione posset consistere. Hæ enim quæstiones propter obscuritatem sunt ex earum genere, quæ fidem plebe-*

Ioh. 17.

Lib. de diuin. nom. cap. 1. & 2.

culæ citius minuant, quàm iuuent. Proinde si quando huiusce modi explicabant veteres, id faciebant mystica quadam, vti appellabant, Theologia, quæ ita mysteria efferebat more veteri & Pythagorico, vt nulla inde offensio manaret in vulgus. Et sanè satis est populo, quod ad articulum de Deo & diuinis hypostasibus pertinet, nosse, omißis subtilioribus disquisitionibus, quæ Christus palam esse voluit, dum diceret baptizandas gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: In diuinitate tres quidem versari personas, quarũ duæ posteriores à prima essentiam ita consequantur, vt tamen cum ea sint penitus atq; ad numerum vnius & eiusdem substãtiæ. Nam nominibus Patris, Filij, & Spiritus S. nõ solùm exprimitur distinctio personarum, verùm etiam origo vnius ab altera, & quadam consequentia essentiæ vnitas, quòd in propria perfectáque origine, eiusdem naturæ atque essentiæ fiat communicatio. Itaque Deus neque triceps, neque triplus somniabatur, neque ipsius essentia, quam habet prorsus simplicem, propter personas diuidebatur. Verùm cùm hanc simplicitatem fidei cum summa conscientiarum securitate coniunctam grauiter ferret Satanas, dici non potest, in quot & quàm discrepantia opinionum monstra transformare veritatem conatus sit. Hanc propositionem, Deus vnus est Tres, *siue, quod idẽ certè pollet,* Tres sunt vnus Deus, *& cõiũctim & diuisim labefactare adortus est. Ac diuisim quidem persuadere voluit non vnum esse Deum, sed vel duos, vti Cerdoni, Manichæo, Marcioni, & Gnosticis visum est, vel tres, quemadmodum Philoponiani, Trinitariorum, qui hodie in Ecclesia grassantur, genitores contenderunt, vel plures, vt de Valentino scribũt Hirenæus, & Cyrillus*

Synesius initio lib. de insomniis.

Populo tria nosse satis est, quoad articulũ de Diuinitate.

Mat. 28.

Status quæstionis.

Aug. lib. de hæres. c. 21.

Hiren. lib. 1. cap. 28. & 5. c. 13.

Theod. de

Hierosolymorum antistes. Coniunctim verò per diuersos, quorum opiniones distinctè enarrabimus, quoniam ad institutum nostrum conducunt plurimùm, docere tentauit totam enũciationem, Tres sunt vnus Deus, *aut simpliciter falsam, aut aliter quàm verba sonarent, accipiendam esse.*

fabulis haret. lib. 1. & 2.

Suidas in voce Ioh. Philopon.

Principiò autem sciendum, ne ignoratis vocabulis facile παραλογιζώμεθα, Nos cum dicimus, Tres esse vnũ Deum, *intelligere cum* Dei *Ecclesia tres res actu & reipsa distinctas, atque seorsum, per séque consistentes, quarum hæc non sit illa. esse vnum* Deum *verè, propriè & ad numerum, perinde atque si decerneremus tres, Abrahamum, Isaacum, & Iacobum vnum esse hominem numero. Etsi enim in tribus hominibus id falsum planè cõfiteamur propter multiplicitatem materiæ, quæ in naturæ humanæ propagatione per decisionem existit, in* Deo *tamen verũ omnibus modis id censemus, ob ἀμερῆ insecabilémque diuinæ essentiæ communicationem, vti suo loco fusè declarabimus. Quid ad hæc Satanas?*

Nota sensũ Ecclesiæ de S. Trinitatè

Nota cur tres vnus Deus.

In primis ne Apostolorum quidem conspectum atque præsentiam, qui adhuc in viuis supererant, veritus suscitat Iudæos, in quibus Cherintus, Ebion, & tribus deinceps sæculis Ariani, vt dicerent hoc pronunciatum non modò falsum, sed de eorum etiam genere esse, quæ effici nequeunt. Quæ opinio toti stirpi tam altè inhæsit, vt etiamnum recentiores Hebræi sint citius vadimonium suum deserturi, quàm vt eam non tueãtur, & contrariam, quæ Catholica est, non inuadant. R. Dauid Kimhi in suis in secundum Psalmum commentariis ita argumentatur. Diuinitas non est diuidua, neque obnoxia distinctioni, non igitur potest distingui in Patrẽ,

Primi Iudæi oppugnant doctrinam de S. Trinitate & viam præmuniũt Arianis.

Arg. Iudæorũ in Christianos.

R. Albo in lib. de Articulis fidei orat. 3. c. 25

Soluuntur arg. Iudæorum.

D. Dionys. de diuin. No. cap. 2.

Filium, & Spiritum sanctum. R. Iosephus Albo addit meram esse contradictionem, Idem esse vnum & tria, similéque esse, atque si quis putaret eundem numerum posse dici parem & imparem. Magis enim aut æquè distare binarium (exempli causa) à ternario, quàm ab vnitate. Itaque si binarius non posit esse ternarius, neque vnitatem posse esse triadem. Atqui hæc secum ferunt solutionem. Nam sine diuisione essentia diuina à Patre redundat in reliquas personas, vt cùm ignis tedæ vnius, alterum in alia face generat sine sui vel partitione vel diminutione. Quod verò sumit Albo in contradictione versari, eundem numerum esse parem & imparem, hoc ei libenter damus in numeris ipsis, qui sunt res, vel potius notiones à rebus abstractæ. At in eo quod colligit, paralogismus est ab accidente, vt non accidente. Etenim quamuis numeri non posint simul esse pares & impares, res tamen quæ sub numerum cadunt, id possunt respectu diuersorum, vt simile, quod vsurpauit Dionysius de diuinis nominibus, docet. Tres faces in vna domo sunt tria lumina, & tamen non nisi vnam reddunt lucem, vnum splendorem, ipsis tribus luminibus se tota per tota ita confundentibus, vt non nisi vna resultet lux, non nisi vnus per cubiculum fundatur fulgor, qui alioqui à tribus dimanat. Reliqua istorum argumenta infirmiora sunt, quàm vt hîc nominatim recenseri debeant. Deinde ad illa abundè respondimus superiore biennio, cùm istorum aduersum nos scripta Latina faceremus. Arianorũ etiam rationes omnino prætereundæ videntur, quoniam tam solidè à patribus confutatæ iam olim sunt, vt superfluus haberi debeam, si post tot tantósq; scriptores velim adhuc hiscere. Adde opitulante Domino, me ali-

quando, vbi maius otium ad vertendum nactus fuero, & licuerit per amicum, qui apud se detinet, in medium prolaturum de hac re librum Græcum, qui inscriptionem D. Cæsarij Nazanzeni fratris præfert. Dũtaxat nunc id adiiciã istos, vt viderentur magnificentius de filio Dei sentire, quàm Iudaizantes superiores, aliquantúmq; ipsi gratificari, eum dixisse esse primogenitum ante omnes creaturas, hoc est, vt impiè torquebant scitum dictum Pauli, primam creaturarum: alioqui Deo multò inferiorem, vt pote non consubstantialẽ, neq; coæternũ. Vnde & ex nihilo creatũ garriebant aliquanto ante omnes creaturas tempore, ac illum fuisse spiritum, id est, animam vocitatam spiritum, quẽ capite demisso Christus in cruce exhalasse legitur. Iam verò eum, cùm Deus ante orbem conditum creasset, omnibus cumulasse perfectionibus ac donis, diuinitate quoque compleuisse, deinde per eum ceu instrumentum mundum creasse, tueri & regere, per eum post plenitudinem temporis adunatum carni. (Nam Christum carnem solùm assumpsisse prædicabant, quippe qui eam dicerent animatam fuisse illo Christi spiritu ante omnes creaturas procreato) per eũ, inquam, humano corpore affectum nos liberasse ab omni malo, ac eius opera nos beatos effecturum. Spiritum autem S. interpretabantur, non, vt superiores, diuinum fauorem, aut spiritualem virtutem, per quam Christus, itidémq; Deus operetur in sanctis, sed insignem quandam creaturam, quæ iam minor esset Christo, sed maior cæteris, vt & proinde spiritus principalis rectè appellaretur. Verùm id fuisse à maioribus confutatum, conuictum, triumphatum, vt dixi, ipsorum libri, plenaria concilia, historiæ Ecclesiasticæ ostendunt. Præterea, quibus armis

Arianorum dogma quale.

Col. I.

Ioh. 19.

Psal. 50.

quondam Iudaïzantium copiæ corruerunt, iisdem & disiiciuntur Arianæ. Sed nec propterea conquieuit Satanas.

2. Error Paulianistarum.

Nam secundo à Cherintianis loco armauit contra Catholicam sententiam Artemonem, Paulum Samosatenum, Photinum, & nouissimè Seruetum, qui illam de mediis fabulis abreptam euomerent, in quibus Geryon fingitur tricorpor, & Cerberus canis triceps. Prius enim fuit obiectum etiam ab Arianis Augustino, vt liquet è quadã eius epistola, quæ inscribitur, de Deo Triformi. Posterius posterioribus annis à Serueto magna exultatione & triumpho decantatum est, quasi ipse fuisset commentus aliquid, quo recepta de S. Trinitate fides non sine risu à plebe traduceretur. Volebant autem isti vnicam duntaxat esse in diuinitate hypostasim, in qua filius ante incarnationis mysterium quasi ratio & forma ideanica tantùm prædestinatione, aut etiam potestate inesset, quemadmodum in humanis, Iacobus in lumbis patris Isaac, antequàm nasceretur, tantummodò erat κατὰ λόγον σπερματικόν, non propriè, non verè, non actu. Spiritum sanctum similiter non esse rem per se subsistentem, id est, hypostasim siue πρόσωπον, sed tanquam Dei actionem, agitationem, motum, quo prophetæ & sancti Dei homines afflari in scripturis perhibeantur. Sed hæ blasphemiæ ex crassissima non solùm impietate, verùm etiam ignoratione profluunt.

August. ep. 176. & 177.

Nota quid sit Vnum in hoc mysterio.

Cùm enim dicimus Tres esse vnum, illud Vnum *nõ est accipiendum, quasi vnitum, coniunctum, continuatum, aut συνούσιον, sed pro ὁμοουσίῳ, vt in concilio Niceno contra Arium pronuntiatum est. Magnum autem discrimen est inter vtrumque, vt in Ancorato docet hisce verbis Epiphanius Cyprius. υἱὸς ὁμοούσιος τῷ πατρί, οὐ συνούσιος,*

ἀλλ᾽ ὁμοούσιος, τουτέστιν, οὐκ ἔξωθεν τοῦ πατρὸς γεννηθείς, ὥς τινες εἰρωνείᾳ φέρονται, θέσει θέλοντες εἶναι τὸν υἱὸν καὶ οὐκ ἀληθείᾳ. συνδεσμός δὲ τῆς πίστεως ὁμοούσιον λέγειν. ἐὰν γὰρ εἴπῃς τὸ ὁμοούσιον, ἔλυσας Σαβελλίου τὴν δύναμιν. οὐδὲ γὰρ ὁμοούσιον μιᾶς ὑποστάσεως ἐστὶ δηλωτικόν, ἀλλὰ καὶ ἐνυπόστατον σημαίνει τὸν πατέρα, καὶ ἐνυπόστατον τὸν υἱόν, καὶ ἐνυπόστατον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. πάλιν δὲ τὸ ὁμοούσιον οὐκ ἀλλότριον τῆς αὐτῆς θεότητος σημαίνει, ἀλλὰ θεὸν ἐκ θεοῦ τὸν υἱόν, καὶ θεὸν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τῆς αὐτῆς θεότητος, οὐ τρεῖς θεούς. *Filius, ait, est Homoüsios patri, non* συνούσιος*.i. simul habens essentiam, sed Homousios, id est, nō extra patrem genitus, vt quidam ironia iactant, positu siue adoptione volentes esse filium, non veritate. Consensus autem est fidei dicere* ὁμοούσιον*.i. eiusdem essentiæ. Si enim dixeris Homusion, soluisti Sabellij vim. Non enim vnam hypostasim significat hæc vox, sed in se subsistere patrem, in se subsistere filium, & in se subsistere Spiritum sanctum. Prætereà etiam non alienum ab eadem deitate declarat, sed Deū ex Deo filium, & Deum Spiritum S. eiusdem diuinitatis, non tres deos. Et Cæsarius, in libro, quem suprà nominaui, quæstione vndecima,* πίστευε οὖν ὁμοούσιον τῷ πατρὶ τὸν υἱόν, μὴ συνούσιον, κατὰ τὴν τοῦ Σαβελλίου παροινίαν. τὸ μὲν γὰρ ὑπάρχει ὑποστάσεως δηλωτικόν. τὸ δὲ βλασφημίας εἰς πατέρα* τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ πνεύματος ἀνακιρναμένης, καὶ εἰς μονάδα τὴν τριάδα ἀναλυούσης, ὅπερ ἀλλότριον παντελῶς τῶν θείων ὑπάρχει νόμων. *Quæ verba interpretari etiam libet, maximè quia liber nondum vspiam est diuulgatus. Crede eiusdem cum Patre essentiæ esse Filium, nō cum vna essentia, iuxta Sabellij crapulam. Illud enim (*ὁμοούσιον*) declarat hypostasim siue subsistentiam. Hoc autē (*συνούσιον*) blasphemiæ est Filium & Spiritum sanctum miscentis cum Patre, & in vnitatem Trinitatem resol-*

Quid sit Homusios.

*lego τὸν υἱὸν καὶ τὸ πνεῦμα.

uentis, quod prorsus alienum est à diuinis legibus. Hinc *ergò fit, vt in symbolo* Syrorum *&* Mesopotamiorum

An. 1556.

(quod ante paucos annos Moses *quidam* Syrus *à suo* Patriarcha *in has regiones missus, typis chalcographicis cum nouo testamẽto edendũ* Viennæ *apud pientissimum* Imp. Ferdinandum *curauit) sublata omni ambiguitate, cui obnoxia est vox* Consubstantialis *in* La*tino symbolo, appositè significantérque legatur* ושׁוא באוסיא לאבוהי * *& parem in* οὐσίᾳ *patri suo.* Sic *enim euidenter intelligitur* Patrem *&* Filium *ità eadem constare essentia, vt interim non sint in vnum ac idem veluti compacti, aut coalescentes, quod apud nos* Consubstantiale*, non satis distinctè explicat.* Nempe *vocabulum est anceps ad* Græcorum *συνούσιοι & ὁμοούσιοι.* Ac *certè ὁμοούσιον longè distare à συνουσίῳ perspici potest è similibus compositionibus.* Boëtius Latinique *veteres apud* Aristotelem, *vocabulis quidem barbaris, sed certè significãtissimis interpretati sunt συνώνυμα & ὁμώνυμα* Vniuoca *&* Æquiuoca. Non *igitur aberrauerit, qui similiter ad declinandam homonymiam* Vnes*sentiali exprimet συνούσιον,* Æquessentiali *ὁμοούσιον.*

Vox Cõsubstãtialis apud Latinos ambigua.

** Ita Syri loco eius, Consubstã tialẽ Patri.*

In categoriis.

Aug in lib. de Trinit. & colũba.

Nam *& quidem* Augustinus *æqualitatem dicit inter substantiam* Patris, *&* Filij, *&* Spiritus *sancti.* In Patre
» *(inquit) &* Filio, *&* Spiritu S. *non est similis substan-*
» *tia sed vna æqualis per omnia.* Et Basilius Magnus *in quadam epistola concedit aduersariis* Filium Patri *nõ tantùm esse ὁμοούσιον, sed etiam, qua voce plerique eorum delectabantur maximè, ὁμοιούσιον, modò adiiceretur ἀπαραλλάκτως.* Id *enim esse, quod asseueraretur ab vnis ὁμοούσιον, ab alteris ὅμοιον κατὰ πάντα.* Hanc *verò particulam addendam esse vrget, ne vlla species cogitetur, vel differentiæ, si substantiam contueâre, vel di-*

uerſitatis, diſparitatis, diſsimilitudinis, ſi cætera, quæ ſubſtantiam circumſtant, ſpectes, quod ſeipſum Pater liquidiſsimè abſolutiſsiméque in Filio expreſsiſſet, infinitis numeris profectò exactius, quàm Sol in Parelio ſui characterem formámque inſcribat. Hoc antea Athanaſius notauerat dum ſcriberet, Conſubſtantialem importare, & ex ſubſtantia Patris eſſe & ſimilem eidem eſſe ſubſtantia. Nam ſimilem, inquit, Patri ſecundum ſubſtantiam Filium dicere, neutiquam ſatis eſt, cùm ſtannum quidem argento ſimile ſit, & lupus cani, & æs fulueſcens vero auro: ſtannum verò neque ſit argentum, neque ex argento, neque lupus catulus canis habeatur. Vnde efficitur non fuiſſe ſententiam Catholicorum, quam iſti ganniunt, tres S. hypoſtaſes ita inter ſe affectas, vt ſimul complectantur eſſentiam perſonis in ſe commixtis, & Trinitate in Vnitatem prodigiosè contracta: ſed ideò Conſubſtantiales eſſe ac dici, quòd Pater cæteris duobus totum ſuum eſſe diuinum, nullóque modo aliud tribuerit, quòd ſummam & ſimpliciſsimam eſſentiam, ſummum ſapere, ſummum poſſe, & id genus omnia cumulatiſsimè conceſſerit, quòd totam ſuam naturam diuinam expreſſerit, nihil retinens, quin communicaret, quòd inter Patrem, Filium, & Spiritum S. nihil differat, quòd inter ipſos ſumma verſetur æqualitas, ſumma naturæ vnitas, ſumma coæternitas, poteſtas & maieſtas eadem, quòd denique deitas Patris non ſit multiplicata, ſed vna numero tradita, ſine partitione, ſine detrimento, ſine fluxu, ſine perpeſsione. Auguſtinus autem in ſuperiore epiſtola paulo aliter depellit Paulianiſtarum Arianorúmque virus. Ideò enim Deum non poſſe dici Triformem, quòd non componatur ex imperfectis, vt Geryon aut Mediusfidius,

Atha. de Synodis Arimini & Seleuciæ.

Conſubſt. duo includit.

Trinitarij hanc nobis affingunt, vnde & Sabellianos vocāt.

Aug. epiſt. 177. & de hæreſ. ad quodvult Deum.

quasi quædam eius pars sit Pater, quædam Filius, quædam Spiritus, sed Vnum, quia trium perfectorum, integrorúmque vna sit forma atque Deitas, nec Trinitas ex personis coalescat, quippe quæ sit indiuidua, simplicissima, omnis compositionis expers.

3. error Sabellianorũ & Antitrinitariorũ. s. Vigilius in disputatione inter Sabellium, Photinum, Arium, & Athanasiũ.

Posteà per Praxeam, Epigonum, Cleomenem, Noëtum, Callistum, Sabellium, Catholicum dogma morsu configere perrexit serpens. Aliud enim sentiebant isti, quàm Photinus & Samosatenus, quòd à nonnullis non satis expenditur. Sabellius (vt is prædictorum omnium nomine prodeat in theatrum) neque falsam, neque portentosam aiebat propositionem, Tres sunt vnus Deus, sed illam nefaria expositione corrumpebat. Pronuntiabat numerum ternarium hîc non referre res vel personas, cùm in Deo vnam tantùm putaret personam, sed vel nomina, vel actiones & officia distincta, ne videretur tres Deos inducere. Itaque idem diuinum indiuiduum nunc dici Patrem, quatenus res condidisset, & quotidie conderet atq; conseruaret, accepta metaphora à parentibus nostris, qui nos & gignunt, & sua prouisione tuentur. Filium verò, quatenus in tempore carne assumpta ex aluo virginea prodiisset. Sic enim, inquit, qui carnem humanam contrahunt generatione filios solemus appellare. spiritum autem sanctum, quâ se rebus procreatis impertiret, inque earum mentes siue substantialiter, siue per sua dona incideret ac illaberetur. Vnde concedebat Patrem Deum natum, passum, crucifixum, &c. per quandam communicationem, quemadmodum eadem ferè de causa fatemur Filium Dei mortuũ. Quasi hæc essent aut synonyma vt, ensis & gladius, aut tanquam nomen, prænomen, & agnomen, M.T.Cicero, aut vocabula officii, quibus fit, vt

Patropassiani.

idem, exempli gratia, sit rex ac comes.

SKegKius, qui Brentiano dogmate gloriatur, cùm scribit aduersum Trinitarios, quos in Polonia nuper eructauit Satanas, ab hac improbitate nihil aut parum abscedit. Nam illo in opere (vt nunc desinam persequi impias voces, quibus aspergit libros duos de duabus Christi naturis) vbi fusè docuisset, quo pacto Vnum

Antitrinitarij Brentiani.

» *posit esse Multa concludit pag. 23. & seq. Deum Vnũ*
» *numero esse, Multa facultatibus & differentiis hypo-*
» *staticis, perinde atque anima vna, est multa reapse di-*
» *stincta, nempe est vegetans, est sentiens, est intelligens.*
» *Ob eámque causam negat scripturam Patrem & Filiũ*
» *& Spiritum S. vel res vel hypostases nominare. Ad hæc*
» *asserit se appellare δυνάμεις, differentiásve hypostati-*
» *cas, id quod Patres dixerunt Personas & hypostases.*

Mira profectò audacia sine auctore, sine scriptura diobolarem philosophum commutare cum hæretica, formam dicendi in Catholica receptam. Deinde crassàm admodum oportet esse cæcitatem, quæ nõ cernit, quàm contraria sit personæ & δυνάμεως notio. Δύναμις est vis alteri inhærens, persona in se hæret, per séque subsistit. Prætereà dicere Patrem esse δύναμιν & facultatem diuinitatis, dicere est Patrem non esse à séipso, sed ab eo, cuius est δύναμις. Nam in philosophia, cuius opinione inflatur, quamquam meo quidem iudicio eius veram speciem nunquam attigit, facultates fluunt, manant, existunt à suis siue essentiis, siue essentialibus principiis. sic lubet vsurpare vocabula scholarum, vt se agnoscat in eo labi turpiter, quod est apud Peripateticos tritissimum. Postremò non tam corrigit vetustatẽ, quàm ipsa diuina oracula. Paulus enim vsurpat vocabulum hypostasis, cùm de hoc mysterio verba facit in

Refutatio SKegKij.

Heb. 1. epistola ad Hebræos, ac pronuntiat filium esse characterem τῆς ὑποστάσεως πατρὸς, id est, subsistentiæ siue personæ Patris. Nempe quoniam nunquam ouum ouo fuit similius, vt est in veteri prouerbio, quàm filius Dei patri suo, siue patris sui personæ. Nam hypostasim, siue, vt noster interpres transtulit, substantiam nihil hîc aliud significare posse, nisi personam, etiam Richardus Victorinus, qui Græca Pauli nunquam fuerat odoratus, docet. Quod & conuincit ratio. Christus enim non est figura imagóve paternæ essentiæ, quippe qui sit ipsamet patris essentia. Vnde neque Isaac imago hominis, humanæ've substantiæ dicitur, cùm etiam ipse homo existat, sed patris Abrahæ, à quo sumpsit exordium, cuius & lineamenta in vultu, aliísque partibus gerit. Deinde imago relatiuum est vocabulum. Relationes autem in diuinis duntaxat fiunt inter personas, nec dicuntur comparatione essentiæ, ne essentia multiplicari quoquo modo videatur. Verùm in eo meretur aliquantulã veniã, quòd non ex suo, sed Ecclesiarum recẽter in Plutonis officina signatarum, quarum vni, deserta Catholica, se improbè addixit, sensu hanc deprompserit hæresim. Nã Germani & Galli σαβελλιανίζουσι simul & σαβελλιανίζουσι, dum manus cum Trinitariis conserunt, sic causam de Deo tuentur, vt in eius essentia tantùm agnoscant proprietates. Sic enim ferè ipsis loqui placet, dum in diuinarum personarum mentionem ingrediuntur. Vnde & disputando de rebus certè ignotis meri euadunt Sabelliani, vt eis quidem rectè probro vertit Gregorius Paulus Trinitariorum fax libro, quem inscripsit aduersus Sabellianos. Sabellianos, vt ipse ait, intelligẽs Ministros Ecclesiarum Gallicarum. Et sanè personæ definitio, quam in suis institutionibus afferunt, id etiam

Rich. lib 6 de Trinit. c. 1. & 22

arguit certissimé. Sed de hac re hoc in opere alibi copiosius.

R. Iosephus Albo libro superius commemorato narrat veteres philosophos, in hac quoque versatos sententia. Tradidisse enim Deum in se esse vnum, trinum autem ratione מושכל & משכיל שכל, *hoc est, vt Alexander Aphrodiseus locutus est,* νοῦν νοοῦντα & νοούμενον. *Nec ab his abhorrent Iudæorum veteres Cabbalici, quum de suis Middoth philosophantur. Quum enim aiunt in Midras Psalmi 50. Deum mundum procreasse in tribus Middoth, siue attributionibus, quas esse dicunt* חכמה *sapientiam,* תבונה *intelligentiam, &* דעת *scientiam, non certè significant personarum diuinitatis hæc esse attributa, quibus tres personæ denotentur, vt nonnullis inscitè visum est, sed omninò Deum ipsum, quem* ὑποστάσει *vnicum existimant, sapienter, intelligenter, & scitè mundum fabricasse, contra Momi imitatores, qui semper aliquid habent, quod reprehendant, & Epicureos, quibus temeritate quadam hæc mundi machina videtur coaluisse. Hanc quippe Cabalam eliciunt è versu capitis tertij Prouerbiorũ, vbi ita cõcionatur Salomon. Dominus* בחכמה *in sapientia fundauit terram, aptauit cælos* בתבונה *in intelligentia,* בדעתו *in scientia eius abyssi fissæ sunt & nubes fundunt rorem. Ita illis Deus hypostasi vnus est, attributis trinus. Quæ quàm falsa sint & à scripturis discrepantia suo quidem loco demonstrabimus. Apertè enim præter diuinas attributiones pluralitatem personarum siue subsistentiarum scriptura tum vetus, tum recens commemorat. Interea autem monemus istos omnes de via veri ideò deerrasse, quòd nescirent distinguere inter essentiam & personam, nec*

Vide R. Mosem lib. 1. More, cap. 67.

Hist. Eccl. lib.10.cap. 29.

caperent hanc esse quoddam singulare, illam commune aliquid, vt rectè annotatur à Ruffino in hist. Ecclesiastica.

Error quartus Ioachimi abbatis.

Extra de summa Trinit. & fide Cathol.

Demùm quum obtinere diffideret diabolus vnicam esse in diuinitate hypostasim per Ioachimum abbatem pugnare ausus est, tres quidem extare personas, verùm tamen illas non esse vnam rem, quæ nec generaret, nec generaretur, nec spiraret, nec spiraretur, id est, non esse vnum Deum, nisi per quandam collectionem. Id sibi videbatur familiaribus exemplis illustrare. Sic, inquit, videmus multos fideles dici vnam Ecclesiam propter vnam fidem & charitatem. sic tres aut plures ciuitates vnum regnum vel populum ob vnitatem regis vel patriæ. Allegabat præterea, quod apud D. Ioannem ait Dominus, ater serua eos, vt sint vnum. sicut & nos vnum sumus. Atque hinc inferebat, cùm apostoli non essent vnum vnitate naturæ indiuiduæ, sed quadam duntaxat communione, communive ratione, Patrem, Filium, & Spiritum non esse aliquid vnum numero. Id verò nefandum ex eo intelligitur, quòd Patre generando contulit suam ipsius essentiam siue diuinitatem Filio & quidem totam, vt pote insecabilem. Similiter Pater & Filius spirando eandem essentiam cum omnibus suis diuinis perfectionibus, virtutibúsque & non aliam impertiuerunt Spiritui sancto, adeò vt ipsos vnam rem substãtialiter existere planè oporteat. Verùm de iis mox. Nam ab isto, quod sequitur dogma, tempore quidem prius, sed instituti nostri ratione posteriore ordine tractandum, parum abscedit.

Quint⁹ error Tredeitarum & Trinitariorum.

Igitur suo loco excitauit Philoponum, qui fundamenta Trinitariorum, aduersum quos potissimùm nostra disputatio suscepta est, iaceret. De isto etenim ita

ſcriptum reliquit Suidas. Multa ſcripſit καὶ κατὰ Σεβήρου. πλὴν ὅτι παρὰ τῶν τῆς ἐκκλησίας διδασκάλων, ὡς τριθείτης ἐκβάλλεται, καὶ τοῦ καταλόγου τῶν ὀρθοδόξων ἀποδιώκεται. Sed præſtat de hac re Philiponum ipſum ſua dicentem audire. Eius verba, vt Nicephorus Calixtus retulit,

Suidas in voce ἰωάννης.

Nicep. lib. 18. hiſtor. cap. 47.

» ſunt hæc. Natura quælibet non ſimpliciter id quod eſt,
» dicitur, ſed dupliciter. Vno enim modo, cùm communẽ
» cuiuſlibet naturæ rationem, per ſeipſam contempla-
» mur, veluti hominis, aut equi naturam in nullo indi-
» uiduorum extantem. Alio verò modo, cùm eam ipſam
» communem naturam in indiuiduis exiſtentem & par-
» ticularem, maximè in quolibet eorum ſubſiſtentiam re-
» cipientem, neque cuiquam alij, præter illi ipſi ſoli de
» cætero conuenientem conſideramus. Quod nanque in
» me eſt animal rationale mortale, nulli reliquorum ho-
» minum commune eſt. Neque quæ in hoc ipſo animante
» eſt natura, in alio quopiam fuerit. Quod verò has ip-
» ſas notiones de naturis & ſubſiſtentiis Eccleſiæ doctri-
» na habeat, ex eo conſtat, quod naturam quidem Patris
» & Filij & Spiritus ſancti profitemur. Tres autem horũ
» ſubſiſtentias, ſiue perſonas prædicamus, per quas quæ-
» libet proprietate quadam à reliquis diſcernuntur. Quæ
» etenim ſit natura vna diuinitatis, quàm communis di-
» uinæ naturæ ratio, ipſa per ſeipſam conſiderata, & nu-
» da contemplatione à proprietate cuiuſque diſcreta? Et
» quòd propriè & peculiariter rurſum naturæ nomen
» conſideremus, dum rationem naturæ in quolibet indi-
» uiduorum ſiue ſubſiſtentiarum communem, propriam,
» atq; peculiarem cuiuſlibet factam, quæ nulli deinceps
» alij, quod ſub communem ſpeciem cadat, coaptari poſ-
» ſit, contemplamur, ex eo patet, quòd in duabus Chriſti
» naturis vnionem, diuinitatis, inquam, & humanitatis,

» docemus. Non enim communem, quam in sancta Tri-
» nitate consideramus, diuinitatem incarnatam esse di-
» cimus. sic etenim & Patris, & spiritus sancti incar-
» nationem prædicaremus, sed neque communem hu-
» manæ naturæ rationem vnitam esse verbo Dei opina-
» mur. Eo nanque pacto, & qui ante verbi aduentum
» extiterunt, & qui postea futuri erant, hominibus om-
» nibus vnitum esse Dei verbum rectè dicatur. Cæterùm
» satis liquet, nos hîc diuinitatis naturam dicere eam,
» quæ est in subsistentia verbi, non communis diuinitatis
» naturam. Itaque etiam vnam naturam Dei verbi in-
» carnatam esse profitemur, disertè eam à Patre & spi-
» ritu sancto secernentes, ita vt hîc quoque communem
» naturæ rationem, propriam iam Dei verbi esse intelli-
» gentes, verbi naturam incarnatam dicimus. Et naturã
» itidem humanitatis vnitam verbo dicentes, particula-
» rem maximè illam subsistentiam, quam solam ex om-
» nibus verbum assumpsit, sentimus. Hæc sunt, quæ paucis sententiam Philoponi explicant. Nimirum quoniam insignis erat philosophus, & plures eásque meliores horas in philosophia, quàm in scriptura, & Theologorum veterum scriptis consumpserat, vt eius in Aristotelem commentarij indicant, nefas ducebat ab institutis, in quibus fuerat educatus, discedere.

Substantiæ tribus modis vnũ esse possunt.

Philosophi quæ vnum sunt essentialiter in tria tantùm genera partiuntur, ac putant omnia, quæ vnum censeri debent & possunt, esse vnum aut genere aut specie, aut numero.

Regula Dialecticorũ quæ fefellit Philoponum.

Iam quæ vnum sunt numero, illa vnum esse non tantùm ὑποστάσει & subiecto, verùm etiam essentia atque re. Et è conuerso, quæ numero distinguuntur, distingui tam ὑποστάσεσι & subiectis, quàm re & essentia. Quæ præcepta si sequimur, proculdubio ad Philo-

poni

poni castra transeundum nobis erit, atque omnino concludendũ Patrem, Filium, & spiritum s. vnum Deum esse non numero, quòd eorum distinctæ sint hypostases, sed specie, siue, vt ipse loquitur, ne ex philosophia suum videatur hausisse errorem, natura quadam communi, quæ in nuda intelligentia versatur, atque est veluti νόημα. Nos autem, qui in Ecclesia rationale lac suximus, scimus in substantiis non omnia, quæ reapse differunt, differre essentialiter. Fatemur quidem in rebus procreatis distinctionem realem nihil differre ab essentiali. Nam exempli loco, Petrus & Paulus, qui non vniuersam, sed dispertitam naturam humanã possident, distinguuntur, & reipsa & essentialiter. sed in diuinis, in quibus essentiæ eiusdem communicatio existit absque partitione atque defluuio, more certè inusitato, id concedi non potest, quippe cùm personas diuinitatis ex scripturis constet re vera quidem distingui, sed non eßentialiter. Fefellit etiam Philoponum, quòd non satis attenderet aliam eße rationem diuinæ productionis, aliam humanæ. Pater humanus Filio impertit substantiam eandem specie quidem, at non numero, quoniam generat facta seminis decisione. Cælestis verò non modò specie, vt isti placuit, sed & numero, quoniam ipse, decisionem sui nulla vi pati potest siue generando siue spirando. Cùm enim sit spiritus, cuius nullæ sunt partes, fieri nequit, vt dederit partem eßentiæ, quoniam eßentia diuina est ἀδιαίρετος & insecabilis, aut vt ita totam dederit, quin illam sibi vniuersè retinuerit: alio qui nullus eßet, séque producendo exhausißet. Itaque oportet vt eadem ad numerum existat substantia, & illius qui dedit, & eius cui data est. Exemplum apud Panormitanum vtcunque præbet fax ardens, quæ

Genus distinctionis substãtiariũ ignotũ philosophis

In substantiis distinctio realis & essẽtialis eadem apud philosophos, non apud Christianos.

Pau. cap. dãnamus, Extra de summa Trinit. & fide Cathol.

aliam accendit itémque doctor, qui plenè ſcientiam in diſcipulum transfundit. Nam totum transfert & totum retinet, neque ſe eo, quod tribuit, priuat. Proinde eruditè Nicephorus ſequenti oratione ſuperiora Philoponi verba coarguit.

Nic. lib. 18. cap. 48.

» *sed Philoponus (inquit) cum ſectatoribus ſuis, communem humanā naturam, ipſamq́ etiam diuinam, quam indiuiſibilem dicimus, in plurimas partitur perſonas, diſcernens eam & ſingulatim indiuiduis tribuens, & tribus ſuperſubſtantialis naturæ ſubſiſtentiis diſpertiens. Id verò ipſum à rectè ſentientibus prorſus eſt alienum, quemadmodum magnus in Theologia vir Gregorius Nazanzenus clariſſimè in libro ad Euagrium monachum de diuinitate ſcripto aſtruit. Quin etiam poſt illum, eruditi quidam homines ea, quæ perperam à Philopono prolata ſunt, refellerunt.*

Nazanz. lib. de Deitate ad Euagrium.

Atque hæc quidem ille. Cæterùm ne iſtum putes dogmatis fuiſſe inuentorem, iam olim ante Chriſti ſæcula Pythagorici & Platonici tale quippiam occinerant. Iam olim in ipſis memoriæ Chriſtianæ cunabulis Peratæ portentoſarum opinionum hæretici tale aliquid ſomniarant. Hi quidem apud Theodoritum mundum in tres partes diſpertientes, primam dixerūt ἀγέννητον καὶ τελειάδα, ἣν καὶ ὠνόμασαν τρεῖς θεοὺς, τρεῖς λόγους, τρεῖς νοῦς, τρεῖς ἀνθρώπους, *id eſt, increatam & triadem, quam & nominarunt, inquit, tres Deos, tres rationes, tres intelligentias ſiue mentes, tres homines, (erāt enim Anthropomorphitæ) alteram* αὐτογενῆ, *infinitarúmque poteſtatum plenitudinem, tertiam hanc ipſam, in qua verſamur, ſedem, quam &* ἰδικὸν *appellabant. Illi autem tres intellectus conſtituerunt, ſupremum, medium, & tertium. Primum maximè vnum & ſimplicem, proindéque ideis, quippe quæ multæ & variæ eſſent,*

Pythagoricorum & Plat. opinio de diuinis Perſonis.

Theod. de fabulis Hæreticorum.

Pythag. & Plat. tres intellectus & Deos poſuerunt.

vacuum. secundum, idearum receptatorem, aliquantulum à primi simplicitate discedentem. Tertium, animam mundi, spiritu suo omnia peruadentem, omnia continentem. Vltra has autem intelligentias diuinam substantiam haudquaquam progredi, vt explicauit Porphyrius. Quæ certè hactenus eleganter & non sine aliqua diuina virgula effata sunt. Verùm quum addiderunt tres hos intellectus esse tres principales essentias, vt Plotinus libro de tribus principalibus substantiis disserit, aut tres Deos, quemadmodum proditum est apud Calcidium Platonici Timæi Paraphrasten, ad eundem infelicem philosophiæ scopulum, ad quem multis pòst ætatibus Philoponus, impegerunt. Ita enim illorum sententiam Calcidius prosequitur. Originem quidem rerum, ex qua cæteris omnibus quæ sunt, substantia eius ministratur, esse summum & ineffabilem Deum, post quem prouidentiam eius secundum Deum latorem legis vtriusque, vitæ tam æternæ, quàm temporariæ. Tertiam porrò esse substantiam, quæ tertia mens, intellectúsque dicitur, quasi quædam custos legis æternæ. Et paulò pòst. Ergo summus Deus iubet, secundus ordinat, tertius intimat. Ità, cùm ab Ægyptiis & Hebræis, ad quos discendi causa, Pythagoras & Plato olim peregrinati fuerant, obscurè aliquid de tribus diuinis hypostasibus accepissent, & illud ad philosophiæ præcepta accommodassent, de Deo senserunt, & posteris, vera falsis commiscentes, tradiderunt. Et certè fateor magna probabilitate concluditur in diuinis ita rem sese habere, cùm in rebus omnibus aliis, vbi distinctio est realis, essentialis quoque locum sortiatur. Hinc enim Raimundus Lullus fidei articulos ad naturales demonstrationes explorare tentans, inter quin-

Calcid. in Timeum Plat. pag. 44.

R. Lullus.

gentos errores, quibus sua scripta aspersit, si Petro Terracensi Episcopo credimus, probabiliter docuit Deum habere multas essentias, perinde agens, atq; si tres Deos palam prædicasset, cùm multiplicationem essentiarũ, id est, deitatum, multiplicatio deorum consequatur, ut non ignorant Trinitarij, qui unà cum tribus essentiis urgent ternarium Deorum numerum. Hinc Auerrois Arabs impius affirmauit, nostram de S. Trinitate fidem consistere non posse, nisi euocata in præsidium unitate speciei. Fieri quippe non posse, si tria essent diuinitatis indiuidua, quin similiter extarent tres dij. Audi quid dicat in 12. Metaphysices Aristotelis. Putauerunt, inquit, antiqui (Nos intelligit. Nam sumus Maometanis antiqui, quemadmodum nobis Patres circumcisi, ut sæpe in Corano inculcatur) Trinitatem esse in Deo, & voluerunt euadere dicentes, quòd sunt tres & unus, & non potuerunt, quia cùm substantia fuerit numerata, congregatum erit unum per intentionem (i. specifice.) Hinc & querelæ infelicißimi Maometis, qui in impurißimo suo Corano nos paßim clamitauit impios, quòd contra omnem & scripturam (si Deo placet) & philosophiam & rationem, ternionem Deorum introducamus. Nimirùm putabat id planè ex eo sequi, quòd tres per se subsistentes, quorum singulatim quilibet sit Deus, credimus. Hinc denique iocus Luciani, qui cognominatus est Atheos, ut fidem facit dialogus eius, qui Philopatris inscribitur. Afferam Athei verba, ut cernas omnis generis improbos in hanc conspirasse sententiam. Cùm quendam Triephonem dicentem Critiæ fecisset, Deum iura alte regnãtem, magnum, ætherium, Filium patris, spiritum ex Patre procedentem, unum ex tribus, tria ex uno, Critiam inducit respondentem,

Bernardus Luxemb. in Catalogo Hæretico.

Azoara 12. 54. 107. &c.

Lucianus in Philopatri.

» *Non intelligo quid dicas, Tria vnum, & vnum tria.*
» *Num quaternionem dicis Pythagoricum illum, an O-*
» *ctenionem, an numerum ex triginta constantem? In-*
telligis opinor, quàm aliena existimauerit, quæ de Trinitate maiores nostri rectè sentiebant. Certe accessit ad eorum impietatem, quorum ab Stephano Parisiensi antistite damnatus est error an. Domini 1226. Isti aiebant Trinitatem nō cohærere cum summa simplicitate, quòd vbi existeret pluralitas realis, ibi necessario reperiretur additio & compositio, in exemplum rapientes aceruum lapidum. At inscitia hæc ferenda non est. simplicitas enim Deo tribuitur, non comparatione hypostaseon, sed ratione diuinæ essentiæ, quæ in quocunq; fuerit, simplicissima est, nihilque habet addititium, non partem, non accidens, non aliud quidpiam. Ac isti quidem sunt nostrorum Trinitariorum, quos Suidæ vocabulo τριθεΐτας appelles licet, maiores, quantumuis Gregorius Paulus dogmatis inuentum sibi gloriosissimè arroget, & hac de palma cum Valentino Gentili magna animi contentione dimicet. Neutri profectò, vt docui, hæc primùm hæresis venit in mentem. Habent præcessores Pythagoricos, Platonicos, Peratas, Philoponum, Raimundum Lullum & cæteras humani generis pestes, quas modò nominaui. Quamquam quid attinet tam impium inuentum istis adimere, cùm præsertim ipsis dignissimum sit? Nam nec propterea quicquam metuendum Ecclesiæ, cùm longè efferatiores belluas ipsa domuerit, ac habeat insignes multos propugnatores, qui suos lacertos in hac palæstra obnixissimè exercuerunt. Prætereà supersunt libri plurimi Maiorum, qui institutam quæstionem tractant, atque docent euidentissimè tres deos dici non oportere, & propositionem,



Tres ſunt vnus Deus, *luculentiſſimè declarant.*

Græci, vt ab his auſpicer, prout ſpiritus ſuggerebat & præbebatur diſputando occaſio, non vna contenti, multas rationes attulerunt. Vnam Baſilius Magnus in Apologia ad Cæſarianos & in tractaculo contra eos, qui calumniantur nos tres Deos dicere. Alteram Gregorius Nyſſenus in libello ad Ablabium, aliam D. Athanaſius diuerſis in ſcriptis, aliam Dionyſius Areopagita de diuinis nominibus attingit. Has verò omnes in vnum album repoſuit capite de Triade Ioannes Damaſcenus, ſcriptor in legendis carpendiſque veterum
Damaſc. lib. 1. de Ortho. c. 8. *Theologorum ſententiis diligentiſſimus. Eius verba vtraque lingua proferam.* διὰ τοῦ ὁμοουσίου, καὶ τοῦ ἐν ἀλλήλαις εἶναι τὰς ὑποστάσεις, καὶ τῆς ταυτότητός τε καὶ θελήματος, καὶ τῆς ἐνεργείας, καὶ τῆς δυνάμεως, καὶ τῆς ἐξουσίας, καὶ τῆς κινήσεως· ἵνα οὕτως εἴπω. τὸ ἀδιαίρετον, καὶ τὸ εἶναι ἕνα θεὸν γνωρίζομεν. *Quòd eiuſdem eſſentiæ & aliæ in aliis ſint hypoſtaſes, quódque eiuſdem ſint voluntatis, efficientiæ, virium, poteſtatis & motionis, vt ſic dicam, inſeparabilitatem, vnitatémque Dei cognoſcimus.*

Latini ſimiliter non in vna hærent cauſa. Nam è re-
Henr. à Gandauo quod lib. 6. q. 1. *centioribus Henricus Gandaueus demonſtrat propoſitionem,* Vna eſt tantùm hypoſtaſis nō producta, *iiſdem prorſum rationibus oſtendi, quibus vnitas Dei concluditur. Ac eam profectò vnam eſſe ex cauſis, cur vnus prædicetur Deus, indicat Hilarius cap. quinto li-*
» *belli de Synodis. Qui dicit duos innaſcibiles, confite-*
» *tur duos Deos. Et Tertullianus ad extremum libri de*
» *Trinitate, Deus vtique procedens ex Deo ſecundam*
» *perſonam efficit, ſed non eripit illud Patri, quòd vnus*
» *eſt Deus. Si enim natus fuiſſet innatus, comparatus cū*
» *eo, qui eſſet innatus, æquatione in vtroque oſtenſi duos*

faceret innatos, & ideo duos faceret Deos, &c. Et *veteres ante hæresim Arij huic sententiæ adeò addicti fuêre, vt etiam* D. Ignatius *non dubitarit locum* Deu*teronomij,* Audi Israel, dominus Deus tuus Deus vnus est, *atq; similes de solo* Patre *interpretari.* Ad Phi*lippenses, inquit,* εἷς οὖν θεὸς καὶ πατήρ, καὶ οὐ δύο οὐδὲ τρεῖς. εἷς ὁ ὤν, καὶ οὐκ ἔστι πλὴν αὐτοῦ, ὁ μόνος ἀληθινός. κύριος γὰρ φησὶν, ὁ θεός σου κύριος εἷς ἐστί. καὶ πάλιν, οὐχ εἷς θεὸς ἔκτισεν ἡμᾶς; οὐχ εἷς πατὴρ πάντων ἡμῶν; εἷς δὲ καὶ υἱὸς, λόγος θεός. Deut. 6. Ibidem. Mal. 2.

Vnus certè *Deus & Pater & non duo, neque tres. Vnus qui est, & præter quem non est. solus verus.* Domi*nus enim, inquit scriptura,* Deus tuus Dominus *vnus est.* Et *rursum,* Nunquid *vnus* Deus *creauit nos?* Nun*quid vnus pater est omnium nostrûm? Vnus verò etiam* Filius, *Verbum* Deus. Et *suos* Antiochenos *non sine affectu cohortatur,* μήτε πλῆθος θεῶν ἐπεισάγειν, μήτε τὸν χριστὸν ἀρνεῖσθαι προφάσει τοῦ ἑνὸς θεοῦ. Μωσῆς γὰρ εἰπὼν, κύριος ὁ θεός σου, κύριος εἷς ἐστί· καὶ τὸν ἕνα καὶ μόνον κηρύξας θεὸν, ὡμολόγησεν εὐθέως καὶ τὸν κύριον ἡμῶν λέγων, κύριος ἔβρεξεν ἐπὶ Σόδομα καὶ Γόμοῤῥα παρὰ κυρίου πῦρ καὶ τὸ θεῖον. Cohor*tatur, inquam, neque multitudinem deorum inducere, neque* Christum *negare prætextu unius* Dei. Moses e*nim, qui dixit,* dominus Deus *tuus* Dominus *vnus est, quique vnum & solum* Deum *prædicauit, confessus est etiam* Dominum *nostrum* (*Christum*) *dicens,* Domi*nus pluit super* Sodomam & Gomorram *à* Domino *ignem atque sulphur.* Vides, *vt ad solum* Patrem *ora*cula *de Vnitate* Dei Ignatius A*postolorum æqualis accommodet.* Et *quamuis talem esse huiuscemodi scripturarum sensum clamitent* Trinitarij, *nihil tamen ipsis canit* Ignatius. Siquidem *præfatur se* προφάσει ἑνὸς θεοῦ μὴ τὸν χριστὸν ἀρνεῖσθαι, *prætextu vnius* Dei *diuinitatem* Gen. 19.

Christi non inficiari. Quoniam enim Personarum nomina relata sunt, séque mutuo respiciunt, cùm nominatur vna, necessario infertur & altera. Qui nominat Patrem, auditoris animum statim conuertit ad Filium, qui spiritum ad Spiratorem, etiam si aliud nihil adiũgat. Quare hæ duæ enunciationes, Vnus Deus est Pater, Filius, & Spiritus S. *&,* Vnus est Deus Pater, *ἀκόλουθοι sunt neutra alteram excludẽte, sed potius altera alteram inferente. Præterea vt in concilio Syrmiensi parum quidem Catholico, sed certè ab istis laudato declaratum extat, hæc de Vnitate Dei effata non ad destructionem diuinitatis Filij & Spiritus, sed ad profligationem idolorum pertinent. Lege, obsecro, illius propositionem 23. vt explores, quàm falsò in eius iudicio stare se dicant. Prorsus illius synodi Patres astipulantur D. Hieronymo, qui in Esaiæ verba,* Præter

Es. 44. » me non est Deus, *ita commentatur. Absque me non » est Deus, quia puer (Christus) quem elegi, in me Deus » est, de quo supra dixit, Ecce puer meus, quem elegi, ele- » ctus meus, quem suscepit anima mea, iudicium genti- » bus proferet, & in nomine eius gentes sperabunt. Nec » dicit se esse solum, sed præter virtutem atque sapien- » tiam suam nullum esse externum Deum, deorúmque » multorum opinionẽ & simulacra condemnans. Quid, » inquit, similis mei. Et paulò post in illud,* Qui exten- » dit cælos solus. *Non excluditur, inquit, Filius ab ex- » tensione cælorum. Omnia enim per ipsum facta sunt, » sed, vt sæpius diximus, excluduntur idola. Nam & in » Prouerbiis, ex persona Christi Dei virtutis, Deíque sa- » pientiæ dicitur, Quando parabat cælos, ego cum eo e- » ram, cuncta componens. Sed nec istis fauẽt veteres illi, qui propter auctoritatem principij siue præstantiam*

causæ, omnem eminentiam soli Deo Patri tribuunt, vel ad ipsum solum suas precationes dirigunt, adeò vt Samosatenus apud Eusebium non dubitet hymnos Christo dictos nouos, suáque tempestate editos vociferari. Euf. lib. 7. Hist. c. 16.

Nam Prisci illi nostræ religionis auctores seruiebant tẽpori, cuius gratia multa silentur, quæ profectò, cùm sedulò res ad amussim exploratur, necesse est adiicere. Epiph. her. 69.

Sic respondet Epiphanius contra Arium. sic Carolus Magnus in fragmentis de ritibus veteris Ecclesiæ. Vt ad solum Patrem (ait) dirigatur oratio, cùm totius sanctæ Trinitatis, sicut vna est diuinitas, ita æqualis honor, & glorificatio debeatur, id Apostoli sancto per eos ordinante spiritu sanxerunt, vt qui multorum deorum errores vnius Dei prædicatione nitebantur euellere, sub Trinitatis sacramento, vni personæ in sacrificiorum ritu supplicare decernerent. Veteres ad solũ patrẽ dirigebant preces suas

Ne qui vnum Deum, ob falsorum deorum errores extirpandos prædicabant, in pluralem diuinitatis numerum incidisse arguerentur ab iis, qui ineffabili Patris & Filij & Spiritus sancti mysterium ignorabant. Rectissimè ergo constitutum, vt quia Pater & Filius & Spiritus sanctus vnius deitatis, vnius naturæ, vnius substantiæ, vnius denique potestatis existunt, vna ex eis persona, propter vnitatis mysterium retinendum in sacrificio inuocaretur. Nec alia magis debuit, nisi quæ prima est, in qua duæ ceteræ naturaliter existunt manentes. Intereà rectè id in Auxentio Mediolanensi reprehendit Hilarius. Etsi enim cùm ipse, tum plerique Priscorum vnitatem Numinis in vnum Patrem interdum, vt docui, retulerint, συνεκτικὴν tamen, plenam & totam causam in eo positam nunquam existimauerunt. Nam nec re vera est, imò verò ne propria quidem, vt scitè contra Gandaueum In epistola ad Aux.

Ioannes Scotus disputat.

Propria causa, cur vnus Deꝰ. Propria causa est identitas singularitásque essentiæ, quam nobis non obscurè insinuauit Deus, cùm Patribus diceret, Audi Israël, Dominus dij tui Iehuć vnus est, hoc est, ens vnũ, siue essentia vna. Hæc enim est nominis Tetragrammati vis atque notio, cuius causa tres personæ re ipsa distinctæ vna res creduntur numero.

Philip. 2. Col. 2. Quam etiam nobis declarauit Paulus, cùm Christum ἐν μορφῇ θεοῦ esse & poßidere plenitudinem diuinitatis diceret. Forma quippe Dei, plenitudóque deitatis nihil aliud esse possunt, quàm Patris essentia, qua præditum Filium Dei vociferatur. Nam etiam Paulus sæpè Dei nomine propter originis principatum, aut, vt ab Ambrosio annotatur, ad hypostaseõ distinctionẽ, Patrẽ intelligit.

Amb. lib. 3. de s. spir. cap. 12. Patris ergò essentia siue forma, siue plena diuinitas, forma quoque est aut essentia filij. Quod de spiritu sancto eodem modo sentiendum. siquidem Pater non aliam, sed ipsißimam substantiam vtrique citra diuisionem multiplicationémve, planè per productionem, vt sæpius demonstramus, tribuit, neque eam diuisit in plures essentias impertiendo Filio & spiritui sancto, instar rerum naturalium, naturam quandam eiusdem quidem speciei, sed non numeri. Neque enim mole & vastitate corporea, vt istiusmodi pati potuerit, circumfusus est, neque in ipsum, vlla substantiæ propriæ decisio potest cadere. Reliquum est igitur, vt impertiendo eandem numero substantiam, quam ipse obtinet, Filium spiritúmq; produxerit. Atque ita quamuis sint tres diuinæ personæ reipsa distinctæ, non ideq tres sunt dij, sed vnus solúsque Deus, quippe qui præditi sint eadem singularißima siue essentia siue diuinitate. Hanc esse fidem Ecclesiæ, hoc sacramẽtum spiritũ

ſanctum ſcripturis vtriuſque teſtamenti docuiſſe libro altero rebus addicam neceſſariis.

Arg. 6. Trinitariorum ſoluta.

Deut. 6.

Supereſt, vt diluamus argumenta, in quibus erroris ſui potiora præſidia iſti collocant. In primis aiunt, vt probent nomine vnius Dei totam Trinitatem non comprehendi, ſiue filium aut Spiritum S. non eſſe illũ Deum vnum Iſraël, quem ſcripturæ prædicant, vel, non eſſe tam propriè Deum, quàm Patrem, vel non poßidere eandem numero eſſentiam, ſiue non ex eadem eſſentia Deum vnum nominari (Iſta enim iſtorum tria ſunt præcipua pronuntiata, quæ eodem relabuntur, & Filio atque Spiritui veram propriámque diuinitatem detrahunt) aiunt, inquam, regulam eſſe in vniuerſo ſcripturarum corpore obſeruandam, vt, quoties abſolutè Dei nomen tam in veteri quàm in recenti teſtamento auditur, ſignificetur ſolus Pater. Nos contrà docemus animaduertendum vbi Dei vocabulum declaret hypoſtaſim, vbi eſſentiam. Si enim οὐσιωδῶς accipiatur, ex æquo ad tres perſonas ſiue coniunctim ſiue diuiſim pertinere. Sin ὑποστατικῶς ferè cognominare, præſertim in nouo Teſtamento, Patrem, non quòd is potiùs principaliúſve Deus ſit, aut καθ' ὑπεροχὴν, vt quoſdam non puduit ſcribere, ſed per quandam attributionem ad diſtinguendas hypoſtaſes, quippe qui diuinitatis totius fons exiſtat atque principium. Quemadmodum cùm Hebræi Adami nomine deſignant modò primum generis noſtri propagatorem, modò homines vniuerſos, item etiam ſingulos. Primum quidem hominem tanquam vniuerſi generis humani ſatorem, Vniuerſos verò & ſingulos quaſi humanæ naturæ æqualiter participes. Alioqui, vt nemo ſanus dederit Adamum magis, principalius, excellentiúſve eſſe hominem, quàm reli-

Greg. Paulus ad extremũ librì contra Sabellianos.

Caluinus contra Gentilẽ in prothеſ. 10.

quos ab ipso prognatos, sic nemini pio in mentē, ne per visionem quidem, vnquam venit, Patri Deo supra cæteras diuinas personas, ab ipso promanantes aliquam diuinitatis prærogatiuam concedere. Nam substantia, vt probat Aristoteles, neque intenditur, neque remittitur, sed in quocunque inest, æqualiter certè inest. In rebus quidem procreatis, ratione accidentium potest censeri quidam excellentiæ gradus, ac, exempli causa, homine homo sæpe existit præstabilior, cùm qualitates in his recipiant quandam remißionis intentionísque gradationem. Verùm in Deo, in quem nullum cadit accidens, sed quicquid habet, agnatum habet atq; essentiale, tale incrementum versari nullo modo potest. Ipsius enim substantia, vt nec magis nec minus, ita neque maiorem neque minorem qualitatem attributorúmve præstantiam admittit, quia nihil est in ipso, quòd qualitatis, affectionísque rationem obtineat. Ex vniuersis nempe philosophorum categoriis duæ solùm, Substantia videlicet & Relatio, quamquam ne hæ etiam propriè aut συνωνύμως, Deo tribuēdæ sunt. Hinc Deus non est qualitate bonus, sed seipso, non quantitate magnus, sed semetipso, non magnitudine quantus, sed suapte essentia, sine indigentia creator, sine situ præsens, sine habitu omnia continens, sine loci spatio vbique totus, sine tempore sempiternus, sine sui commutatione mutabilia faciens, nihil patiens, cuncta denique transcendens, atque superans generum, formarum, accidentium, vocum notiones. Quod etiam de substantia & relatione, quas quoquo modo ei tribuendas diximus, potest intelligi. Deus enim substantia non est, sed maius aliquid, ac ideo nullis accidentibus subiicitur, nec relationes, quæ de ipso affirmantur, sunt de Categoria re-

Aristot. in Categ.

Duæ tantū categoriæ in Deo.

lationis, quoniam in Deo nullum est accidens, vniuersis, quæ obtinet, ab eius substantia naturaliter, essentialitérque fluentibus, neque reipsa distinctis.

His igitur sic constitutis funditus istorum regulam euertentes contendimus in scripturis nomine vnius Dei comprehendi tres personas, ac nomen Dei simpliciter enuntiatum non semper referri ad solum Patrem, sed nunc ad totam simul Triadem, quæ naturaliter necessarióque vnus est Deus vniuersorum, nunc sigillatim ad alteram quamque personarum. Hîc omitto vetustissimos Patres in ea fuisse sententia Deum, qui in veteri testamento apparuit, nunquam fuisse Patrem, semper fuisse Filium, per quem Pater heri, hodie & in secula cuncta administrat & gerit, atque ideò appellatum magni consilij, testamenti quoque angelum. Omitto etiam Domini siue κυρίου nomen, quod frequens extat in veteri Testamento, in nouo semper Christum significare, & nomina יהוה & אדני, quæ per illud totum inculcantur, septuaginta interpretes, Apostolos quoque & Euangelistas κυρίου vocabulo perpetuo expressisse, atque ex illa collatione apparere sententiam prædictam valdè esse probabilem. Etsi enim hæc mouere nos debent plurimùm, tamen ad manum habemus alias scripturas, quæ regulæ vanitatem clarè euidentérque coarguant. In exordio Genesis, In principio, inquit Moses, creauit Deus cælum & terram. Ecquis Paule fidißime Spiritus sancti interpres? Certè is, quo peculiariter illud Psalmi citasti, Tu in principio Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes vt vestimentum veterascent. Idcirco enim verbis, quæ eodem libro de vero Deo scripta sunt, Adorate eũ

Regula Trinitariorum prorsus falsa.

Tert. lib. de Trinit. Aug. lib. 2. de Trin. c. 9. & seq. Isidor. lib. 1. de sum. bono. c. 12. Es. 11. Mal. 4.

Genes. 1. Heb. 1. Psal. 105. Ps. 96.

Ps. 94. *omnes angeli eius, tradis Christum introduci in orbem*
» *terrarum. Et alteris, Hodie si vocem eius audieritis, no-*
» *lite obdurare corda vestra, quæ planè enuntiantur de*
Deo Israël, contendis Iudæos commoneri, vt Christi
corporati, Dei per sese iam loquentis, vocem amplexen-
tur, neque se ad ipsius verba obdurent. Breuiter quic-
quid gloriæ, maiestatis, diuinitatis Deo Israëlis Esaias
tribuit, ad Romanos & Philippenses Paulus ad Chri-
sti personam accommodat, Sistemur omnes ad tribunal
Esa. 45. *Christi, quia scriptum est, Viuo ego, dicit dominus, mihi*
Rom. 14. *flectetur omne genu. De Christo etiam peculiariter di-*
Philip. 2. *ctum apud Ioelem, Omnis qui inuocauerit nomen do-*
Rom. 10. *mini, siue Dei, saluabitur, eadem ad Rom. epistola pro-*
Ioel. 2. *nuntiat. Ad eosdem scribens verba ista, quæ Deum lo-*
qui in Esaia certum est, ad Christum refert, Et timore
Rom 9. *eius ne timeatis, neque paueatis. Dominum exercituum*
Es. 8. *ipsum sanctificate. Ipse pauor esto vester, & ipse terror*
vester, & erit vobis in sanctificationẽ, in lapidem au-
tem offensionis & petram scandali duabus domibus
Israël. Et profectò Christus iam septimo Esaiæ capite
declaratus fuerat Emmanuel, cuius gratia Iudæis spes
fieret, resistendi Assyriis, decem tribubus, cunctis deni-
que hostibus. Ac eò respexisse videtur beatus ille Sy-
Luc. 2. *meon, cùm de ipso virgini diceret, Ecce positus est hic*
in ruinam & in resurrectionem multorum in Israël,
& in signum, cui contradicetur. Sed reuertamur ad
Num. 21. *Paulum. De eodem ad Corinthios accipit, quod in Nu-*
1. Cor. 10. *meris scribitur, Iudæos à serpentibus vulneratos con-*
Psal. 67. *tra Deum murmurasse. Ad eundem alibi restringit ver*
Ephes. 4. *ba Dauidis, Ascendisti in altum, captiuam duxisti ca-*
ptiuitatem, dedisti dona hominibus. atque his probat
Christum triumphantem in cælum ascendisse, ac cun-

dem fuisse Deum, qui Dauidis tempori in altum ascenderat, potentia sua aduersum hostes Iudæorum patefacta. Vt autem audias reliquos hanc ipsam eandem tenuisse fidem, quod in lege legitur, Ego sum Deus, qui te eduxi de terra Ægypti, Iudas Apostolus de Iesu interpretatur nominatim. Et Ioannes gloriam Dei sedentis in solio, quam oculis suis vsurpauit Esaias, maiestatem fuisse Christi ait. Itidémque in Apocalypsi illud Esaiæ, Ego sum primus & nouißimus, Christo paßim adaptat. Noli (inquit) timere, Ego sum primus & nouißimus & viuus & fui mortuus. Item quæ in Exodo scribuntur, Qui est, misit me ad vos, hoc est nomen meum, in æternum, &, Omnipotens nomen eius, in vnum conflat Ioannes. Hæc enim dicit Deus qui est, & qui erat, & qui venturus est, omnipotens. Sed quid in discipulis citandis moror, cùm præceptor Christus fateatur oraculum Malachiæ voce Dei expressum, Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, hanc habere sententiam, Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viã tuam ante te, vt quod Deus apud prophetam de se enuntiauerat, Christus, vt de se dictum vsurpet, vt quod propheta in Dei loquentis persona dixerat, Christus in eundem, quæ suam ostendat, transmutet. Multa alia in hanc sententiam aggregarem, nisi hæc mihi plus satis viderentur sufficere. Quod autem ad Spiritum sanctum spectat, in fine Actorum Apostolicorum proditur. Bene spiritus S. locutus est per Esaiam prophetam ad patres vestros dicens, Vade ad populum istum, & dic, aure audietis. Hanc verò prophetiam, quam illis verbis Apostolus Paulus affirmat à spiritu S. pronuntiatam, ipse propheta à Deo dictam esse commemorat.

Exod. 20. Iud. b. Esa. 6. Ioan. 12. Esa. 41. 44. 45. 48. Apoc. 1. Exod. 3. Exod. 15. Mal. 3. Matth. 15. Act. 28. Esa. 6.

Esa.6. » *Et audiui, inquit Esaias, vocē domini dicentem, Quem*
» *mittam, & quis ibit ad populum istum, & dixi, ecce*
» *ego, mitte me, Vade, ait, & dic populo huic, aure au-*
» *dietis. Et post alia, ipse dominus ait, Et conuertētur &*
» *sanabo illos, & statim propheta, Quousque domine*
» יהוה*? Plenæ sunt talium exemplorum diuinæ literæ,*
1.Cor.3. *vt cùm Paulus ipse quos templum Dei nominarat, alibi*
1.Cor.6. *templum appellat Spiritus sancti, quæ dona Dei vno*
1.Cor.12. *loco, altero Spiritus sancti distributiones. Ex quibus li-*
Heb.2. *quidò ostenditur in nuncupatione domini & Dei, etiā*
nomen Spiritus sancti intelligi. Mirum autem est, cùm
Dionysius magnus summa eruditione hanc scelestam
opinionem iam olim confutauerit, post tot sæcula iterū
è putei abysso potuisse emergere. Vt ex eius multis
Dionys. Areop. lib. 1. de diu. nominibus cap. 2. *pauca proferam,* τοῦτο μὲν οὖν, *inquit,* καὶ ἐν ἄλλοις ἐξετασθὲν ἡμῖν ἀποδέδεικται. τὸ πάσας ἀεὶ τὰς θεοπρεπεῖς θεωνυμίας οὐ μερικῶς, ἀλλ' ἐπὶ τῆς ὅλης καὶ παντελοῦς καὶ ὁλοκλήρου, καὶ πλήρους θεότητος, ὑπὸ τῶν λογίων ὑμνεῖσθαι· καὶ πάσας ἀμερῶς, ἀπολύτως, ἀπαρατηρήτως, ὁλικῶς, ἀπάσῃ τῇ ὁλότητι τῆς ὁλοτελοῦς καὶ πάσης θεότητος ἀνατίθεσθαι. καὶ γε ὡς ἐν ταῖς θεολογικαῖς ὑποτυπώσεσιν ὑπεμνήσαμεν, εἰ μὴ περὶ τῆς ὅλης θεότητος φαίη τις τοῦτο εἰρῆσθαι, βλασφημεῖ, καὶ ἀποσχίζειν ἀθέσμως τολμᾷ τὴν ὑπερηνωμένην ἑνάδα. *Quo-*
» *rum verborum hæc est interpretatio. Istud sanè in aliis*
» *etiam libris discussum à nobis, demonstratum est vni-*
» *uersas diuinitate dignas Dei appellationes non secun-*
» *dum partem, sed de vniuersa, tota, perfecta, plenáque*
» *deitate ab oraculis prædicari. Ac omnes sine distin-*
» *ctione, absolutè, citra comparationem, omninò denique*
» *toti integritati perfectæ vniuersæque deitatis attribui.*
» *Igitur (vt in Theologicis efformationibus meminimus)*
» *qui de vniuersa deitate minime fatetur hoc dici, bla-*
sphemus

sphemus est, & abscindere nefariè audet vnitatẽ vnitam perfectißimè. Subiicerem reliqua, quibus præclarè hæc sacris testimoniis communiuntur, nisi liber versaretur in manibus.

Adiungunt suam causam redundare signatis tabulis. Apud Ioannem, *Hæc est vita æterna, vt te cognoscant solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Et, Nobis vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum, & vnus dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos in illum, & vnus dominus Iesus Christus, per quem omnia & nos per ipsum. Et, Vnus dominus, vna fides, vnum baptisma, Vnus Deus, & Pater omnium, qui supra omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Denique nihil esse frequentius in Euangelicis & Apostolicis scriptis, quàm vt nomine Dei solus Pater intelligatur. Quin & Hirenæum sæpe conclusisse aduersum suæ memoriæ hæreticos Patrem Christi solum esse Deum Israelis. Nec ab eius sententia discessisse Tertullianum contra Praxeam, neque in libro de Trinitate, vbi Filium negat esse Deum simpliciter, sed ex adiunctione. Clementem quoque, in constitutionibus Apostolicis appellare Patrem supra omnia Deum. Idque inueniri crebriusculè in vetustiorum patrum libris. Atqui non animaduertunt istorum similiúmque testimoniorum longè alia esse consilia. De Patre (ait Augustinus) tantùm modò vos vultis intelligi, quod dicitur, Vt cognoscant te vnum verum Deum, & quẽ misisti Iesum Christum, vbi nos subaudimus, etiam Iesum Christum verum Deum, vt hæc sit sententia. Te & quem misisti Iesum Christum cognoscant vnum verum Deum. Epiphanius autem. Dixit vnigenitus verus Deus, cognoscant te ô Pater, solum verum Deũ,*

2. Arg. Trinitariorum diluitur.

Ioan 17.

1. Cor. 8.

Ephes. 4.

Hir. lib. 3. c. 6. 9. 12. 23. & lib. 2. c. 46. & lib. 4. ca. 9. & 12.

Clemens lib. 2. Cõst. cap. 60. & lib. 3 c. 17.

Aug. epist. 174. ad Pascentium Arianum.

Epiphan. hær. 69.

ne multitudo Deorum putaretur. Suprà etiam respondimus veteres propter authoritatem principij sæpe nominasse solum Deum Patrem. Quod ad Pauli loca paulò antè commemorata pertinet, hæc elogia, Vnus Deus Pater, à quo omnia, Vnus Deus & Pater omniũ, quæque multa alia per singulas Euangelistarum & Apostolorum scripturas similia esse contendunt, nihil aliud profectò insinuant, nisi personæ Patris à reliquis singularem distinctionem proprietatémq;. Nam dum confertur Pater cum Filio & S. Spiritu suus cuique titulus per quandam attributionem, non autem naturã, sæpe solet assignari. In promptu est Pauli ἀπολογία. Gratia domini nostri Iesu Christi & charitas Dei & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Tribus potestatem, verbis tantùm differentem non modò tribuit Paulus, sed etiam Patri Filium numerãdo præponit, & tamen nominibus ita eos distinguit, vt Dei inscriptionem Patri assignet, atque si reliqui dij non existerent, Filio domini nuncupationem, quasi ea Pater & Spiritus non communicarent. Quod contrà Arianos iam pridem ab Ambrosio & Ioanne Damasceno in epistola de Trisagio annotatum est. Apostolus, inquit ille, hypostases ostendere distinguereque volens, ait, Nobis autem vnus Deus Pater, Vnus dominus Christus. Non quòd non sit Deus filius, neque quòd non sit dominus Pater. Nam nomen etiam Spiritus conuenit maximè Deo Patri, tamen quando absolutè dicitur, non dubium, quin solus Spiritus sanctus propter attributionem intelligatur. Si enim hoc loco non excipitur pater, eo quòd Filius vocetur, vnus dominus, cur excipiatur Filius, propter eà quòd Pater dicatur Vnus Deus? Eodem planè modo respondendum est ad id,

2. Cor. 13.

1. Cor. 8.

Ambrosius lib. 1. de fide cap. 2.

quod ex veteribus obiiciunt. Nam ne multitudinis deorum Nostri, qui ad eam expugnandam omnes intendebant toros, suspitionem rudi adhuc Gentilium populo ingererent, soli Patri diuinitatis titulum tribuebant, referentes Verbum & S. Spiritum, virtutes Patris ἐνυποστάτους, inseparabilésque à Patre, ex quo & in quo essent, ad ipsum vt ad fontem atque principiũ. Quod enim filium à diuinitate non excluderent, testantur locupletissimè externi etiam scriptores. In quadam Epistola Plinius Iunior scribit ad Traianum Imp. se irrogata quæstione atque cruciatu accepisse, Christianos antelucanis horis solitos conuenire & hymnos Christo Deo canere. Paulò pòst Lucianus, qui dictus est Atheus, in Peregrino prodidit Christianos eiuratis diis Græcorum solum Crucifixum adorare, & in Philopatri, iurare altè regnantem, magnum, ætherium, Filium Patris. Et mox, lucem incorruptibilem, inuisibilem, incomprehensibilem. Symmachus Pontifex minor idolorum idem publica oratione, quam ante Valentinianum habuit totius Senatus Romani nomine, perorauit. In Hireneo autem & quibusdam aliis vetustioribus peculiariter obseruandum est illos disputasse contra sui æui hæreticos, Valentinianos præsertim, qui Patrem Christi aiebant non illum esse Deum, qui per Mosem & prophetas olim esset locutus, sed quemuis alium potius, quem ipsi excogitarent, & peregrinis barbarísq; sonis vocitarent. Mirum igitur haberi non debet si ostendant eundem illum Deum, qui per ipsos locutus sit, Christi esse Patrem, perperámq; alium fingi Deum: si toties colligant non alium fuisse Israëlis Deum, quàm qui Pater sit Christi, si multis capitibus probent & scripturarum oraculis, & Apostolicarum

Hiren. lib. 3. primus sedecim capitib⁹ ex scriptura & testimoniis Apostolicarum Ecclesiarum probat vnicũ esse verum Deũ Patrẽ

Christi lib. autem 4. eundē esse Deum qui legē Iudæis tradidit.

Ecclesiarum testimoniis vnicum esse verum Deum, creatorem cæli & terræ, Patrem domini nostri Iesu Christi, authorem veteris & recentis testamenti. Nam hic status est sedecim primorum capitum tertij Hirenæi, & totius quarti, status, qui non modò expugnat Valentinianos, sed etiam Trinitarios transfodit, qui Christum alienum à non numerabili Patris substantia falsò tuentur.

Tertij arg. confutatio.

Sed pergunt sic argumentari. Filius & Spiritus S. tales sunt propriè. Quòd si propriè Filius est Filius, & Spiritus Spiritus, à Patre emanent necesse est. Si emanant, naturam diuinam acceperunt ab alio. Qui ab alio acceptam habet naturam, quî propriè queat esse Deus? Itaque vocant tum Filium tum Spiritum θεὸν, sed negant alterum eorum esse αὐτόθεον. Vocant præterea deos essentiales, Patrem autem essentiatorem, id est præbentem essentiam, & αὐτόθεον, à se per séque Deum. Quamuis autem hanc quæstionem infrà pluribus contra Autotheanos tractaturi sumus, vt interim tamen quadam ex parte blasphemantium, Filióque & Spiritui Dei calumniam inæqualitatis mouentium ora obstruamus, respondemus istos ad philosophorum ferulas ablegandos esse. Quæ enim, obsecro, est hæc consequentia, Filius à Patre habet essentiam,
" *nec est αὐτόθεος, igitur non est Deus ille vnus Israël,*
" *quem scripturæ prædicant. Aut, Igitur non est tam*
" *propriè Deus, quàm Pater. Aut, Ergò non habet ean-*
" *dem numero, quam Pater, essentiam? Quantò rectius & ad formam syllogisticam accommodatius colligeretur,* Ergo Filius non est separatus à Patre, vt alius ab eo Deus dici valeat, aut, Ergo tam propriè, tam verè Deus est, quàm Pater. *Nam cùm*

Deus gignat per communicationem eiusdem ad numerum, vt suprà docui, essentiæ, nec extra se suã substantiam effundat propter infinitatem, cui dubium existere potest, quin Filius sortitus sit inseparabilem, & eandem substantiam, atque Pater?

Quarta ratio est Nicenos Patres inter Deum Patrem & reliquas personas disertè distinxisse, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. En, inquiunt, vnus Deus, qui genuit, & alter qui genitus est. Ac Iudæorum esse atque Sabellianorum, imò verò Maometanorum nullam agnoscere in diuinis realem multitudinem. Sed Hilarius dudum Ecclesiam ab hoc crimine liberauit. Nos, quod attinet ad vnitatem Essentiæ, minimè à Iudæis dissentimus, sed quod ad Personas attinet, de eo instituimus omnem dissentionem. Iudæis erat traditum, vt crederent vnum esse Deum, de Trinitate autem nihil explicatè. Et quamuis disputari tunc poterat hũc articulum non posse esse verum, nisi vnus esset hypostaticè, sicut essentialiter, & hoc videretur magis cõsentaneum verbis articuli in Deuteronomio concepti, quemadmodum etiam philosophi, non nisi vnum indiuiduum absolutum & separatum in diuinitate posuerunt, tria tamen in ea existere inseparabilia, atque ad se inuicem relata, vt nos Christus aduentu suo docuit, tenere omninò iam debemus, atq; nobis persuadere Deum, per præceptũ, Audi Israel, Deus tuus Deus vnus est, vnitatem retulisse ad ipsius essentiam, qui personaliter certè sit trinus. Quemadmodum autem nobis absurdè Iudaismum obiiciunt, qui aduersus Iudæos triadem personarum defendimus, ita vera puráque conscientia eis Paganismum in probrum vertimus, qui πολυθεΐαν Chri-

4. Arg. Trinitario. soluitur.

Hilar. in libr. de Synodis.

Deut. 6.

ſtianis auribus nefariam, execratámque introducere impiis conatibus moliuntur, ac tantùm à Paganis eos diſtare aſſeueramus, quòd illi deos tribus plures architectarētur, iſti tres ſolùm conſtituant. Nec verò nos *mouere debent verba concilij*, Deum de Deo, Deum *verum de* Deo *vero*. *Hîc enim, vt ſæpe aliâs in ſcripturis* Dei *vocabulum non ſumitur eſſentialiter, ſed pro perſona.* Nimirū *credimus in* Deum Filium, *qui genitus eſt de* Deo Patre, *Deus verus de* Deo *vero*. Sic *apud* Act.20. *Lucam* Paulus *loquitur ſanguine* Dei *acquiſitam eſſe* Eph.4. Eccleſiam, *id eſt*, *Chriſti*. Et ad Timotheum Deum *aſ-* I.Timo.3. *ſerit manifeſtatum in carne, id eſt, Chriſtum ſiue* Perſonam Verbi. Hinc Scholaſtici *ſonant* Deum *capi dupliciter, eſſentialiter, & perſonaliter, indiſtinctè & diſtinctè, abſolutè & relatiuè.* Totidem *quippe formulis idem enuntiant.* Priore *modo* Deus *non eſt de* Deo, *poſteriore Deus, id eſt*, Pater Deus *gignit*, Deus, *id eſt*, Filius Deus *gignitur*. *Quemadmodum apud* Philoſophos *homo ſpecies non generat, quoniam aliquid indiſtinctum indefinitúmque eſt, ſed indiuiduum, vt* Adamus, *vt* Noa, *vt* Petrus.

5.Arg.ridiculum ad probādū Trinitatē nihil eſſe.

Quis porrò non miretur vel miſeretur potius in re venerationis pleniſſima iocularem & ridiculam iſtorum Sophiſticen. Præter Patrem, Filium & Spiritum S. *nullus eſt* Deus. Pater *non eſt* Trinitas, Filius *non eſt* Trinitas, Spiritus S. *non eſt* Trinitas. Trinitas *igitur nullus eſt* Deus. *Quaſi verò obſcura ſit captatio à diſtributo à non diſtributum, &* Trinitatis *vocabulum nō ſit de iis, quæ in ſingulari numero multitudinem ſignificant.* Piget *pudétque me, referre cæteros ridiculos* Paralogiſmos, *quibus puræ de* Deo *doctrinæ lucem eripere, & quaſi noctem offundere cupiunt, cùm præ-*

sertim in hoc eodem captionis generis peccent, vel certè in alio, quod deprehendere non sit ei difficile, cui aliquatenus noti sunt elenchi Aristotelis. Recordor interim eius, quod D. Paulus prædixit, fore aliquos, qui deserta vera doctrina ad fabulas conuerterentur, & per philosophiam inanémq; fallaciam alios deciperēt. 2.Tim.4. Col.4.

Nam etiam ratiocinandi postremum genus, quod fermè habent in ore, sophisticum est. Pater, Filius, & Spiritus sunt alius, alius & alius, quamuis non aliud. At Pater est Deus, Filius Deus, Spiritus Deus, ergò alius Deus est Pater, alius Deus Filius, alius Deus Spiritus. Vel Pater, Filius & Spiritus se habent, vt Abraham, Isaac & Iacob. Sed hi sunt tres homines, non vnus, nisi communicatione speciei, ergo & illi non sunt vnus Deus, nisi communione quadam naturæ. Vitium in eo est, quòd diuinitas censeatur pro specie respectu Patris, Filij & Spiritus æquè ac homo, qui est species infima, ad Abraham, Isaac & Iacob. Atqui auctore Augustino in Deo essentia diuina siue diuinitas non est, vt species, neque personæ vt indiuidua, ne maius aut minus, superius aut inferius in diuinitate cogitentur. Cùm igitur in diuinis rebus essentia per speciem & hypostases siue personæ per indiuidua exprimuntur, vt apud Theodoritum & Damascenum, id non ex veritate proprietatis, sed per enuntiationis similitudinem fieri existimandum est. Sicut enim species est, quod de multis dicitur, indiuiduum, quod de vno solo, sic & essentia diuina de omnibus personis enunciatur, quælibet verò earum non de alia, sed de seipsa sola dicitur. In hoc autem discrimen versatur, quòd indiuiduis multiplicatis essentia quoque multiplicatur, diuersáque aliqua ex parte euadit, ac ideo vt species multitudi-

Sextū arg. quo concludunt tres esse deos & nō vnū.

An diuinitas sit species, Personæ indiuidua.

Aug. lib. 7. de Trinit. cap. 6.

Theod. initio Polymorph.

Damas. 3. de orthod. cap. 2.

nis numero efferatur, necesse est. Nam Abraham, Isaac & Iacob tres homines sunt, sicut tria indiuidua, non licet autem Patrem, Filium & Spiritum S. tres Deos appellare propter summam illius essentiæ simplicitatem, quæ tota est in omnibus simul personis, & tota in singulis, quæque in tribus personis nō est maior, quàm » in singulis. Itaque non sequitur, quod isti statuunt, Pa- » ter Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus est, igi- » tur tres sunt Dij. Sed ita colligendum est, igitur Pater, Filius, & Spiritus S. tres sunt, quorum quisque Deus est. Nomen enim Dei repetitum ad personas pertinet, quæ reuera tres sunt, adiunctum autem numero, ternionem inducit substantiæ, quæ re quidem ipsa nullo modo multa existit. Non enim alia est substantia Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti, sed quam habuit Pater, ipsissimam eandem citra differentiam planè plenéque transfudit in Filium & spiritum S. Vnde tres illi numero, id est, proprietate aliqua numerabili, vt Philosophi intelligunt, non differunt, quasi alia vnitas sit in vna persona, quam in alia, cum eadem vnitas insit ineffabiliter in omnibus, diuina certè essentia. Quod autem Græci, vt Basilius, vt Damascenus, differre numero scripserūt, iam dialecticam acceptionem transgressi sunt, significaréque voluerunt Hypostases numero differre, hoc est, ab inuicem distingui numerabiliter, ita vt numerare sic possis. Pater est vnus, Pater & Filius & spiritus sunt tres. Item Pater non est Filius aut Spiritus S. Filius non est Pater aut spiritus S. &c.

Nota.

An personæ differant numero.

Basilius in hom. contra Sabellianos, Arium & Anomœos. sic passim Damas.

His nihil addunt, quod non sit profectum ex satanæ spiritu, qui olim Maometi consimilia inspirauit, à quo hoc vno differunt, quòd quæ Pseudopropheta ad eneruandam Filij diuinitatem & solius Patris consta-

bibiendam in Corano simpliciter & citra conuersionem attulit, isti in suum dogma artificio quodam dialectico inuertant. Maometes Christum non esse Deum his rationibus construit. Deus vnus est, ergo non Pater & Filius, essent enim plures. Si Pater & Filius essent & proinde plures dij schisma consequeretur & factiones in cælo. Igitur Deus non habet Filium. Deus nullius indiget ac per se potuit omnia creare, omnia gubernare, consortem igitur non habet. Nefas est in Deo cogitare membra & actionem generandi. Non igitur genuit sibi similem. Christus & mater ipsius comederunt, sicut & reliqui homines, quis igitur non videt Christum non esse Deum? docuit, Adorate Deũ & dominum meum, quare ipse non modo non est Deus, qui Deum adorauit, sed ne se quidem Deum haberi voluit, qui quis esset habendus Deus, palam declarauit. Has argutationes, etsi languidæ sint & elumbes, nemóque extet Christianorum, qui non statim soluat, tamen nihilo meliores Trinitarios in suum vsum non pudet sic conuertere. Pater & Filius sunt duo, ergo Deus non vnus est, Essent enim non duo sed vnus. Si Pater & Filius non essent plures dij, Sabelliana cõfusio cõsequeretur & Deus nõ haberet Filiũ. Deus per Filiũ omnia procreauit vniuersa etiã & singula per eundẽ administrat, igitur cõsortẽ habet Deũ, pluresque existunt dij. Nefas est inficiari Deum genuisse Deum. Plures ergò sunt dij, vnus gignens, alter genitus. Christus se æqualem Deo Iudæis, qualis esset petentibus, respondit, ergò est alter Deus. Docuit vt adorarent solum Deum & quem misisset Iesum Christum, ergò duos adorandos prædicauit. Nonne vtrobique cõspicis eundem anguem repere, ac more sa-

Arg. Maometis & Trinitariorũ affinia.

tyri æsopici eodem ore moliri contraria? Quibus argumentis docere conabatur Christum non esse Deum, Deíve genuinum Filium, iisdem quadam logica extremorum transpositione per Trinitarios probare auet Christum esse alium Deum à Patre? Sed nihil agis perdite serpens Satana? Nam mendacio nihil est imbecillius, cùm ad lucernam diuinæ veritatis inspicitur. Deinde tuæ ratiunculæ adeò imbecillæ sunt, vt cuius aperienti oculos, seséque ad mentis suæ sensa introrsum conuertenti, extemplo rancidæ, victæ, veternosæ pateant. Postremò quorsum idem toties illuuie quadã battologica inculcas? Nondúmne tua firmamenta superioribus nostris responsis planè disiecta dirutáque sentis? Nónne conspicis te tibi planè aduersari, tibi omninò aut redeundum ad Arianam blasphemiam, quam iamdudum victam triumphatámq; vehementer doles, aut cedendum causæ tam perditæ? Nam Pater, quem vnum solumque Deum canis, qui non producatur, sed sit aliorum primum principium, Filium, & Spiritum S. producit, aut de nihilo aut de aliquo. Si de nihilo, erunt certè creaturæ, ideóque non dij, sicut ipse per Trinitarios vis. Sin ex aliquo, certe non ex vlla creatura produxit, cùm eos coæternos Patri fatearis, nondum vlla extante creatura, ex qua eos posset producere. Produxit igitur ex seipso. Quòd si ex seipso produxit, necesse est, vt vel eis totam suam substantiam, vel tantùm partem dederit. Si tantùm partem, vide ad quot qualésque mæandros te referas. Sic enim efficitur, vt ne quidem Pater sit Deus, quando secabilem eius essentiam constituis, cùm Deus necessario sit insecabilis, indiuiduus, simplicißimusque spiritus. Sin totum dat, aut dando se ea exhaurit, priuátq;,

atque ita alias personas producendo Deus esse desinit, aut se ea non priuat, atque ita tres personæ sunt consubstantiales, sicut ingenti tuo dolore credimus nos, non essentiæ differentes, sicut tu, administrique tui blasphematis. Sed me verto ad cæteros, quos tu contrario spiritu, aduersum diuinas Filij Dei & Spiritus sancti emanationes imbuisti.

6.error Autotheanorum. Calu.lib.1. Instit.cap. 13.num.23. & 24. & præfat.libri in Valentinum Gentilem. Gallas.lib. de diuina Christi ess. Calu.pag. 11. præfationis lib. de impietate Gentilis detecta, & in admonitione ad fratres Polonos.

Caluinus & Ecclesiæ, quæ istius disciplinam amplexæ sunt, vt nomine Aurelianensis & Bituricensis Gallasius quidam profitetur, vnitatis Dei causam, ex nescio qua Personarum αὐτοθεότητι petunt. Age hoc in loco de ea disseramus. Sic enim refutatis omnibus, quæ sanæ & orthodoxæ fidei aduersantur, aptius ea, quæ ad solidam tanti mysterij cognitionem pertinent, libro secundo subiiciemus. Nec verò istud parui referre existimamus, cùm hinc contra pietatem, multa alia absurda sine longa insinuatione consequantur. si enim αὐτουσία Christo cum Patre communis sit, ac Christus à semetipso essentiam habeat, necesse est verba Niceni concilij, quæ sonant, Deum de Deo, Deum verum de Deo vero, *non tantùm dura esse & impropria, vt vltro quidem confitentur, sed etiam falsa. Necesse etiam, quod omnino metuunt, & cuius detestandi gratia siue αὐτουσίαν siue αὐτοθεότητα excogitauerunt, tres esse deos, nisi ad Sabellianos, vt sæpè faciunt, malunt transire. Nam, vt ex Tertulliano & Hilario suprà docuimus, qui tres ἀγεννήτους facit, tres inducit deos. Nec elabuntur, quando aiunt, Christum quidem natum ratione personæ, cùm intereà ratione diuinitatis à se ipso obtineat essentiam. Nam qui ita respondent, in profundiorem impietatis scrobem se dant præcipites. Primùm, vt missum faciam clarissimum dictum Au-*

gustini, Nō est aliud Deum, aliud personam esse, sed idem omnino, fatentur Christum respectu suæ personæ non esse Deum. Deinde τὸ πρᾶγμα distinguunt Personam ab essentia diuina, ac faciunt Filium Dei compositum è duobus reipsa differentibus, quorum vnum sit natum, alterum innatum. Atqui Deo, diuináve hypostasi nihil esse, dici, cogitari potest simplicius. Personæ enim notatio, nihil diuinæ substantiæ; quod ab ipsa re vera distinctum sit, addit, nihil adducit compositionis. Et vt persona ab essentia aliquo modulo, qui ab scholasticis appellatur modus rationis, discernatur, non tamē discrimen est tantū, quin ex illis vnum suppositum constitui possit, seruata illæsáque Dei simplicitate. Id ex nobis sanè potest intelligi, in quibus inter nostram personā & essentiām hoc vnum interest, quòd nuda mentis contemplatio atque intelligentia efformat. Per essentiam intelligimus naturam rei cū suis facultatibus, siue, vt planius declarem, quæ rei naturalia sunt. Per personam id, quod Boëthius ait, intellectualis seu rationalis naturæ indiuiduam subsistentiam. Ita vocabulo Personæ præter essentialia, ratio etiam eius importatur, quod est per se subsistere, cúmque eo nihil significetur amplius, res de qua vtrunque dicitur, vna eadémque prorsum existit. Hæc vt animo facilius comprehendantur, breuiter è prima Philosophia repeto, quæ ad distinctionem rei & rationis faciunt. Re quidpiam spectamus, cùm id ipsum, quod res est, illiúsque οὐσίαν introspicimus. Ratione verò cùm mente & διανοίᾳ causam, rationémque denominationis attendimus. Itaque interdum fit, vt aliquid re sit vnum, quod interim ratione diuersum est. Exempli causa, idem mel dulce est & candidum,

Personam & essentiam tantum ratione distingui.

Boët. lib. de duabus naturis.

diuersis tamen notionibus. Dulce *est, quà gustatum afficit, candidum, quia cãdorem offusum habet.* Idem *re homo & Pater, idem homo & Filius, idem* Deus *& Pater, idem Deus & Filius, etiam si cogitatione differens.* Idcirco *qui diceret Abelem respectu personæ suæ, quatenus ve esset Adami & Euæ filius, procreatum, respectu autem suæ essentiæ, siue quatenus esset* Homo, *fuisse ἀγέννητον, effusissimo cachinno exciperetur. Qui igitur feremus eos, qui Verbi Dei personã numeris omnib⁹ simpliciorẽ aliud, quàm ipsius substãtiam esse sentiunt?* Et certè non potest *animi informatione concipi, quin si Filius est & genitus, acceperit naturam ab eo qui genuit, quíque Pater est, vt vel ipsorum simile ostendit. Aiunt se lubenter vsurpare eam similitudinẽ, quam à* Caluino *magistello suo sæpe audiuerunt.* En *eadem aqua, quæ in scaturigine, in fonte, in riuo est.* Principium *est scaturigo, fons & riuus emanationes quædam, ita tamen, vt si nulla eorum ad scaturiginem fiat comparatio & aquæ οὐσία tantùm spectetur, non minor sit aquæ essentia, quæ in fonte & riuo, quàm quæ in ipsa scaturigine est. Quòd si hæc inter se comparentur, principium est scaturigo, ac maior & superior.* Vbi *etsi illud meritò culpari potest, quòd videantur significare Patrem aliqua comparatione esse maiorem Filio & spiritu, tamen opto, vt in cepta similitudine perseuerent.* Esto *enim nullæ comparationes creaturarum exactè depingere possint tam sublimè mysterium, tamen iuxta modulum intelligentiæ nostræ, quemadmodum fons semper à scaturigine demanat, & ab ea existit, distinguitúrque, non tamen habet aquam, nisi quam haurit ab scaturigine, sic* Filius *à* Patre *semper exit & distinguitur,*

Gallasius lib. de diuina Christi essentia pag. 19.

neque habet substantiam nisi quam accepit à Patre. Quod Verbum Dei & Eccesiæ apertè contestatur.
Dan.7. Daniel apertè scribit, à facie antiqui dierum rapidum & igneum flumen procedere, quod nihil est profectò aliud, quàm pelagus diuinæ essentiæ, quæ est in Patre, plenè redundare in filium, in eúmque dirigi. Apud
Sap.7. Salomonem, Sapientia Dei emanatio est claritatis omnipotẽtis Dei syncera & candor lucis æternæ. Nempe quoniã perinde claritas & gloria filij à Patre omnipotente proficiscitur, atque lux à solis corpore. Et ne iactitent nos allegoriis ludere, Christus apud Ioannem disertè pronuntiat, Patrem, sicut habet vitam in se-
Ioan.5. metipso, sic & dedisse Filio habere vitam, in semetipso. Vt enim in eo quod affirmat se habere vitam in semetipso, declarat suum esse, substantiámque suam diuinam sibi inesse naturaliter, ita dum illa fatetur sibi data, monstrat suam vitam à Patre procedere. Apud
Ioan.6. eundem, Ego viuo propter Patrẽ, &, Ego scio eum,
Ioan.7. quia ab ipso sum, &, Quod Pater dedit mihi,
Ioan.10. maius omnibus est, hísque similia nihil possunt declarare, nisi diuinam naturam siue essentiam, quæ sola excellit, maiórq; extat rebus cæteris, à Patre tributam esse Filio. Quibus hæc quoque congruunt, Dedisti
Ioan.17. mihi, ô Pater, claritatem (quia dilexisti me) ante constitutionem mundi. Nam parenthesim ibi esse, & Dare claritatem, iungi cum, Ante constitutionem mundi, perspicuum est è capitis initio, vbi Christus orans, Nunc, inquit, Clarifica me tu Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, prius quàm mundus fieret apud te. Alibi etiã vniuersa quæ ha-
Ioan.8. bet, se à Patre accepisse, itémq; se, quãtus quãtus est, ex Deo processisse gloriatur. Proinde Florens Tertullia-

nus scriptor vetustißimus libro de Trinitate, pagina operum 268 asseuerat Filio diuinitatem traditam atque porrectam. Hæc enim eius verba sunt, Deus quidẽ ostenditur Filius, cui diuinitas tradita atque porrecta conspicitur. Ignatius vno sæculo antiquior epistola ad Magnesianos nihil aliud significat, cùm Filii οὐσίαν dicit γνησίαν. Quod cum Dionysio Areopagita scripsit, apud quem reperias πηγαίαν θεότητα εἶναι τὸν πατέρα. Quocirca Augustinus sanctè inuocat Patrem vt ὂν à se, Filium vt ὂν ab altero, Spiritum sanctum vt ὂν ab vtroque. Vocabulo enim Græco breuiter indicare voluit, quod prolixè in Ioannis Euangelium tractauerat, quod elegantißimis verbis in libris de Trinitate expresserat. Filius non hoc tantùm habet nascendo, vt sit Filius, sed vt omnino sit. *sicut autem Filio* præstat essentiam *de Patre generatio, ita spiritui sancto de vtroque proceßio. Atque hæc est causa, cur D. Hilarius declarans contra Arianos locum* Marci, Diem illam nesciunt neque angeli, neque Filius, *interpretatur Filium nesciuisse à seipso, sed à Patre, ac hanc esse Patris prærogatiuam, vt sit αὐτόγνωστος.* Nam quemad*modum à Patre habet Filius, vt sit, ita ab eo hausit, sed certè naturaliter scientiam, sapientiam, potentiã, æternitatem, infinitatem, atque reliqua omnia, quæ diuinam essentiam consequi intelliguntur. Omnia enim sua generãdo, illi tribuit Pater, cum essentia quæcunque essentiam circunstant plenißimè transfundẽs. Illud verò est, quod paucis quidem verbis, sed tamen expreßißimis, recordatione etiam dignißimis alibi concepit. Nihil, inquit, nisi natum habet Filius. Ab his non discedens Iustinus Martyr, vbi in expositione fidei secunda statim pagina professus fuisset, εἶναι τοῦ δια-*

Pag. 20.

Pag. 268.

Aug, soliloquiorum cap. 31.

Aug. in Ioan. tract. 31 & 61.

Marc. 13.

Hilari sub principium lib. 4. de Trinit.*

φορὰν τῷ πατρὶ πρὸς τὸν υἱὸν καὶ τὸ πνεῦμα, κατὰ τὸν τῆς ὑπάρξεως τρόπον· τὸ δὲ ταυτὸν, κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον, *subiũgit,* εἰ γὰρ ὁ μὲν ἀγεννήτως ἔχει τὸ εἶναι, ὁ δὲ γεννητῶς, τὸ δὲ ἐκπορευ-
» τῶς, ἐκ τῆς διαφορᾶς ἐπιθεωρεῖσθαι πέφυκε. *Si Pater, in-*
» *quit, innascibiliter habet essentiã, Filius nascibiliter,*
» *Spiritus autem sanctus per processionem, inter eos sanè*
» *distinctionem versari licet cernere. Vbi mihi obserua Iustinum, si vsura solis adhuc frueretur, habiturum Autotheanos pro Sabellianis. Nullam quippe agnoscit distinctionem inter diuinas hypostases, nisi quæ sumi-*
Ruffin. in *tur ex Esse ingenito, genito, & procedenti.* Ruffinus
Sym. to- » in suo Symbolo enarrans articulum, Et in Iesum
mo4. ope » Christum Filium eius vnicum, *tale quidpiam re-*
rũ D. Hie » *fert. Vnicus ergò Filius, cùm sit gloria, sempiternitate,*
ron. » *virtute, regno, potestate, hoc, quod Pater est, omnia ta-*
» *men hæc non sine authore sunt Patre, sed ex Patre tan-*
» *quam Filius habet. Cúmque sit ipse omnium caput,*
» *ipsius tamen caput Pater est, sicut scriptum est, quia ca-*
1.Cor.15. *put Christi Deus est. Hieronymus, quod est mirãdum*
Es.48. *maximè, ex loco Esaiæ, quem insonabant Ariani, & quo se putabant gloriosissimè de Nostris triumphare, id planè colligit. Quod infert Esaias, ait D.Hieronym.* Gloriam meam alteri non dabo, *hoc significat, ne Idola putentur oppressisse populum Dei: vel certè cùm dicit,* Alteri non dabo, *osẽdit se alteri iam dedisse.* Alteri *enim ad distinctionem prioris dicitur. Damascenus, qui omnium accuratissimè tractauit, quæcunque de hoc mysterio cadere queunt in disputationem, idem hacce oratione confirmat.* ὁ υἱὸς ἐκ τοῦ πατρός ἐστι· καὶ πάντα, ὅσα ἔχει ἐξ αὐτοῦ ἔχει. διὸ οὐδὲ δύναται ποιεῖν ἀφ' ἑαυτοῦ
Dam.lib.1. οὐδέν. *Filius ex Patre est, & vniuersa quæ habet, habet*
cap.14. *ex Patre. Vnde nec quicquam ex seipso valet facere.*

Et

Et capite de sancta Triade. πάντα οὖν ὅσα ἔχει ὁ υἱὸς, καὶ τὸ πνεῦμα, ἐκ τοῦ πατρὸς ἔχει, καὶ αὐτὸ τὸ εἶναι. *Quæcunque, inquit, habent Filius, & Spiritus, à Patre habent, ipsum etiam Esse. Athanasius, qui eam ob rem multa ab Arianis sustinuit certamina, Vnigenitum exponit ex essentia Patris genitum, atque hanc vocabuli veram esse definitionem paulò pòst demonstrabimus, etiam si Autotheani canes longè aliud latrent. Ioannes Cassianus, quem æqualem fuisse Chrysostomi historiæ Ecclesiasticæ commemorant, hanc fuisse suorum temporum fidem, non subticet. Dic, rogo, Verbum Patris, responde, quæso virtus & sapientia summi principij, sed tu ipse principium de principio, non duo principia, sed vnum certè principium. Dic Verbum semper manens. Quid enim tam tuum quàm tu? sed tu tuus & non tuus,* quia constat te à teipso non esse *(sicut in multis locis sæpe testaris) sed à Patre, cuius es Verbũ, non sonabile & volatile, sed semper ens, viuens, atque manens.*

Cass. parte prima confeß. Theologicæ.

Quid memorem B. Ambrosium nomen illud, quod cæteris superius à Patre datum Christo scribit Apostolus, dicere donatum Deo, non homini? Ac Patrem ab omni æternitate per generationem tribuisse Filio suo nomen, quod extat supra omne nomen, hoc est, esse Deum per naturam, quoniam genuerit Filium plenum & sibi æqualem Deum? Quid Cyrillum & Augustinum prorsum ostendere Eunomium damnatum hæresis, quòd negaret Verbum Dei esse Filium essentiæ ipsius siue naturæ siue substantiæ, aut vt, horum alter clarius explicat, essentiam ex essentia, sapientiam ex sapientia, lumen ex lumine? Quid Hilarium scribere Manichæorum hæresim esse Deum non procedere ex

Ambr. in c. 2. ad Philip. tom. 4.

Cyril. lib. 1. contra hæreses, 5. & 7.

Aug. lib. 15 de Trinit. cap. 20.

Deo, ne introducatur diuinæ substantiæ partitio? Nónne etiam Patres Niceni, tota Catholica vox, fidei formulam proposuerunt, in qua credendum affirmarēt Christum ex Patre Vnigenitum, id est, vt ipsis continuò interpretari placuit, de substantia Patris genitum? Nónne hæc verba supersint apud Cyrillum Alexandrinum ex concilij plenarij sacro canone, καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ πατρὸς μονογενῆ, τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας αὐτοῦ, θεὸν ἐκ θεοῦ &c. Sed cur in re tam aperta diutius immorer? Quis nescit Maometanos hanc de Deo opinionem contra Christianorum fidem improbè excogitasse? Auicenna Arabs in præiudicium Christiani dogmatis, quod sæpiusculè in Çorano exagitatum legerat, in nominis Dei definitionem αὐτουσίας violenter intulit. Deus, ait, ens est necessariò existens, cuius esse impossibile est, quod sit ab alio, & esse cuiuscunque rei alterius ab eo non prouenit, nisi ab esse ipsius. Quam machinam in Christianos muros fabricatam audi ex Corani calce, Constanter, inquit Maometes, dic illis (Nos puta) Deum vnum esse necessarium omnibus, qui nec genuit, nec generatus est, nec habet quempiam similem. Idem profectò spiritus, ac qui per Maximum Paganum philosophum olim Augustino garriebat, Equidem vnum esse Deum summum, sine initio, sine prole, naturæ ceu Patrem magnum atque magnificum, quis tam demens, tam mente captus neget esse certissimum? Audis omnis generis improbos in eandem impietatis arcem conuenire. I nunc igitur, & cum istis sentiens aude explicare vnigenitum in essentia diuina genitum. Qualis definitio in mentem quidem venit cuidam Ioanni Leoni Nardo, in libro, quem impostorum more se di-

Vigilius in disputatione inter Sabelliū, Photinū, Ariū, & Athanasiū i lectiōe fidei Nicenæ.

AZoara 27 28.29.31. 33.49.53.

Auicenna in tractatu de definitionib⁹ & quæsitis.

AZoara 11.

Epistola 43 inter Augustinianas.

Quid vnigenitus Autotheanis.

ctante Spiritu sancto scripsisse gloriatur. Nos autem, qui Ecclesiam parentem sequimur, Vnigenitum interpretabimur De *siue* ex essentia Patris genitum, *partim ne aliquid ex Sabellio nostra oratio oleat, partim vt significemus Deum Patrem vera prole nullo modo destitui: ac reponemus in Ecclesiæ arcibus anathema, quod olim maiores nostri, teste Coniate, inter cæteras catechetica tabulæ sanctiones statuerant, in Mahometis Deum, quem ille nec genuisse nec genitum sed holosphyron esse blasphemabat. Nicolaúmque Lyranum contraria de scientia Christi asseuerantem approbabimus, inde vt de reliquis, quæ ipsi naturaliter secundum diuinam naturam insunt, coniecturam capiamus. Esaias persona Christi Domini scripserat,* Erigit mane, mane erigit aurem mihi, vt audiã quasi magistros, *Lyranus verò interpretans, Primũ mane, inquit, accipit pro æternitate, in qua Filius habet scientiam diuinam à Patre, & secundum Mane pro instanti incarnationis, in quo habuit scientiam infusam. Vtraque enim est à Patre in Filio secundum duplicem naturam. Nec verò solùm ob aduersam definitionem crasso imperitiæ somno demersos Autotheanos apud mundum testabimur, sed præterea etiam execrabimur, quòd scelus aliud ex alio attrahentes subiungant verba,* Deum de Deo, Deum verum de Deo vero, *quæ tanto sudore aduersus Arianos expugnauimus, impropria esse. Caluinus quidem de hac sanctione concilio Niceno improprietatis* καὶ καταχρήσεως *calumniam intendet, sed Catholici, penes quos disceptandi de controuersiis in Ecclesia excitatis ius semper extitit, absoluent ac propriè locutum iudicabunt. Audiẽs Athanasium in disputatione, quam ha-*

Athan. de Synodis Arimini & Seleuciæ.
Nicetas Coniates in Annal. Manuelis Imp.
Esa. 50.
Cal. pag. 11 præf. lib. de impietate Gẽtilis detecta, & alibi.

Vigilius Martyr in dispu tatione inter Sabellium, Fotinũ, Arium, & Athanasium. » bnit apud Probum iudicem cum Ario, inter cætera » clarè pronuntiantem. Ex scipso, id est, ex eo quod ipse » est, Pater impaßibiliter, indiuisibiliter, incorruptibili- » ter, sine diminutione, sine discißione, sine affluentis co » piæ redundatione, sine vllo paßionis genere ineffabi- » liter Filium genuit. Et idcirco fatemur vnius esse sub- » stantiæ, quia non aliunde, non ex nihilo, non ex sub- » iacentibus, vel præcedentibus materiarum qualitati- » bus, sed propriè (Arrigite aures impij) propriè, inquã, » Deum de Deo, lumen de lumine, virtutem de virtute, » sapientiam de sapientia fideliter extitisse confitemur.

Et aliquot pòst paginis de Fotino, cui hac quidem in » re suffragari Arium queritur. Nam qui & ipse cùm » Filium Dei de Patre genitum abnegaret, atque talibus » testimoniorum documentis coarctaretur, quibus luce » clarius demonstratur Filium Dei Deum verè & pro- » priè (Auditisne) de Patris substantia genitum, illuc » impietatis suæ molimina vertit, vt Filium assereret » natum per adoptionis gratiam. Suscribet Epiphanius, » qui in Panario contra Semiarianos sic posuit. Illud,

Ps.101. » quod à Patre dictum est, In splendoribus sanctorum. » ex vtero ante luciferum genui te, necessario est dictũ, » vt à communione creaturarum Filium abduceret Pa- » tris natum ex se & propriè genitum, per nomen » ventris Filium docentis. Quemadmodum consimili-

Prou.8. » ter postquã & Filius dixit, Dominus creauit me, » vt insignem eius ad reliqua creata consideraremus » naturam, necessariò intulit, Ante omnes colles ge » nuerat me nobis verè piam & impatibilem ex » Deo Patre filialitatis suæ astruens cogitationem. Et » in compendio Catholicæ fidei. Enimuerò vnica co- » lumba & virgo sancta (Ecclesia) Deum confitetur

Patrem & Filium & spiritum sanctum, Patrem perfectum, Filium perfectum, spiritum sanctum perfectũ, consubstantialem Trinitatem, non commixtam, sed Filium ex Patre verè genitum, & spiritum s. non alienum à Patre & Filio, semper existentem Trinitatem & nunquam additionis indigam, neque habentem quidquam in se, quod se submittat, in vnam verò vnitatem & vnum principium Dei & Patris referendam. suum adiiciens calculum Cyrillus, Patris Filiiq; Cyril. lib. 2
ὁμοουσιότητα dicet alioqui constare non posse, Quomodo, inquiet, verè Filius erit, qui non ex substantia Thesau. c. 2
Patris emanat. sed verè Filius est, consubstantialis ergò etiam est. Eadem enim natura genitoris & geniti inuenitur. Hilarius symbolum Arianorum impie & sophistice scriptum euoluens integrum librum sextum de Trinitate proponet, vt Christum vere & natura Filium Dei esse ostendat. Ac profectò nisi res ita sese haberet, summa esset personarum confusio, summa permixtio, quippe cùm earum distinctio nulla mentis acie poßit apprehendi, nisi quia Pater vere propriéque sit gignens, Filius vere propriéque genitus, spiritus s. proprie & vere procedens. Imò verò non aliunde, quàm ex emanationum varietate atque proprietate pendet ipsorum communis essentia siue ὁμοουσιότης, quemadmodum & consanguinitatem inter homines non nisi ex propria ac vera propagatione videmus existere. Quod enim in hominibus habetur consanguinitas, id propemodum communem essentiam seu consubstantialitatem in Deo appellamus. Quanto igitur melius noster D. Thomas opusculo nono, quod inscribitur, De articulis centum & octo sumptis ex opere Petri de Tarantasio, quæstione vndecima de hac quæ-

ſtione ſic cenſuit. Male dictum eſt, quantum ad id, quod dicitur, Deum de Deo improprie dici. Eſt enim hæc propria, Deus de Deo, ſicut & hæc, Deus genuit Deum, vt ipſemet determinat in quarta diſtinctione. Vnde arbitror ex errore ſcriptoris accidiſſe. O pium D. Thomæ animum! Mauult ſibi perſuadere librarium id de ſuo addidiſſe, quàm Tarantaſium eo viiij fuiſſe prouectum.

Arg. tria Autotheanorũ, quibus Chriſtũ à ſe obtinere eſſentiã concludũt.

Extra de ſumma Trinit. cap. dãnamus.

Atenim, inquis, diuina eſſentia nec genuit, nec genita eſt. Nam illud etiam in libris pontificiis contra Ioachimum Abbatem ſancitum legitur. ſed heus, bone vir, quemadmodum nec mentem decreti, ita nec eius cauſam intelligis, cùm tamen hæ præcipuæ ſint recludendarum talium difficultatum claues. Ioachimus Abbas, cùm arbitraretur Patrem, Filium, & ſpiritum S. non vera vnione, ſed tantùm collectitia vnã eſſe ſubſtantiam, reprehendebat Petrum Lombardum, qui vt veram, indifferentémque Trium vnitatem explicaret, docebat diuinam eſſentiam neque generare, neque generari, neque procedere. Concilium, ex quo Canonem in ſuum librum Gregorius Pontifex retulit, cùm prius vero repugnans cerneret, vt ante ſuo loco tractauimus, vtrumque in Ioachimo ſimul maluit cõfodi, quàm errati huius ſupereſſe reliquias. ſic enim prius abſolute falſum erat, vt poſterius non careret reprehenſione, præſertim cùm citra circunſcriptionem adhiberetur ad alterum confirmandum. Et certe proprie non τῇ φύσει, ſed ταῖς ὑποστάσεσι, teſtante alicubi Ariſtotele, actiones conueniunt. Quoniam enim φύσις per ſe indefinita eſt ad plures hypoſtaſes, ſi ſubſtantia diuina ſuapte vi generaret, vtique Filius & ſpiritus S. qui integram ſolidámque naturam diuinam comple-

Actiones ſũt proprie ſuppoſitorum.

ctuntur, generarent, vt ex rebus procreatis, quas sensibus vsurpamus, apparet manifestissimè. In illis sanè indiuiduum, non item natura procreat, atque inde, vt rectè colligit Damascenus, *cuiusque speciei prima ingenita quondam fuêre, & hodie plerique sterilia existunt. Quemadmodum igitur ineptus sit, qui proptereà animantes progenitas sortiri essentiam à matricibus velit inficiari, sic capitur mente, qui inde contendit* Filium Dei *à* Patre *nos adipisci substantiam.* Nam *vt affirmatur essentia, sumpta simpliciter, impos generationis, ita vicißim illius compos esse conceditur, cùm consideratur, vt τὸ τὶ.* Verùm *ne tantùm ex meo sensu hæc* Canonis *interpretatio deprompta videatur, age in obsequium vocemus* Franciscum Maronem Scholiasten *librorum* Augustini *de* Trinitate *egregiũ.* Augustinus *quidem ita scripserat.* Eunomius *hæreticus, cùm nõ potuisset intelligere, nec credere voluisset,* Vnigenitum Dei *verbum, per quod facta sunt omnia,* Filium Dei *esse natura, hoc est, de substantia* Patris *genitum, nõ naturæ, vel substantiæ suæ, vel essentiæ dixit esse* Filium, *sed* Filium *voluntatis* Dei. Ad *ista verò interpres,* Intelligendum *est, ait, quòd cùm de ista quæstione fuerit controuersum inter* Magistrum Sententiarum, *&* Richardum *de* S. Victore, *&* Magister *negauerit essentiam gignere, &* Richardus *affirmauerit,* Augustinus *magis pendet in partem* Richardi. Quia *tamen* Abbas Ioachim. *sequens* Richardum, *inseruit errorem contra vnitatem deitatis, ponens ipsam collectam in tribus personis, positio* Richardi *in tribus personis passa est detrimentum, in capitulo, firmiter credimus.* Vnde *accipitur documentum, quòd adiungens errorem alicui opinioni susceptibili,*

Dam. lib. 4 de orth. c. 8

Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 20.

Rich. lib. 6 de Trinit. cap. 22.

Extra de sum. Trin. & fide Catholica.

ipsam dissipat ex adiunctione. Taceo aliorum scholasticorum interpretationes, quarum nulla, siue doceat essentiam nō esse extremum generationis, siue de duobus generibus principiorum Quo & Quod philosophetur, quicquam pro istis facit, aut absolutè concedit essentiam neque gigni neque gignere. Et idcirco intempestiua est Autotheanorum exclamatio Patrem hoc pacto fore essentiatorem, Filium essentiatum. Fateor quidem parum aptè pro mysterio hæc excogitata vocabula, verumtamen si in huiusmodi nihil serpentis latet, sed simpliciter enuntiant Patrem à nullo esse, Filium esse à Patre, nihil habent, cur ad rauim vsque hîc vociferentur. Nam & Græcos his planè vsos comperient.

Euſ. lib. 1. Hiſt. Eccle. cap. 4.

Legent apud Eusebium Cæsariensem, si modò eius literaturam sustinere possunt, Christum ante Luciferum à Deo genitum, τουτέστι, πρὸ τῆς τοῦ κόσμου συστάσεως οὐσιωμένον, ἀθάνατον δὲ καὶ ἀγήρω τὴν ἱερωσύνην εἰς τὸν ἄπειρον αἰῶνα διακατέχοντα, id est, ante mundi constitutionem Essentiatum, immortalem autem & expers senij sacerdotium in infinitum æuum obtinētem.

Pag, 221.

Legent apud Pachymerem interpretem Dionysii satis vetustū, υἱοῦ δὲ πνεῦμα, ὡς συνουσιωμένον καὶ ἴδιον αὐτοῦ. spiritus est spiritus Filij, quòd simul Essentiatus, propriúsque ipsius existat.

Dionyſ. de diui. nominib. cap. 2.

Legent & D. Dionysiū in hoc sacramento vsurpasse vocabulum τὸ οὐσιοῦσθαι, adiunxisse præterea patrem esse αἴτιον, Filium autem & Spiritum αἰτιατά, quasi causata.

Arg. 2. Autotheanorū

יהוה

Rom. 1.

Apoc. 1.

Obiiciunt deinde nomen ἄρρητον Iehué commune esse Filio & Spiritui cum Patre. Nam locum Esaiæ, Viuo ego, dicit Iehué, mihi flectetur omne genu, Paulus Christo adaptat, & ne similibus testimoniis percensendis infinitus sim, Ioannes in Apocalypsi disertè

circumſcriptionem eius ad Chriſtum reſtringit, ὡδὲ λέγει ὁ ὤν, ὁ ζῶν, ὁ ἐρχόμενος, ὁ παντοκράτωρ. Vox enim יהוה *ab eo quod eſt eſſe ſignificationem adipiſcitur. Ac iſta quidem, vt certiſsima ſint, tamen non efficiunt, quin Chriſtum ſemper eſſentiam à Patre conſequi intelligatur. Nomen quippe tetragrammaton, quantumuis ab* הוה, fuit, *deducatur, non commeat vltro citróq; cum Græco αὐτόθεος, ſed ſignificat id quod ſemper verè, propriè, naturaliter neceſſariò exiſtit, à quo cætera eſſentiam obtinēt, cuius comparatione reliqua ne quidem ſunt per vmbram. Itaque commune eſt tribus ſanctis hypoſtaſibus, præſertim cùm Filius & Spiritus S. tam verè, tam propriè, tam naturaliter, tam neceſſariò, tam ab æterno exiſtant, quàm Pater, ac æquè eſſentiam vniuerſis præbeant. Id quidem, quod ſeipſo eſt, id eſt, Patris eſſentiam, quæ ſeipſa eſt, poſſident, ſed nō à ſeipſis. Plurimum autem diſtat, eo, quod ſeipſo conſiſtit, participare, aliud illud à ſeipſo participare. Neque intereà ab ipſo pendent, ſicuti pendent à Deo creaturæ, quia naturaliter, neceſſarióque ſubſiſtunt, creaturæ autem Deo egent, vt ſe ſuúmque ſtatum tueantur, vt ſint, vt viuant, vt moueantur, vt verbo virtutis ipſius portentur. Habent eſſe contingens, nouum, vanum, caducum, fluens, temporarium, in participatione poſitum. Itaque quamuis ab æterno producti fuerunt à Patre & illa productione, vniuerſa à Patre adepti ſint, in ſe tamen poſteà conſiſtunt, ſeſe proprio nutu ſubſtinent, Patris ope non indigent ad ſe tuēdum, ſuáque conſeruanda. Atque ea eſt apud Græcos, quicquid aliud iſti comminiſcantur, vis nominis αὐτόθεος. Nam αὐτὸ ſiue in compoſitione ſiue extrà, nihil aliud ferè notat, quàm propriè, per ſe, καθ᾽ ἑαυτὸ, ſicuti*

Nomen Iehoua nō ſignificat qđ à ſe eſt, vt putauit Caluinus lib.1. Inſti. cap.13. Num.23.

Plato docet, apud quem, vt alicubi meminit Aristoteles, αὐτὸ τὸ ἀγαθὸν seu αὐτοαγαθὸν declarat, verum solidum quodque per se est bonum, *αὐτοτρίγωνον* verum & exactum triangulum. *Atque hoc sensu Dionysius noster Areopagita è schola Platonica ad Christianam à Deo accersitus infinita similia in suis libris format, ac eum æmulatus Epiphanius in confutatione hæresis Arianæ Filium Dei asserit præditum diuinitate, quæ obtineat τὸ αὐτοδεδοξασμένον, καὶ τὸ αὐτοτέλειον,* id quod per se glorificabile, & quod per se absolutum perfectúmque est. *Nec illum veretur nuncupare αὐτόθεον (eo enim vocabulo primus, quod sciam, vsus est) siue quia propriè & per se Deus est, siue quoniã Patri est tum ἰσόθεος, tum ὁμόθεος, quas duas voces ad idem demonstrandum Gregorius Theologus non minus eleganter, quàm feliciter conflauit. Si igitur in hoc volunt consistere, vltro eos in societatis dexteram recipimus, ac fatemur cum B. Maximo præclaro Dionysii scholiaste αὐτοθεότητα (substantiuum enim aliquoties vsurpat) tum coniunctim, tum diuisim nos Personis tribuere. Sin malunt reciprocari cum suo αὐτουσίῳ, quod à se essentiam habere interpretantur, ne stomachentur, si veritatis, conscientiæque vi ipsis cogimur nuntium remittere. Ea enim notione proprium est solius Patris, neque aliis personis aßignari potest, idem quod ingenitum, quod innatum, quod principiũ sine principio, & si qua alia sunt vocabula, quæ de Patre, eius quasi characteristico, Maiores vsurpare cõsueuerunt. Quamquam fortasse ne eo quidem sensu de Patre certè enuntiabitur, quippe qui à nullo sit, nec se ipse genuerit, ac potius, vt in explanatione Symboli Athanasiani disputabimus, seipso quàm à se existere*

Epiph. sub finem lib. 2. Panarij.

dicendus videatur. Scio equidem in Sybillinis Oraculis, Deum pronuntiatum αὐτοφυῆ & αὐτογενῆ, verùm voces interpretatione aliqua emolliendæ sunt, ne ruamus in præcipitium Cœlij Lactantij, qui pudendo errore Deum se procreasse atque fecisse non dubitauit scribere.

Lact. lib. 1. Inst. diu. cap. 7.

Obiter autem, dum transeo ad aliud argumentum, mihi monendi sunt isti, vt nomen Dei tetragrammatô, cuius vis alioqui pro dignitate nequit explicari, quantumuis ad id modò duodecim, modò quadraginta duas literas, vt meminit Moses Ægyptius, adhibeant Cabbalici, reuerentius habeant, néve in Iouem Gentilium, cuius recordatio de cœli concauo multo Martyrum nostrorum sanguine dudum sublata est, ridiculè impudentérque transforment. Sibi videntur præclarè loqui de summo numine, si ipsum nouo & nunquam apud pios ante hos paucos annos audito Iouæ vocabulo insigniant. Quin etiam allegant, si Deo placet, quatuor elementis Hebraicis יהוה tria puncta appingi, quæ si in vnum construantur, omninò Ioua efficiant. Atqui debuerant non obliuisci cum punctis etiam nominis Elohim יהוה crebriusculè occurrere, & quemadmodum ineptus haberetur, qui illis locis Ioui pronuntiaret, ad hunc quoque modum insulsos esse, qui sibi Ioua propter punctorum Masoreticorum præsentiam occinendum aliquando putauerint. Puncta certè mutuo sumpta sunt, vel ab Adonai, vel ab Elohim, per quorum alterum nomen ἀνεκφώνητον Hebræi solent legere, siue quia singulari illius veneratione tanguntur, siue quoniam à Maioribus, quorum institutis inhærent superstitiosissimè, ita acceperunt. Neque negari potest, quin veteres omnes à primis Patrum

De nomine Tetragrammato.

R. Mose lib. 1. More c. 60. 61. 62.

Sanctes Paguinus primus cõfinxit vocem Iehoua.

Loca numerãtur Gen. 15. in magna Masora.

Quare Hebræi non legũt nomen Tetrag.

tioni tradita. Itaque si legendum nobis est & solui volumus Iudæorum veteri religione, quibus hoc pronuntiare extra illa tempora & locum semper metus fuit, lectio non aliunde nobis petenda est, quàm ab ipso Mose, cui primùm tam præclari vocabuli facta est reuelatio. Ei à domino, quod nomen ipsi esset percontanti, responsum est, אהיה Ehié, qui sum. Ehié misit me ad vos. Deus quia loquebatur, prima persona vsus est. Moses cùm rem ad Pharaonem, populúmque deferret, mentem quidem retinuit, verbum autem per tertiam expreßit. Quid ita? Quoniam domini, vt absentis memoriam faciebat, quod omnibus aliena mandata referentibus perquàm familiare est. Cùm igitur Deus loquitur, Ehié, peculiare illi nomen est, cùm de Deo alter יהוה aut יהיה Iehué aut Iihié. Nihil enim interest, vtrum dicas, cùm præsertim הוה & היה, à quibus hæc futura creantur, idem valeant, nisi quòd hîc vox Iehué δι' εὐφωνίας ἕνεκα vsitata est. Addo spiritu sancto perflatum Mosem, à quo ad cæteros sacros scriptores manauit Dei hæc nuncupatio, salua domini sententia, τὸ ῥῆμα potuisse submutare εἰς ὄνομα τὸ ἴδιον. Nã Iehué nomen proprium censeri potest, sonans Essentium, si ita fas interpretari, cui more Hebraïco Iod præpositum sit, ad proprij formationem, vt in Isaac, Iacob, Iezrael atque similibus: Importans verò, vti videmus propria plurima penitius in naturas rerum ingredi, infinitatem essentiæ diuinæ, in qua radices agunt quotquot diuina attributa appellantur, quam Pelagus substantiæ infinitæ D. Damascenus nominat. Hãc autem natiuam esse lectionem deprehẽditur è B. Hieronymi de decem diuinis nominibus opusculo ad Marcellam, Isidori Hispalensis Etymologiis, commen-

Quid nomẽ Tetrag. propriè significet.

Ehié & Iehué vnũ è 10. nominib⁹ diuinis.

Isid. lib. 7. Etym. c. 1.

Abbas Ioachim. in 1. Apocal.

tariis Ioachimi Abbatis, in Ioannis Apocalypſim, quos abhinc quadringentos propè annos ſcripſit, vbi etiam adiicit illam ad myſterium ſacræ Triadis declarandũ plurimùm conducere. Deprehenditur & è Theodorito, qui in Polymorpho ſcribit nomen Dei proprium, quod αἰσχφώνητον extaret apud Hebræos Samaritas legiſſe ἰαβαί. Minore religione erga illud afficiebantur, neque reformidabant germanam eius vocem, quam à

4. Reg. 19.

Leuita doctore ſibi ab Aſſyriis olim miſſo acceperant, ore terere, ſicque eam ad nos, quibus alioqui non ſatis fuiſſet cognita, propter Iudæorum nimiam ſuperſtitionem, tranſmittere. Vnde & in Epitome diuinorum dogmatum idem ſcriptum reliquit, ὁ αἰσχφώνητον τὴν παρ' ἑβραίοις, σαμαρεῖται ἰαβαὶ αὐτὸ λέγουσιν ἀγνοοῦντες τὴν τοῦ ῥήματος δύναμιν. Scio interim apud Macrobium inueniri nomen ἰάω, quod à Paganis è nudis literis lectionem qualemcumque augurantibus videatur confictum,

Macro. lib. 1. Satur. cap. 18.

φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν ἰάω.

Summum cunctorum diuûm tu dicito Iao:

Diod. lib. 1. Bibliothecæ. Clemẽs lib. 5. Stromat. Aug. lib. 1. de conſen. Euãg. c. 22. & 23. & de Ciuit. li. 6. c. 6. & lib. 7. c. 5.

Ac Diodorum Siculum prodidiſſe Moſem ab Iao, quem Iudæi inuocarent, ſuas leges concepiſſe, ídque videri præbuiſſe anſam D. Hieronymo, vt in octauum Pſalmum, niſi locus corruptus ſit, nomen Tetragrammaton ita cenſeret pronuntiandum, inſerta ex Hebraico aſpiratione, Iaho, Clementi autem, vt obſeruitaret illud idem ſonare ἰαόν. Varronem quoque ſcio, vti meminit Auguſtinus, Deum Iudæorum Iouem, quo nihil ſuperius Romani colerent, exiſtimauiſſe. Verùm hæ erant fraudes, hi aſtus, hæc retia Satanæ, qui veris fabulas aſpergere conatus eſt, vt melius falleret ſtabilirétque ſuos cultus impios, religionibus omnium popu-

lorum nominum quadam affinitate conturbatis atq; commixtis. Sed hæc præter institutum hactenus disputata sint.

Venio ad Achillem, quem sibi ingeniosè contra diuinam Filij Dei generationem videtur erexisse. si Christus à Patre obtineret essentiam, esset precariò Deus. Tali enim è iure ciuili petita locutione in re seria ludunt, nec quid per eam putent effici, satis explicant. Quasi verò precarium non dicatur & de prece & de eo quod commodatur ad nutum, quod vtrumque hac in quæstione absurdissimè dicitur. Quî enim aliquis obtinens ab aliquo substantiam, eam vel prece, vel qualicunque accommodatione potest accipere, cùm nondum in rerum natura subsistat, illam vt valeat, vel deprecari vel commodato adipisci? Verùm, esto, hac formula nihil aliud declarent, quàm quòd dono & munere Filius Dei nancisceretur essentiam, ídne, quæso, ex eo sequitur, quod ex Patre asseratur genitus. Isaac igitur, quia essentiam ab Abrahamo Patre consecutus est, aut, vt isti loquuntur, mutuatus, homo erat factitius, non verus, non proprius, non naturalis? Decipiuntur ambiguitate vocabuli, neque cernunt aliud longe esse dare siue precariò siue largitione, aliud dare naturaliter. Filio à Patre datur substantia, id est, communicatur, impertitur, tribuitur necessariò naturalitérque. Munere quidpiam amicus amico dat, id est, quadam animi beneuolentia largitur munus, quod sibi retinere potuerat. Eædémne tibi videntur donationes, cùm hæc sit voluntatis, illa naturæ opus? Quantò præclarius Theophylactus Bulgariæ pontifex in istud Ioannis, Ergo rex es tu, ὅταν, ait, ἀκούῃς ὅτι ζωὴν δέδωκε τῷ υἱῷ ὁ πατὴρ, καὶ κρίσιν καὶ τὰ ἄλλα πάντα, οὕτω νόει,

Tertiũ Argum. & postremũ Autotheanorum.

Ioan. 18.

τὸ ἔδωκεν ἀντὶ τοῦ ἐγέννησεν αὐτὸν, ὥστε ἔχειν ζωήν, οὐσίαν, καὶ κρίσιν, καὶ φυσικῶς ταῦτα πάντα προσεῖναι τῷ υἱῷ ἐκ πατρός. *Cùm audis, quod* Pater dedit vitam Filio, *& indicium & cætera omnia, sic accipe.* Dedit, *hoc est, genuit ipsum, ita vt habeat vitam, essentiam, & iudicium, atque naturaliter hæc omnia adsint Filio ex Patre. Quid dici potuit explicatius? quid ad præsentem distinctionem congruentius? Quid clarius potuit ostendere Filium ab alio accipere diuinitatem, sapientiam, bonitatem, quæcunque denique similia, neque intereà errare Maiorum aliquos, qui vt Filij Spiritúsve cum Patre* ὁμοιουσιότητα *demonstrarent, probabant non aliũde hæc eis inesse? Spiritus sanctus, inquit Didymus,*

Didymus sub finẽ lib. 1, de spiritu S.

» *non accipiens aliunde sapientiam, dictus est Spiritus* » *sapientiæ. Hoc quippe ipsum quod subsistit, spiritus sa-* » *pientiæ est, & natura eius, nihil est aliud, nisi spiritus veritatis & Spiritus* Dei. *Nam quæ ad hunc sensum tractantur omnia, siue de Filio, siue S. spiritu, qui hac in quæstione etiam communicat, eò tantùm spectant, vt essentiam essentiæque conditiones duabus personis per se, naturaliter, hoc ipso quòd sunt, non participatione, vsque aduentitia inesse intelligamus. Aliunde ergo inesse hîc non significat accipere ab alio siue ab alia persona, sed extrinsecus & ab eo, à quo natura alienum extraneúmq; sit, qua acceptione nulla trium diuinarum hypostaseon quippiam aliunde possidet. At* Angelus *aliunde diuinus est, aliunde sanctus, aliunde sapiens, aliunde bonus. Nempe quoniam diuinitatem, sanctitatem, sapientiam, bonitatem non obtinet naturaliter, neque hoc ipso, quod sit, sed participatione, sed largitione, sed liberalitate Patris, Filij, & spiritus sancti, qui illum his attributionibus, conditionibúsq; ita affecerunt,*

Quo sensu Filius & sp. nigil habẽt aliũde.

affecerunt, vt potuerint non efficere, manente nihilo minus ipsius integritate atq; vera essentia. Finge *Angelum non esse diuinum, non sanctum, non sapientem, certè non magis desinet esse spiritualis natura, quàm satanas, qui lapsu suo harum affectionum iacturam faciens* Angelic*am essentiam non perdidit.* Itaq; *præclarè scripsit* Plato *deos quidem esse indissolubiles & immortales, sed eorum* ἀθανασίαν *esse* ἐπίκλητον. Idem *enim de reliquis attributis, quæ manant ab extrinseco, haud dubiè respondendum innuit.* Quod *vtinam* Autotheani *discernere hîc potuissent.* Nunquam *certè* Filium Dei *argumentati fuissent* Deum *fore precario, si quidem à* Patre *sua consequeretur.* Quoniam *autem error magna ex parte proficiscitur ex ignoratione veræ definitionis hypostaseos, de qua alibi commodius differetur, nunc tantùm mihi videntur commonefaciendi,* Personam *siue hypostasim nescio qua residētia ab ipsis definitam esse, errorem iampridem in* Porretano Pictauiensi Episcopo *à* Catholicis, *qui ad synodū* Rhemensem *ætate* D. Bernardi *conuenerant, proscriptum notatúmque.* Vnde *& authorem, qui hypostaticas proprietates siue relationes, quibus vnius* Personæ *aliæ ab aliis dißident, aßidentes diuinæ substantiæ, nempe extrinsecus quasi aßistentes affixásve, non insistentes insitásque defendebat: hac oratione rectè* Bernardus *coarguit.* Gilbertus Porretanus Episcopus Pictauiensis *super verba* Boëthij *de* Trinitate *commētabatur hoc modo,* Pater est veritas, *id est, verus.* Filius est veritas. *i. verus.* Spiritus S. est veritas. *i. verus.* Et hi tres sunt non tres veritates, sed vna veritas. *i. vnus verus.* O *obscuram peruersámque explanationem.* Quàm *veriùs saniúsque per contrarium*

Plato in Timæo.

Calu. lib. 1. Inst. Gallicarū c. 13. num. 6.

Bernardus serm. 80. in Cantica.

» ita dixisset. Pater est verus, id est, veritas. Filius est verus. i. veritas. Spiritus S. est verus. i. veritas. Et hi tres
» vnus verus. i. vna veritas. Paulò pòst. Dicente authore (Boëthio) Cùm dicitur vnus Deus, Deus pertinet ad substantiam. Noster commentator intulit,
» non quæ est, sed qua est. Quod absit, vt assentiat Catholica Ecclesia, esse videlicet substantiam, vel aliquã omnino rem, qua Deus sit, & quæ non sit Deus. Hæc Bernardina quidem obscura sunt, sed tamen satis perspicuè refellunt Autotheanorum residentiam, quam proculdubiò excogitauerunt, vt aliquid in verbi Dei Persona innatum, aliquid natum reperirent. Sed nihil agunt, quia Persona infert substantiam, ac sufficit, ne dicamus tres deos, siue tres diuinas substantias, quemadmodum asserimus tres Personas, vt Personæ vocabulum præter substantiam, aliam quoque sonet notationem.

Aug. de fide ad Petrum.

Quamuis autem cum Augustino atque adeò Catholica profiteamur Christum Dei Filium, ita verum Deum esse vt diuinitatem eius de natura Patris eius genitam dicere non dubitemus, nihil tamẽ quicquam pro his facimus, qui alia loca Augustini contorquent, vt sapientiam quandam creatam Filio Dei vniant.

Contra nõnullorũ sapientiam creatam.

Certè aliud est essentiam, sapientiam, omnia denique obtinere per æternã natiuitatem, aliud ante sæculorũ circulũ sapientiam, aut aliquid aliud habere procreatum. Cui si assentiuntur, & nihilo minus in verbo Dei ponunt sapientiam geminam, vnam increatam, alteram creatam, vnam semper alteram aliquot sæculis, Angelorum æuum excedentem, quis, cedo, procreatæ vsus erat, cùm increata ad omnia plus satis semper fuerit actuosa & efficax? Præterea persona verbi an-

te carnis dispensationem simplex fuit semper habita, quid igitur attinet aliquid ei creatum superaddere? Postremò scripturæ clamant in Christo duas duntaxat esse naturas, quarum vnam ex tempore assumpserit in vtero virgineo, alteram ab omni æternitate ex Patre habuerit. Nec Augustinus, quem sui erroris patronum habere gloriantur, diuersum vspiam significat. locus, quem in suam sententiam è libro confeßionum lib.12. cap.
» trahunt, est huiuscemodi. An illud negatis sublimem 15.
» quandam esse creaturam tam casto amore cohærētem
» Deo vero & verè æterno, vt quamuis ei coæterna non
» sit, in illam tamen temporum varietatem & vicißitu-
» dinem ab illo se resoluat ac defluat, sed in eius solius
» veracißima contemplatione requiescat? Quoniam tu
» Deus diligenti te, quantum præcipis, ostendis ei te &
» sufficis ei, & ideo non declinat à ne cad se. Hæc est
» domus Dei non terrena, neque vlla cælesti mole cor-
» porea, sed spiritualis & particeps æternitatis tuæ,
» quia sine labe in æternum. Statuisti enim eam in sæcu-
» lum & in sæculum sæculi, præceptum posuisti & non
» præteribit. Nec tamen tibi Deo coæterno, quo-
» niam non sine initio, facta est enim. Nam etsi
» non inuenimus tempus ante illam, Prior quip-
» pe omnium creata est sapientia, nec vtique illa
» sapientia tibi Deus noster Patri suo planè coæ-
» terna & coæqualis, & per quam creata sunt o-
» mnia, & in quo principio fecisti cælum & ter-
» ram, sed profectò sapientia, quæ creata est, in-
» tellectualis natura scilicet, quæ contemplatio-
» ne luminis lumen est. Dicitur enim & ipsa,
» quamuis creata, sapientia. Sed quantum interest
» inter lumen, quod illuminat & quod illuminatur,

tantum inter sapiẽtiam, quæ creat, & istam quæ creata est. Et cætera. In istis enim nodus est. *Quæ autem à duodecimo capite antecesserunt, quæq; post hoc consequuntur, nullam habent obscuritatem, sed perspicuè ad Angelicam naturam, quam* sapientiam creatam & domum Dei *more suo hic vocat Augustinus, pertinent. sic enim loquitur libri primi de Genesi ad literam, capite 17. & libro quarto eiusdem operis cap. 24. Angeli, inquit, verbo eius vnigenito perfruuntur, in quibus* prima omnium creata est sapientia. *Et libri quinti capite decimonono Angelos vocabulo domus & ciuitatis afficit. Nuncij autem (hæc eius sunt verba) Græcè Angeli dicuntur, quo nomine generali* vniuersa illa superna ciuitas *nuncupatur. Nimius sim in re præsertim tam aperta, si huc velim congerere, quæ ad id referantur omnia, ex ipsius Meditationibus & soliloquiis. Libri sunt in manibus. Quod ergo hæc, quæ paulo ante protuli, alio videntur spectare, facit* ἔκλειψις *verbi substantiui, quod si additur è libro Meditationum, in quo totidem verbis & aliquantò planioribus repetuntur, nihil hoc in loco remanebit scrupi. Ait igitur Augustinus. Prior omnium creata est sapientia (i. Angelica natura) Nec vtique illa (est, quæ) tibi Deus Patri suo planè coæterna & coæqualis (est) id est, hæc sapientia non est Christus, qui sapientia est increata, & per quam creata sunt omnia, & in quo principio fecisti cælum & terram, sed profectò (est) sapientia, quæ creata est intellectualis natura, &c. Quis adeò cæcus est, vt non cernat Augustinum intellectualem, siue Angelicam naturam affirmare creatã esse sapientiam, increatam essè inficiari. Vrgent quidem sententiam Ecclesiastici, sed quàm improbè Ban-*

Lib. Medit. cap. 19. tom. 6.

Eccli. 1.

dinus mediæ ætatis Theologus, à quo sententias suas hausisse Petrum Lombardum non iniuria pleriq; autumant, iam olim vidit. Quod scriptum est, ait, Primò omnium creata est sapientia: de natura angelica necesse est intelligatur, quæ sæpe vita, sapientia & lux in scripturis dicitur. Sapientia quippe Dei, quæ ipse est Deus, increata est. Deinde soluit, quæ isti possent opponere. Sed quo modo hoc est, cùm alibi scriptura dicit, In principio creauit Deus cœlum & terram. Et initio tu domine terram fundasti. Profectò si initio terram creauit, ante eam nihil factum est. Quòd si Angelus primò omnium, tunc & ante terram factus esse probatur. Sed respondendum primò omnium creatam esse sapientiam, quia etsi non tempore, præcedit tamen dignitate Angelus. Atque hæc ille ex Augustini perpetuo sensu. Alioqui enim Græci & ex Nostris Hilarius, itémque Hieronymus, verius meo quidem suffragio, Angelos nescio quot sæculis antecessisse rerum corporatarum originem sentientes, habent ad manum solutionem solidiorem, quam afferre non hic fert locus. Nihil quippe facit ad propositam de sapientia creata quæstionem, cùm sufficiat intelligere Augustinum crebrò ita Angelos extulisse, vt deos propemodum fecerit, neque his reformidarit sapientiæ, similiúmq; qualitatum elogia tribuere. Duo, inquit, in Cōfessionibus, principio fecisti ô Domine. Vnum propè te, (Angelum) alterum propè nihil (materiam primam) Restat igitur, vt se aliò conuertant, quandoquidem ipsis nihil hac succedit via. Blaterant Gregorium in Moralibus in Iob suum confirmare inuentum. Equidem diligenter totum illud opus, eóque fine volui, nec tamen quicquam reperi, quod vel exiguam eius suspicionem mo-

Band. lib. 2 sent. dist. 2.

Gen. 1.

Psal. 103.

ueat. Quare aut locum indicent, aut desinant tantæ impietatis calumniam viro sancto struere. Boëthij libellum de Vnitate in ore ferunt. Quæ est hæc impudentia, obsecro? Toto illo, ne verbulum quidem de procreata sapientia. Primam quidem aliquam esse vnitatem ait productam à Deo, per quam materia, quæ suapte natura est dißipabilis, diuidua, & indifferens vna ac intra vnum consistens efficitur. Sed quid hæc ad institutum? Quasi verò obscurum sit formam esse principium vnitatis, quemadmodum materiam diuisionis & multiplicitatis. Adde Boëthium vti erat philosophus, sic stilo philosophico, de illa prima vnitate, quam formam Aristoteles appellat, perinde loqui, atque de Idea Plato, cùm eam velut rem per se extra singula cohærentem contemplatur. Eam verò Filio Dei vnire atque coniungere, ne per somnium quidem Boëthio visum est. Eiusdem est vertiginis, quòd auctor opusculi de causis: & Ricius libro de Agricultura contendunt existere quandam naturam generalem, communémve, quæ sit mundi anima. Garriant illi quicquid fuerit collibitum, non tamen apud sanos obtinebunt vllam aliam naturam res tuentem conseruantémque esse, quàm Deum. Quem si appellant animam mundi aut ineptè faciunt, aut metaphoricè se loqui fateantur necesse est. Primò quia Deo aliquid poneretur perfectius, aliquid absolutius, nempe mundus, cuius partem Deum, vti animam corporis animati, constituunt. Nam totum parte præstabilius est. Deinde mūdus, cuius Deum animam esse somniant, animatus esset, sicque singulas partes haberet animatas, nec dari posset tam minutula mūdi portio, ne lapillus quidem, aut aëris ramentum, quod vacuum existeret anima.

An Deus sit anima mūndi.

Corporis quippe animati ſingulæ partes animatæ ſunt nec eſt tãtulum membrum bruti, hominis, ſtirpis, quod non participet vita, quandiu animam vitæ principium atque fontem colli gratam habet. Sed vt hoc agnoſcamus qualis eſt hæc ratiocinatio, Quædam eſt natura generalis, quædam eſt anima mundi. Ergo quædam prima creatura Filio Dei ante Angelos conditos copulata eſt? *Nunquid hæc mũdi anima potuit eſſe increata, ac idem, quod* Deus? *Pari fatuitate* Cabalici Hebræorum *ad hunc diſputationis campum pertrahuntur. Aiunt quidam animam Meſſiæ primam eſſe creaturarum, ſed quo id faciant ſenſu exponit* R. Dauid Kimhi *in* Eſaiam, R. Dauid *in 22. Eſa.*

ז׳ דברים לדעת רז״ל נבראו קודם שנברא העולם ואלו הן גן עדן ותורה וצדיקים וישראל וכסא כבוד וירושלים ומשיח בן דוד ׃ ואין משמעות הדרש הזה כמו שמבינין אותו המון התלמידין אלא פירוש שעמדו בכרה להבראות קודם שנברא העולם לפי שהדברים האלה הם תכלית בריאת העולם ׃

» *Res ſeptem ſententia doctorum noſtrorum, quorum*
» *fauſtum ſit meminiſſe, procreatæ extiterunt antequàm*
» *conderetur mundus. Nempe hortus* Eden, Lex, *Iuſti,*
» *Iſraëlitæ,* Thronus *gloriæ,* Ieruſalem, *&* Meſſias *filius*
» Dauidis. *Senſus autem huius commentationis non is*
» *eſt, quem vulgus ſtudioſorum exiſtimat.* Nam *tantùm*
» *ſignificare voluerunt, hæc vi atque poteſtate fuiſſe,*

priusquam fabricaretur vniuersitas quòd eiusmodi sint finis, cuius causa mundus extaret conditus. Vnde & R. Abraham *præfans in* Pentateuchum *ridet eos, qui scite dictum maiorum, quo lex asseritur extitisse mille annis ante orbem conditum, allegoricè intelligendum non arbitrarentur.* sic enim *significari legem, cuius promulgatio contigit post multa ab orbe sæcula præcessisse res omnes destinatione artificis.* Præterea, *quod ad vnionem animæ* Christi *pertinet, pridem istā opinionem damnatam prodidit* Ioannes Damascenus. οὐχ, ὥς τινες ψευδηγοροῦσι πρὸ τῆς ἐκ παρθένου σαρκώσεως ὁ νοῦς ἡνώθη τῷ θεῷ λόγῳ, &c, Non, inquit, *vt quidam mentiuntur, ante factam ex virgine incarnationem, animus vnitus est* Deo Verbo.

R. Abr. Aben. Ezra præfat. in Genesim.

Dam. lib. 4 de orth. cap. 7.

Missis igitur istis ad Autotheanos *reuertamur.* Quē*admodum docuimus non effici, vt, si* Christus *à* Patre *per generationem diuinitatem habet, precariò commodatóve sit* Deus, *ita aduersus eos demonstremus receptam in solennibus sacris orationem,* Sancta Trinitas vnus Deus, *neque esse barbaram, neque impropriam, neque rudiusculam.* Primùm *hoc pro suo iure statuunt nulla barbarismi aut* ἀκυρολογίας *allata ratione.* Deinde *annuunt* Trinitariis, *qui solum* Patrem *per* Filium *in* S. Spiritu *implorandum sentiunt.* Quod *proculdubiò à* Lutheri *genio videntur didicisse, qui in* Enchiridio, *quod anno domini* 1543 *edidit, vt nostrorum horaria emendaret, censoria virgula è Germanorum litaniis, hanc precādi formulam summouit penitus.* Postremò *id ad pios à saluberrima inuocatione* S. Triadis, *quasi inutili, aut certè per crassum vulgus imperitúmque in* Ecclesiam *inducta, retrahendos spectare nemo, cui mentis acies minime est erepta, non*

Orationem Sancta Trinitas vnus Deus, nō esse barbarā aut impropriam.

Cal. in præfat. contra Valent. Gētilem & in Epist. ad Polonos.

cernit. Vt igitur me his impiis studiis & conatibus opponam, stans velut murus pro Israël, talem formulam non modò non barbaram & impropriam, verum etiã à cunctis Ecclesiæ sæculis cum summa ouatione vsurpatam, receptam, prædicatam doceo. Augustinus, vt ab illo ordiar, quem cæteris solent ipsi anteponere, Trinitariis quoque hac in disputatione pro scuto aheneo obiicere, epistola ad Dardanum, vbi Deum per cuncta diffusum ostendisset. Ita, inquit, Pater, ita Filius, ita Spiritus sanctus, ita Trinitas vnus Deus. Initio secundi capitis libri primi de Trinitate, adiuuante domino se ait demonstrandum suscipere Trinitatem esse vnum Deum & solum & verum. Hæc enim eius sunt verba, quæ subinde per totum illud opus repetit. In libro de fide ad Petrum Diaconum, Firmißimè tene & nullatenus dubita Patrem, Filium, & spiritũ S. i. Sanctam Trinitatem esse solum naturaliter verum Deum. Et paulò pòst, Firmißimè tene, & nullatenus dubita Sãctam Trinitatem solum verum Deum, sicut æternum. ita solum incommutabilem esse. Quam locutionem non solùm toto illo fidei libro inculcat, sed nec in aliis eius voluminibus vlla occurrit frequentior, nulla crebrior, vt non oriri non poßit ingens admiratio, cur vocetur in disceptationem ab iis, qui Augustinum negotij de Trinitate iudicem inter se & Trinitarios planè constituunt. Quid enim facient de Tertulliano, apud quem phrasi duriore Pater, Filius, Spiritus, Tres hi vnum Deum sistunt? Quid de Græcorum scriptionibus, quæ abundãt huiuscemodi exemplis? Dionysius de diuinis nominibus τρισυπόστατος φύσις ὁ θεός, ter subsistens natura Deus, ἡ τριαδικὴ ἑνάς, terna vnitas, ἑνὰς τρισυπόστατος, vnitas ter

Aug. epist. 57.

Cap. 5.

cap. 7.

Contra Praxeam pag. 430.

Cap. 2.

consistens. Omitto cæteros, ne agrum potentiorem ingrediar, quàm dimetiri poßim. Si respondent se tantùm queri, quòd vocabulum barbarismum sapiat, proindéque sit barbarus, qui Trinitatem Deum vel vocet vel inuocet, magnam inferunt contumeliam eloquentißimo homini D. Hieronymo qui sic sæpe loquitur, & per Homousion Trinitatem alicubi obsecrat Damasum, vt suæ quæstioni satisfaciat. Insigni iniuria afficiunt disertißimos viros Tertullianum, Cyprianum, Arnobium, Lactantium, Optatum, Augustinum. Configunt totam antiquitatem, quæ de Trinitate partim integros libros conscripsit, partim in suis scriptis Trinitatis vocabulum crebra sermocinatione vsurpauit, citra etiam Laurentij Vallæ reprehensionem, imò verò cum ipsius bona venia, licentia, interpretatione, cuius tamen mordax lingua salsò notatur epigrammate.

Vall. Eleg. lib. 3. c. 5.

Posteaquàm manes defunctus Valla petiuit,
Non audet Pluto verba Latina loqui.
Iuppiter hunc supero dignatus honore fuisset,
Censorem linguæ sed timet esse suæ.

Sin totam orationem barbarismi reprehendunt, apud se reputent, num aptè disertéque poßim ad hunc modum ratiocinari, τρεῖς Græcè, Latinè sonat Tres, igitur τριὰς Trinitatem. *Ioannes clamat,* Et hi tres vnum sunt, si tres sunt vnus Deus, sancta igitur Trinitas est vnus Deus. *Nam tres & Trinitas coniugata sunt. Si autem incusant, vt videtur, consuetudinem Christianorum S. Triadem iuxta prædictam formulam implorandam, videant ad quos transfugiunt, à quibus discedant. Nam non tantùm separatim Patrem, Filium & Spiritum, verumetiam coniunctim totam triadem formula, quam Ecclesia præscri-*

1. Ioan. 5.

psit, Sancta Trinitas vnus Deus miserêre nostri, *ritè & salubriter inuocari, Sanctorum, quos vniuersæ religionis habemus auctores, perpetuus vsus argumentum præbet locupletissimum.* Et quamquam id *perspicuè satis è superioribus efficitur: si enim iuxta diuina oracula* Deus *sit inuocandus*, & Trinitas *diuinarum personarum sit ille* Deus, *vti modò confirmaui, & libro secundo examinibus scripturarum euincam, non video quibus spiris aut sinubus serpentes isti elabi possint è manibus.* Attamen, *vt firmius constricti teneantur, quæ fuerit* Ecclesiæ *praxis perennis, agedum dispiciamus.*

Dionysius *magnus, de cuius prima antiquitate siue sit* Areopagita, *siue* Corinthius, *nemo eruditorum vnquam ambegit, vel hoc nomine, quòd sanctos interpretes* Dionysium Alexandrinum, Maximum, Pachy*merem habeat vetustissimos, ita librum de mystica* Theologia *exorditur.* Τριὰς ὑπερούσιε καὶ ὑπέρθεε καὶ ὑπεράγαθε, τῆς χριστιανῶν ἔφορε θεοσοφίας ἴθυνον ἡμᾶς ἐπὶ τὴν τῶν μυστικῶν λογίων ὑπεράγνωστον καὶ ὑπερφαῆ καὶ ἀκροτάτην κορυφὴν, ἔνθα τὰ ἁπλᾶ καὶ ἀπόλυτα καὶ ἄτρεπτα τῆς θεολογίας μυστήρια, κατὰ τὸν ὑπέρφωτον ἐγκεκάλυπται τῆς κρυφιομύστου σιγῆς γνόφον, ἐν τῷ σκοτεινοτάτῳ τὸ ὑπερφανέστατον ὑπερλάμποντα, καὶ ἐν τῷ πάμπαν ἀναφεῖ καὶ ἀοράτῳ τῶν ὑπερκάλων ἀγλαϊῶν, ὑπερπληροῦντα τοὺς ἀνομμάτους νόας.
» Trinitas, *ait, quæ essentiam, diuinitatem, bonitatémq;*
» *transcendis, diuinæ* Christianorum *sapientiæ præses,*
» *dirige nos in id, quod de arcanis oraculis valde in-*
» *comprehensibile est, splendorémque omnem superat,*
» *& in altissimum eorum verticem, vbi simplicia &*
» *soluta & immutabilia* Theologiæ *mysteria in perillu-*
» *stri arcani mysticique silentij caligine abdita sunt, in*

tenebrosissimo loco clarissimam lucem emittentia, & in prorsus intractabili inaspectabiliq; perelegantium radiorum, mirabiliter opplentia mentes oculorum expertes. Hoc non contentus eam omninò inuocandam

Initio cap. 3 *in libro de diuinis nominibus docet.* χρὴ καὶ ἡμᾶς ταῖς εὐχαῖς πρότερον ἐπ' αὐτὴν ὡς ἀγαθαρχίαν, προσανάγεσθαι, καὶ μᾶλλον αὐτῇ πλησιάζοντας ἐν τούτῳ μυεῖσθαι τὰ πανάγαθα δῶρα τὰ περὶ αὐτὴν ἱδρυμένα· καὶ γὰρ αὐτὴ μὲν ἅπασι πάρεστιν, οὐ πάντα δὲ αὐτῇ πάρεστι. τότε δὲ, ὅταν αὐτὴν ἐπικαλώμεθα, πανάγνοις μὲν εὐχαῖς, ἀνεπιθολώτῳ δὲ νῷ, καὶ τῇ πρὸς θείαν ἕνωσιν ἐπιτηδειότητι, τότε καὶ ἡμεῖς αὐτῇ πάρεσμεν. *Oportet enim nos orationibus primùm ad ipsam veluti bonitatis principem prouehi, & propius ad illam accedentes in hoc discere perquàm optima dona ipsi esse circumposita. Nam & ipsa quidem adest omnibus, non autem illi adsunt omnia. Vbi autē ipsam purißimis precibus, defæcatóque animo & ad diuinam vnionem accommodato inuocauerimus, tunc nos illi quoque assumus.* Liber versatur in manibus, è quo cætera, quæ ad hanc pietatem cōstituendam persequi-

Socra. hist. Eccl. lib. 6. cap. 8. tur, decerpi queunt. Ignatius eius suppar non modò sanctam Triadem inuocauit, sed etiam inuocandæ eius ritum suæ Antiochenæ Ecclesiæ tradidit. De illo enim hanc historiam consignauit Socrates. *Ignatius Antiochiæ tertius ab Apostolo Petro episcopus, vnà cum Apostolis aliquando conuersatus, visionem Angelorum per responsorios, hymnos S. Triadem laudantium conspicatus est, & modum visionis Antiochenæ Ecclesiæ præbuit. Vnde & ad vniuersas ecclesias huiusmodi traditio deinceps permanauit. Nulla enim vnquam fuit, quæ hymnum trisagium, vti appellatur à Græcis, ad sacram Triadem solennibus in*

*ſacris non direxerit, quemadmodum probat Damaſce-
nus diuino in opere de fide orthodoxa, & epiſtola;
quæ de Triſagio inſcribitur. Imò verò creditum ſem-
per fuit Cæleſtes Seraphim illius apud Eſaiam fuiſſe* Eſa.6.
*auctores, ac eum hymnum in eccleſia prophetica cœ-
ptum, in Iudaica fuiſſe receptum. Nam Iudæorum Sy-
nagoga etiam nũc hodie bis diebus ſingulis, mane ſci-
licet & veſperi magna religione hunc emodulatur,
ut indicant R. Selomo in ſextum Eſaiæ: & Paulus
Veidnerus libro primo de præcipuis locis fidei, ac con-
firmatur breuiario Hiſpanorum Hebræorum, qui pre-* In breu. Hebræorum
candi rationem veterem in vnũ volumen redegerunt,
quam & Synagogæ ſequuntur per totum Orientem, pag. 54. 58.
magnámque Occidentis partem. Apoſtolica autem nõ 75.
*tantùm in Iacobi, Clementis, Baſilij, Chryſoſtomi, Lati-
norúmque Miſsis repetiuit, verum etiam compluribus
aliis formis omnibus ſimul perſonis. i. Triadi cunctæ
cultus, honores, precéſque adhibuit. In Græcorum ho-
rariis nihil eſt crebrius, nihil frequentius orationibus
ſiue ad S. Trinitatem, ſiue de ſancta Trinitate. Has
vſitatè appellant* τριαδικὰ, *quale nomen hæc præfert
in precationibus, quæ ſubiiciuntur liturgiis Baſilij,
Chryſoſtomi, &* τῶν προηγιασμένων, Τριὰς ἀμέριστε μο-
νὰς, ἡ παντουργὸς καὶ παντοδύναμος, ὁ πατὴρ, ὁ υἱὸς καὶ τὸ ἅ-
γιον πνεῦμα, σὺ θεός μου, καὶ φῶς, καί σε ἀνυμνῶν προσκυνῶ.
*Trias partitionis expers vnitas omnium opifex, omni-
poténſque Pater, Filius & Spiritus ſanctus, tu Deus
meus & lumen, téque celebrans adoro. Et altera,* τὸν
πατέρα καὶ υἱὸν δοξολογοῦμεν, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον λέγον-
τες, Τριὰς ἁγία σῶσον τὰς ψυχὰς ἡμῶν. *Patrem & Filium
gloria afficimus, Spiritum quoque ſanctum dicentes,
Trinitas ſancta ſerua animos noſtros. Ad codicem Ve-*

netianum, si plures desideras. recurre. Nam in ea plurimæ sunt huiusmodi. Ex ὡρολογίῳ *autem has tibi selegimus. Restant enim cæteroqui innumerabiles diuerso tono, concentu, modulatione,* ὕμνοι, *illic, vt vocantur,* τριαδικοί. τριὰς ὁμοούσιε ἀδιαίρετε, μονὰς τρισυπόστατε, καὶ συναΐδιε, σοὶ ὡς θεῷ τῶν ἀγγέλων τὸν ὕμνον κραυγάζομεν, ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος εἶ ὁ θεός. *Ternio coëssentialis indiuidua, vnitas ter subsistens & coæterna tibi velut* Deo *Angelorum hymnum vociferamur,* Sanctus, Sanctus, Sanctus *es* Deus. τῇ ἀπροσίτῳ θεότητι, τῇ ἐν μονάδι τριάδι, τῶν σεραφὶμ τὸν τρισάγιον ἀναπέμποντες αἶνον μετὰ φόβου βοήσωμεν, ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος εἶ ὁ θεός. *Inaccessæ diuinitati,* Triadi, *quæ in vnitate consistit, laudem* Seraphinorum *ter* Sancti *nomen complectentem cum metu conclamemus,* Sanctus, Sanctus, Sanctus *es domine* Deus. δέσποτα θεὲ πάτερ παντοκράτωρ, κύριε μονογενὲς ἰησοῦ χριστὲ καὶ ἅγιον πνεῦμα, μία θεότης, μία δύναμις ἐλέησόν με τὸν ἁμαρτωλόν, καὶ οἷς ἐπίστασαι κρίμασι σῶσόν με τὸν ἀνάξιον δοῦλόν σου, ὅτι εὐλογητὸς εἶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν. Domine Deus Pater *omnipotens,* Domine *vnigenite* Iesu Christe, *sanctéque* Spiritus, *vna deitas, vna potestas miserare me peccatorem, ac quibus nosti iudiciis, serua me indignum seruum tuum. Quoniam benedictus es in sæculorum sæcula,* Amen. πατέρα ἄναρχον, υἱὸν συνάναρχον, πνεῦμα συναΐδιον θεότητα μίαν χερουβικῶς δοξάσωμεν, ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος εἶ ὁ θεός. *Patrem expertem principij,* Filium *expertem quoque principij,* Spiritum *coæternum deitatem* Cherubinorum *ritu gloria afficiamus,* Sanctus, Sanctus, Sanctus *es* Domine. *Et, vt prætercam crebros* Chrysostomi, Cyrillorum, Gregoriorum, *cæterorum denique* Patrum Græcæ Ecclesiæ *gemitus ad omnes communiter personas, reliquarum*

Eccleſiarum ſuffragium accipe. Æthiopes Nubiani, quorum Sultanus ſiue Imp. Pretoioannes orbi clariſſimus eſt, quorum fides atque pietas temporibus Chriſtianis futura prænuntiata eſt ab Eſaia Prophetarum excellentiſſimo, quorū Eccleſia Matthæi Apoſtoli prædicatione, doctrina, Euangelio gloriatur, liturgiam retinent hac in parte, vt in reliquis Græcæ Latinæque conſentientem. Hinc præter quòd in ipſa bis celebrant patrum Nicenorum fidem, Triſagiíque meminerunt, Trinitatem hac voce affantur. In hoc tempore nobiſcū permaneant Pater, Filius, & spiritus S. quia nō habemus alios deos præter te Domine. Sed præſtat, eorum miſſam vt per te reuoluas, quā ex Æthiopico in Latinū conuerſam Vuicelius ſenior edidit an. Domini 1555. (Æthiopes inuocant Trinitatē. Eſ. 18.)

Aſſyrij Meſopotamij, quorū ritus latè patet per Orientem eo teſtamēto, quod paucis adhuc annis lingua Syriaca Viennæ Vngarorum excuſum iam dixi, non modò addiderunt feſtum Trinitatis à ſe ſolenniter celebrari, verumetiam inuocationes appoſuerunt, quibus Trinitatem ritu patrio alloquuntur. Vna ſic incipit שובחא לאבא ולברא ולרוחא קדישא· *His enim characteribus Hebraicis tāquam notioribus eorum voces exprimere volui, quas ſuis exararūt. Quod ad Eccleſiarum Occidentis auctores pertinet, Auguſtinus huiuſmodi adorationibus redundat. In confeſſionibus, Procede, ait, in confeſſione fides mea, dic domino Deo tuo. Sācte, ſancte, ſancte Domine Deus meus in nomine tuo baptizati ſumus Pater, Fili, & Spiritus ſancte, &c. Libros de Trinitate præclara ad eam totam terminat precatione. Domine Deus noſter, credimus in te Patrem, Filium, & Spiritum S. Neque enim diceret veritas, Baptizate omnes gentes in nomi-* (Aſſyrij Trinitatē orāt. — Conf. lib. 13. cap. 12. — Lib. 15. de Trin. c. 28.)

ne Patris, Filij, et Spiritus sancti, nisi Trinitas esses. Neque diceretur voce diuina, Audi Israel, dominus Deus tuus Deus vnus est, nisi Trinitas ita esses, vt vnus Dominus Deus esses. Ad extremum post multa. Domine Deus vnus, Deus Trinitas, quæcunque dixi in his libris de tuo, agnoscãt & tui. Si qua de meo & tu ignosce & tui. Amen. Meditationes quæ eius circumferuntur nomine, habẽs plurimas, inter quas extat hæc.

Med. cap. 12.

» O summa Trinitas, virtus vera, & indiscreta maiestas. Deus noster Deus omnipotens, confiteor tibi & honorifico te. Habes alteram capite eius operis quadragesimo. Domine Deus omnipotens, qui es Trinus & vnus, qui eras ante omnia, & semper es & eris in omnibus Deus in sæcula Benedictus, Exaudi me Trinitas sancta. In Soliloquiis, Vnus Deus, tres personæ, vna essentia, potentia, sapientia & bonitas vna & indiuisa Trinitas aperi mihi clamanti portas iustitiæ. Augustino aliquanto antiquior Iohãnes Cassianus Chrysostomi æqualis similem reliquit nobis obsecrationem.

Augu. in soliloq. cap. 37.

I. parte Theologicæ suæ cõfessionis.

» Adesto mihi, ait, ô vna Trinitas & Trina Vnitas Pater Filius & Spiritus S. Deus vnus omnipotẽs. Te quidem inuoco in animam meam. Intra, rogo, in eam & coapta eã tibi, vt possideas illam sine macula. Tu es Deus meus viuus & verus, Dominus meus, rex meus magnus. Et cætera quæ illic per multas paginas piè sanctéque prosequitur. Possum prætereà illius æui infinitos alios in medium adducere, seorsum verò Græcos, qui suas homilias non solent concludere, nisi S Triade vel per gratiarum actionem, vel per deprecationem salutata. Sed vereor ne in re præsertim tam aperta habear nimius. Me igitur contrahò, atque vt ad alteram instituti nostri partem deuoluar, finem huic libro de

supplici

supplici Gregorij Theologi adoratione, ὦ τριὰς ἁγία καὶ προσκυνητὴ καὶ μακρόθυμε. μακρόθυμος γὰρ εἶ ἐπὶ τοσοῦτον ἀνεχομένη τῶν σε τεμνόντων. ὦ τριὰς, ἧς ἐγὼ κατηξιώθην καὶ λάτρης εἶναι καὶ κῆρυξ ἐκ πλείστου ἀνυπόκριτος. ὦ τριὰς ἡ πᾶσί ποτε γνωσθησομένη, τοῖς μὲν τῇ ἐλλάμψει, τοῖς δὲ τῇ κολάσει, δέχοιο καὶ τούτους προσκυνητὰς τοὺς νῦν ὑβριστάς. *O trias sancta & adoranda & longanimis: Es enim longanimis quæ tandiu scindentes te toleras. O trias, cuius habitus sum cultor atque præco iampridem non simulatus. O trias, quæ ab omnibus aliquandò cognoscêris, partim illustratione, partim punitione, suscipe etiam istos, vt qui nunc te contumelia afficiunt, adoratores efficiantur, nunc & deinceps in Christo Domino & Saluatore nostro, quem vniuersæ linguæ in sæcula confiteantur, vt idem de te sentiamus omnes, idem prædicemus, eundem fidei teneamus spiritum, sitque terra eiusdē labij loquens lingua Chanaam, ne iterum turri Babylonica substructa cuncta in pristinam miscellam, vt perditè cupit Satanas, confundantur. Amen.*


Naz. sub finem lib. 2. de pace.

Esa. 19.

Gen. 11.

Libri primi de Trinitate finis.

G. GENEBRARDI THEOLOGI PAR. DE S. TRINITATE liber Secundus aduersus Trinitarios, Antitrinitarios, & Autotheanos.



Efutatis de S. Trinitate erroribus, veritas ipsa, eius auspiciis ac numine, de quo personarum ternionem inuestigamus, iam asserenda est, & apertè demonstrandum, quantùm nostrarū

Nazan. oratio de S. Bapt.

virium feret imbecillitas, Vnum non posse in diuinitate cogitari, quin trium fulgore mox perstringamur, nec tria discerni, quin ad vnum subitò reflectamur. Præstiterat quidem fortaßis, quemadmodum Acacius Beroënsis, quendam eorum, qui ante se extiterant, episcoporum monuisse scribit, vt quo modo Verbum caro factum est, ita hoc quoque, quo pacto Pater vnigenitũ genuerit, ex vnóque principio, Trinum emanauerit, cum silentio honoraretur. Nam, vti apud Iustinum Martyrem narrat Socrates, Deum mundi parentem & effectorem inuenire difficile est, & cùm inueneris indicare in vulgus haud tutum, cùm etiam apud illud vera de Deo dicere admodum periculũ sit, sicuti pulchrè à Ruffino Aquileensi literis traditur. Verùm quoniam impiorum commentis ad simplicem fidem subruendam euertendámque nitentibus, resistendum est, ne veritas aut victa aut prodita videatur, age Deo freti, operam nauemus, ne errorum nebulæ aduersus diuinum dogma excitatæ latius in orbem nostrum diffundantur. Quamuis enim desperemus, vt de nobis planè pronuntietur, quandiu peregrinabimur à domino, qui solus controuersiarum ignes à Sathana inflammatos extinguet aliquandò, quod de suis Iudæis Iosephus gloriatur, παρ' αὐτοῖς μόνοις περὶ τοῦ θεοῦ λόγους οὐκ ἀκούεσθαι ἀλλήλοις ὑπεναντίους, ὅσα παρ' ἑτέροις, apud ipsos de Deo sermones non audiri inter se contrarios, aliarum gẽtium more, neque etiam speremus apud reiectaneos nostram orationem aliquid valituram, tamen in domino cõfidimus fore, inde vt aliqui, qui iamiam certè ad hostes transituri videbantur animi quadam leuitate, quæ hodie hominum capita mirabiliter occupat, in Ecclesiæ gremio retineantur, tardioréque

Iust. in Apol. pro Christ.

Ruffin. in Symbolo.

Ios. lib. 2. contra Apionem.

deinceps ad aures pseudoprophetis aperiendas efficiãtur, alij religionis suæ caput potißimum, sacris oraculis probatum munitúmque melius intelligant. Sed vt res tanta manifestius appareat, nósque data fide celerius liberemus, primùm τὸ ὅτι, deinde διότι in proposita quæstione construamus. Hoc nos facile cõsecuturos confidimus, si prius de vocabulis itémque rebus, quibus paßim ad hanc quæstionem expediendam vtendum nobis erit, aliquatenus dissèramus. Cùm autem huiusmodi quatuor mihi nunc præcipuè occurrant, essentia, Persona, Trinitas, Circumincessio, siue, vt Græca vsurpemus, οὐσία, ὑπόστασις ἢ πρόσωπον, τριάς, καὶ περιχώρησις, ac cæterorum ratio sit exploratior, quàm vt in ipsis debeamus immorari, quorsum horum vnumquodque pèrtineat, videamus.

De quatuor in primis differendum.

Essentia appellatur rei natura, ratióque, qua vnumquodque constat ac quiddam communius est, quàm Personæ nomen, quod in se porrò aliquam cohærentiæ per se & incommunicabilitatis notationem continet. Illud è maioribus, sine quorum authoritate atque scitis nihil de Deo temerè affirmandum iam olim Dionysius magnus censuit, tradidit Ruffinus in historia sua Ecclesiastica. Quidam dicebant οὐσίαν & hypostasim vnum idémque videri, & quia tres essentias non dicimus in Deo, nec tres hypostases dicere debeamus. Alij verò quibus longè aliud essentia quàm hypostasis significare videbatur, aiebant essentiã ipsam rei alicuius naturam rationémque, qua constat, designare, Hypostasim autem vniuscuiusque Personæ hoc ipsum, quod extat & subsistit, ostendere. Essentia igitur hìc non alia ferè est, quàm quæ substantia secunda à Dialecticis appellatur, Hypostasis verò, quæ substantia

Essentia quid.

Essentia non fert incõmunicabilitatẽ.

Dionys. de diui. nom. cap. 1.

Ruff. lib. 1. hist. cap. 29.

Arist. in Categ.

prima πρῶτη, & tãquam indiuiduum substantiæ, adeò vt illa sit commune quoddam, hæc quoddam singulare. Omnis enim essentia, quatenus essentia multis indiuiduis & hypostasibus est communicabilis. De hoc consulere potes integram epistolam Basilij ad Gregorium fratrem, libellum etiam Gregorij Nysseni ad Petrum quendã, & præter ea, quæ in primis institutionibus ac libro de duabus Christi voluntatibus reposuit Damascenus, elegans eius caput in opere de fide Orthodoxa. Cæterùm essentia nihil hîc differt à substantia & φύσις, i. natura, vt post Theodoritum docuerunt Galli, itémque Germani Episcopi quodam libello ad Eliphandum Toletanum, nisi quòd substantia, quoniam quædam accidentium sustentatio esse videtur, non tam propriè Deo conuenit, ac vt ei conueniat, debet simpliciter accipi pro essentia, exuíque quocunque aduentitiarum affectionũ respectu. Quæcunque enim insunt inesséve intelliguntur Deo, iam ei conueniunt per modum essentiæ non item accidentis, ideóque vniuersa quæ sunt in Deo, rectè Deus esse dicuntur. E contrario naturæ vocabulum, quoniã infimæ speciei maximè quadrare scriptorum probatissimorum vsu deprehenditur, ad hoc mysterium quidni aptius existimabitur? Nam ideò profectò à Græcis sæpe vsurpatur, siue de S. Triade, siue de verbi incarnatione corporationéve disputent.

Damasc. lib. 3. de Orth. cap. 4. & in Logica cap. 10. Theod. epistol. aduersus Sabellium.

Quatenus substantia Deo conueniat.

Diuinã essentiam nõ esse speciẽ quatuor de causis.

Intereà non arbitrandum siue substantiam, siue naturam, siue essentiam comparatione trium S hypostaseon esse speciem, quippe cùm diuinitas cunctis vocibus logicis superior emineat, nec ad earum leges vniuersas absque errore valeat accommodari. Etenim, e-

xempli gratia generalem, communémque naturam supra se non habet, qua participet, nihílque extra ipsam se pandit, cuius sit tanquam pars, quemadmodum homo animalis. Deinde quæ potissima est ratio, non dicitur de multis numero differentibus, prout philosophi differre numero intelligunt. Qualis enim Pater, talis prorsum est Filius, talis Spiritus S. absque rei alicuius absolutæ discrimine. Præterea non enuntiatur plurali formula de indiuiduis. Nam tres diuinæ personæ non sunt tres dij, vt tria humana indiuidua tres homines, quòd hîc essentia sit vna numero, illic tantùm specie. Denique vltra tria minimè progreditur, in tria verò naturaliter necessarióque influit, cùm in eadem natura humana plures pauciorésque homines tribus versari queant, propter materiam, quæ in infinitum ferè secabilis & diuidua est.

Quid differre numero apud philos. ex Porphy. & Arist. 1. to.

Adhibenda itidem cautio est, ne communem illam rem, quam diuinam essentiam nominamus, putemus in diuinis quartam rem constituere. Sic enim fateremur, quod prorsus fieri nequit, eam reapse esse distinctam à tribus personis. Itaque neque confitendum est tres personas in diuina essentia subsistere, sed è conuerso potius diuinam essentiam in personis, ne quaternionem cum Luciano Atheo suspicari videamur. Et certè communia subsistunt in singulis, non singula in communibus, vt contra Platonem tractat Aristoteles, definiens primas substantias per se cohærere, secundas autem in primis. Illud ferè est, quod prodit Damascenus, φαμὲν δὲ ἕκαστον τῶν τριῶν τελείαν ἔχειν ὑπόστασιν, ἵνα μὴ ἐκ τριῶν ἀτελῶν μίαν σύνθετον φύσιν γνωρίζωμεν, ἀλλ' ἐν τρισὶ τελείαις ὑποστάσεσι μίαν ἁπλῆν οὐσίαν ὑπερτελῆ, καὶ προτέλειον. Et post, ὅθεν οὐδὲ λέγομεν τὸ εἶδος ἐξ ὑποστα-

Essentia diuina nõ est aliquid quartum.

Lucian. in Philopatri

Arist. lib. 1. de animo & in Metaph.

Damasc. lib. 1. cap. de Triade.

» σεων, ἀλλ' ἐν ὑποστάσεσι. *Dicimus vnumquemque trium*
» *absolutam habere subsistentiam, ne è tribus imperfe-*
» *ctis vnam conflatam naturam agnoscamus*, *sed* in
» tribus subsistentiis vnam simplicem essentiam
» *supra modum perfectam absolutámque. Vnde nega-*
» *mus speciem ex hypostasibus siue subsistentiis, sed in*
Phil.2. » *hypostasibus.* Nec repugnat *Paulus, quamuis affirmet*
Differunt Esse & Subsistere. Verbum Dei in forma Dei esse. *Siquidem Esse & Subsistere tanto interuallo distant, vt nemo sentiat indiuidua subsistere in vniuersis, nisi animo sibi fingat spectra quædam Platonica. Indiuidua autem esse in*
Aristot.in Categ. *vniuersalibus etiam dicit Aristoteles, nempe quia in illorum ambitu continẽtur. sic* λόγος *est in forma Dei, id est, Deus, in cuius forma, quam appellamus diuinam essentiam, comprehenditur. In eadem non subsistit, quippe qui in se hæreat per seque constet, non in diuina essentia siue per diuinam essentiam, quam ipse potius sustinet actúque ponit. Nam subsistere est indiuiduorum substantiæ atque hypostaseωn, Esse quoque communium. Quare merito multis, doctis præsertim,*
Lib. Bezæ de vnitate essentiæ. *displicuit libellus quidam Bezæ, tum quia tuetur pudendum Magistri errorem de* αὐτουσίᾳ, *tum quòd ei titulum fecerit.* De vnitate essentiæ & tribus in ea subsistentibus personis, *cùm propriè fuisset inscribendus*, De vnitate essentiæ & ea in tribus personis subsistente, *ne Quaternariis, quibus ipsius symmystas astipulari interdum queruntur Gregorius Paulus & Ioan. Cazanouius, labendi vllam (vtinam non iustã) præberet occasionẽ, né ve in S. Trinitate tale*
Communis intellectus Auerrois. *figmentum animo volutare videretur, quale Auerrois Arabs mirus Chimærarum artifex in humanis animis, quando vnum quendam & communem intellectum*

per se extare somniat, ac hominum mentes non secus in illum resoluit, atque mixta corpora in sua elementa abire cernimus.

Dolendum est autem Trinitarios *tam proiectæ esse impudentiæ, vt non solùm ea, quæ spiritu sancto afflati, saluberrimè credimus & loquimur de* Dei *essentia, sardonicè rideant, verùm etiam effutiant* Essentiæ *vocabulum à* Patribus *temerè præter scripturarum authoritatem cõfictum, ac è* Mercurio *Trismegisto, qui plurima in* Pimandro *& aliis libris de* Dei *οὐσίᾳ philosophatur, nefariè sceleratéque ad* Christiana *dogmata traductum.* Quod *procul dubio consultò ab istis factum est, quia iam tum meditabantur aduersum ea, quæ sanctè de ὁμοουσίῳ sancita sunt à* Nicena *synodo cõtra* Arianos, *vti proximo* Petricouiensi *conuentu apparuit. sed hæc scelesta assertio facilè scripturis, quas suæ impietati prætendunt, refutatur, in quibus non tantùm τὸ εἶναι, eíque synonyma multa sæpius occurrunt, sed etiam ipso proprium* Dei *nomen constare pronuntiatur.* Ac, *vt omittam quæ de se pronuntiat dominus apud* Mosem, *quæque superiore libro de nomine tetragrammato disserui, potueréne aptius ora istorũ obturari, quàm hoc verbulo ὁ ὢν, ὁ ἦν, ὁ ἐρχόμενος, quod* D. Ioannes *eodem capite modò* Patri, *modò* Filio *attribuit? si vrges te nondum cernere vocem οὐσίας, ac sis tam hebes, vt non teneas de quo dicitur vnum coniugatorum, de eodem affirmari alterum, audi quid* B. Petrus *scribat.* Per hoc efficiamini θείας κοινωνοὶ φύσεως, diuinæ consortes naturæ. *Tibíne diuina essentia à diuina natura differt?* Quid *putas* Paulum *significasse, cùm* Christum *narraret, ἐν μορφῇ τοῦ θεοῦ ὑπάρχειν? Aliud fortassè esse οὐ-*

Vocem *diuinæ essentiæ non esse fictitiam, cõtra* Gregor. Paulũ *in libro cõtra* Sabellianos *& in* Tabulis.

Exod. 3.

Apo. 1. & 2.

2. Pet. 1.

Phil. 2.

Heb.1. *σίαν, aliud ὕπαρξιν, item aliam esse οὐσίαν θεοῦ, & aliã μορφὴν θεοῦ? Cùm eundẽ appellat characterẽ ὑποστάσεως τοῦ πατρὸς, substantiæ'ne obscurè tibi videtur meminisse? Siue enim hypostasis illic significet personã atq; subsistentiã, vt res postulat, siue substantiam ceu essentiam*

Locus à toto. *perpetuò sequitur Deo tribui essentiã, quoniã nulla est hypostasis, quæ prius non sit essentia, ac hypostasis de-*

Locus à definitione *finiri nõ potest, quin in eius definitionem essentiæ nomen ingrediatur.*

Iam quid moneam nobis diuinam essentiam, diuinam naturam, deitatem, diuinitatem idem penitus de-

Cic. in libr. de natura deorum. *clarare, cùm etiam M. Cicero in libris, quos de ea re edidit, indifferenter naturam deorum & diuinitatem vsurpet atque adeò confundet? Quoties autem vel deitatis, vel diuinitatis mentio in sacris paginis occurrit? Duo loca depromam ex B. Paulo, in quibus singulis singula extent vocabula notationis eiusdem, vt noscas, Trinitarie, scriptoribus nostris non defuisse copiã,*

Rom.1. *qua Dei substantiam mortalibus denuntiarẽt. Ad Romanos,* Per ea quæ facta sunt, cõspicitur *ἥτε ἀΐδιος*

Colos.1. & 2. *αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης. Ad Colossenses,* In ipso inhabitat, *πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητος. Quamobrem si prohibes dicere Patrem & Filium & Spiritũ S. eiusdem essen-*

2.Pet.1. Phil.2. Heb.1. *tiæ, saltem permitte, vt eos Petrino Ciceronianóq; vocabulo asseramus esse eiusdem naturæ, Paulino eiusdem formæ, substantiæ, deitatis, diuinitatis, vtque in disputatione de Deo Dei naturam, formam, substantiam, deitatem, diuinitatem denique nominemus. Permitte etiam, vt Ecclesiam à Patribus circumcisis vti omnium temporum eadem extitit populi domini fides, non à Trimegisto, quemadmodum blasphemas, essen-*

Iosf. extre- *tiæ vocabulũ accepisse agnoscamus. Scribit Iosephus*

se complexum, quatuor libris sententias suorum Iudæorum περὶ θεοῦ καὶ τῆς οὐσίας αὐτοῦ. qua ergo impudentia, qua procacitate asseuerabis portenta esse Christianorum, quæ de Dei essentia enuntiantur? Te hæc quidem valdè turbant, quia fortasse cupis nullam Dei essentiam extare, vt è conscientia tua criminum vlceribus coopertæ metum numinis penitus extrahas, sed te vehementius vrunt, (Ne erubesce, fatêre quod res est) te vehementius vrunt, quæ de ea Christiani persuasissima habemus, credimus, palam testamur. Verùm etiamsi te dissecari miserè oporteat, quæ de illa sentimus repetita audies, aut aures obturabis. mis verbis 20. Antiq.

In diuinis rebus essentiam profitemur maximè vnam, singularissimam, simplicissimam, omnino indiuiduam καὶ ἀδιαίρετον, summam, infinitissimam. Vnam quidem in singulis personis, quippe quæ eadem tota consistat in Patre, tota in Filio, tota in S. Spiritu, scribente Apostolo plenitudinem omnem, omnem inquam plenitudinem in Filio inhabitare, & de plenitudine eius, id est, de S. Spiritu, qui est Verbi Dei plena substantia, nos omnes accepisse. singularissimam autem, quòd nō numeretur, sed eadem numero vigeat in personis singulis, imò verò sit personæ singulæ. Nam vt refert Aristoteles in Metaphysicis vnum numero & singulare re nihil differunt. simplicissimam etiam eam credimus tanquam partibus & omni compositionis genere carentem, prorsus sine accidentium, formarum, facultatum diuersitate. Indiuiduam ceu insecabilem, quasi simpliciter indistinctam, ac omninò citráque diuisionem eandem, coniunctim quidem in cunctis tribus personis, diuisim verò in singulis, neque maiorem in cunctis, quàm in singulis, neque minorem in singu-

Quid de diuina essentia credendum.

Col. 1.

Ioh. 1.

Metaph. 3.

lis, quàm in cunctis. Hæc enim ex eo consequuntur, quòd vnica singularißimáque extet Patris & Filij & Spiritus S. diuinitatis plenitudo, ac essentia Patris existat Filij quoque atque Spiritus essentia, & essentia horum illius substantia. Summam adhæc prædicamus, quia cæteris naturis in infinitum eminet, nec aliquam habet, non dico æqualem, sed ne minima quidem vmbra similem, vt rectè Simonides Hieroni Syracusano responderit, quãtò diutius consideraret, tãtò sibi rem videri obscuriorem. Postremò infinitam agnoscimus, quòd in immensum pateat, velut pugillo metiens aquas, & cælos palmo ponderans, tribus digitis appendens magnitudinem terræ, & vastos montes in statera, mundum denique vniuersum pugno continẽs, adeò vt (ô essentiæ stupendum pelagus) tam sit extra supráque mundum, quàm intrà, potiúsque iuxta Cabbalicos Hebræorum, haberi debeat locus mũdi, quàm mundus locus ipsius. Quantumuis lõgè latè, altè porrigatur vniuersitatis amplitudo extra omnia non excluditur, intrà non includitur, suprà eleuatur. Quoniam ergò infinitißima est diuina essentia, etiam si sit singularis, seipsam pluribus personis tribuit, id quod non possunt singulares hominum naturæ, quippe quæ finitæ & terminatæ existãt. Confitemur quidem præterea eandem esse æternam, necessariam à nullo pendentem, omni præstantia excellentem, nulli casui, mutationi, labi obnoxiam, ita vt sese fidei nostræ oculis offerat natura quædam illustris, vniuersis perfectionum gradibus absoluta, omnibus numeris completa, sed has virtutes hoc loco non persequimur, quando præcedẽtes sat sunt, vt doceamus, quî tres diuinæ personæ inter se coniungantur intima singularißimáque

Cicer. 1. de nat. deor.

Esa. 40.

Nota.

essentiæ necessitudine.

Ex his igitur apparet quantū Arianis qui plures essentias introducebāt, repugnemus Orthodoxi. Contra eos defendimus vnitatē essentiæ omni prorsum diuersitate sublata, ac illius causa vnum Deū numero credimus. sentimus deinde essentiæ summam esse simplicitatem, Deum simplicissimum confitentes remota diuisione atque separatione, quæ compositionē afferant. Prætereà agnoscimus personas essentia omnino pares, ac repudiamus omnem ἀνομότητα, quæ naturæ importet alienationem, differentiam, dissimilitudinem, Filium Patri per omnia similem, itémque spiritum sanctum Filij imaginem adorantes. Adhæc à nobis ponitur absoluta omnibus numeris æqualitas potentiæ, magnitudinis, æternitatis, proindéque execramur istos, quibus tres sanctæ hypostases sunt vel dispares vel inæquales. *4 in rebus ab Arianis Orthodoxi differunt.*

Fœtēt etiam nobis Trinitarij, qui quamquam hoc differre videri velint ab Arianis, quòd hi tres essentias impares perinde atque personas constituerent, ipsi verò tres essentias pares pro personarum numero prædicent. eôdem tamen, vbi diu multúmque cum loco, quo constricti tenentur, colluctati sunt, velut in histram, quod tutum putant ab aduersariorum incursionibus feræ bestiæ, agitati pressíque euadunt. Nam eò se furenter proripientis Gentilis hæc est assertio. Solus Pa- *In quo Trinitarij dicant se differre ab Arianis.*

» ter est immensæ substantiæ. Filius verò Spiritus
» est ex Deo ineffabiliter generatus, ac pro gene-
» rationis modulo circumscriptibilis genitus. *In*
» *quam profectò sententiam omnes pedum manuúmq;*
» *plausu ire apertè visi sunt, vt iam negari non possit, in*
» *illa synodo Petricouiensi, cuius summulam initio hu-*
» *ius operis præscripsimus, dum ex conuentibus Arianis*

Valētinus Gētilis prothesi 24. suæ confessionis.

sirmium approbauerunt. Hic mihi cerne, quàm verè sermone prouerbiali vsurpatum semper fuerit, Nemi nem repentè fieri turpissimum. Nam cùm primùm non auderent calumniam inæqualitatis mouere Filio Dei & spiritui sancto, tandem ad illam à sathana ipsorum spiritu deducti præcipitatíque sunt.

Tres essentias pares non confitendum cũ Trinitariis.

Præterea demus eos persistere in priore sua opinione, ac sancire tres pares essentias, perinde atq; tres essentias pares, proptereáne, cedo, Ariani esse desinent? Fateor quidem antiquorum istorum, quorum pinguem crassúmq; in scripturis damnatum errorem quarto loco paulo ante posui, ordinem posse effugere, verùm tamen nunquam obtinebunt, quin in Arij sobole aliqua numerentur. Nam Aetius & Eunomius arbores Arianæ infelicissimi stolones eo à præcessoribus abfuerunt, quòd essentias iam pares æqualésque facerent. Testis Gennadius, cùm in sabbatij vita sic ponit, Aetio verò & Eunomio discipulo ostendit Patrem & Filium non duarum esse naturarum & diuinitate parilium, sed vnius essentiæ, & alterum ex altero. i. ex Patre Filium, alterum alteri coæternum, *cui credulitati* Aetius & Eunomius contradicunt. *Nec dubium, quin ad extremum in eum inauspicatum errorem deciderint propter inauspicatũ Anomæorum nomẽ, qui id cognomenti ex hæresi contraxerunt, cùm iam cernerent iniquis auribus ab omnibus accipi, quæ ab istis blasphemabantur, Christum scilicet planè esse dissimilis disparísque à Patre substantiæ. siquidem ne quidem Ariani hanc contumeliam æquè audiebant, cùm ipsos constet in Antioceno conuenticulo sanxisse, ne Christus magis diceretur ἀνόμοιος, quàm ὁμοούσιος, satísque esse statuerent, vt Pa-*

Gennad. in catalog. virorum illustrium.

tri prædicaretur ὁμοιούσιος. Ex *quibus ſane intelligitur* Catholicos *ſemper credidiſſe vnam eſſentiam in tribus perſonis æqualibus, cæteras verò diuerſorum perſuaſiones ex falſa* Arij *doctrina profluxiſſe.* Abeant *igitur iſti & negent ſibi vllum eſſe cum* Ario, Arianiſque *commercium.*

Explicatis iis, *quæ ad eſſentiæ diuinæ mediocrem illuſtrationem pertinēt, faciliùs nunc intelligetur, quæ de perſona ſiue hypoſtaſi, quam ſcholaſtici, verbum è verbo, ſuppoſitum interpretantur, pertractanda ſunt.* Eſſentia, *vti dixi, quoddam vniuerſum eſt comparatione hypoſtaſis, quæ adhæc eius, quod per ſe ſubſiſtere, & in nullo pendêre dicitur, notationem continet.* Natura *humani corporis in* Petro *perſona nō eſt, quippe quæ per ſeſe nequaquam hæreat, ſed per* Petrum, *quo ſcilicet intereunte paßóque partium diſtractionē interit quoque humani ſui corporis ſuſtentatio.* Partes *enim, ſi quando per ſe cohærent, deſtructa totius forma atque actu, abiiciunt partis rationem, nouámque prorſus induunt. Verbi gratia,* Mortui Petri *corpus non amplius* Petri *corpus eſt, ſed cadauer, ſuppoſitum iam in ſe ſidens, imò verò, ſi* Ariſtoteli *fidem addicimus, nō magis humanum corpus habendum eſt, quàm quod ex ære vel gypſo in ſpeciem hominis fingitur.* Cauſam *adiicit, quia rerum omnium natura non ex externa facie, ſed forma interiore atq; adeò functionibus naturæ proprius ponderari debet.* Ergo *cùm illud nulla vitæ opera exerceat, nihil humani gerat plus quàm gypſeum aut æreum, vt iam aliqua ſit hypoſtaſis,* Petri *certè hypoſtaſis nulla ratione poteſt cenſeri.* Anima *itidem* Petri, *quandiu vinculis corporeis conſtringitur, rationem hypoſtaſis neutiquam obtinet, quippe quæ*

De Perſonæ vocabulo.

Ariſt. 2. de animo c. 1.

Anima an ſit perſona.

nondum per ſeſe hæſerit, nec verò hærebit, donec depoſito corpore libera ſolutáque fuerit omni concretione mortali. Intereà Petrus ipſe, qui animo ſimul & corpore continetur, qui vtrumque eadem opera ſuſtentat, vera eſt hypoſtaſis, quoniam per ſe conſiſtit in humana natura, non quidem communi (hanc enim loquendi formulam iuſtis de cauſis paulò antè reprehēdimus) ſed propria & incommunicabili. Ita tamen, vt Petrus non niſi exiſtat ſuum corpus ſuáque anima, neque ex tribus eius perſona conſtetur. Nam illa ſiue ſubſiſtendi per ſe, ſiue ſubſtantandi partes ratio nō eſt aliquid actu à partibus ſeparatum, quin potius proprietas quædam manans ab vno principio, vbi vnicū extat principium, quemadmodum in mentibus ſeparatis, à duobus, vbi iam duo, quemadmodum in hominibus animo & corpore conſtantibus. Atque hinc profecta eſt illa cuiuſdam libelli, quem Nyſſenus olim ediderat, inſcriptio, ὅτι μία κ̀ ἡ αὐτὴ αἰτία τῆς ψυχῆς καὶ σώματος ὑπάρξεως, qua declarabatur ſubſiſtentiam in homine è corpore & animo, animíve & corporis adunatione profluere.

Subſiſtētia eſt proprietas, nō ſubſtantia.

Quamuis autem per ſe ſubſiſtendi ratio rebus brutis itémque inanimis conueniat, ac ideo Græci ſcriptores, in his Theodoritus, Damaſcenus, Pachymeres, Suidas, hypoſtaſis vocabulū tribuerint funalibus, bubus, equis, oleis, ſimilibúsque ſubſtantiis. Noſtri tamen, vt cogitationem in naturis præſtantioribus detinerent, hoc nomen ſoli naturæ intelligenti accommodarunt, vocem generis certæ ſpeciei aſtringentes. Hinc, opinor, apparet, vt aſſignari debeat ſiue perſonæ, ſiue hypoſtaſis definitio, intelligentis naturæ indiuidua ſubſiſtentia, per ſubſiſtentiam autem intelligi cohærentia,

Theod. in Polymor. Damaſc. in primis inſtitutionibus & logica. c.10. & 11. Pachym. in 2. cap. diuin. n.

Perſonæ definitio.

quæ per ſe conſiſtat nec dependeat aliunde. Quæ ſanè cum ea reciprocatur, quam maiorum definitionem no-
» minat vetuſtus ſatis ſcriptor Hugo Etterianus. Perſona
» (inquit) eſt ſubſtãtia rationalis proprietatibus ab eiuſ-
» dem naturæ rebus numero differens. Hæc eſt maiorum
» definitio, cuius deſcriptionis ſenſus hic eſſe videtur.
» Perſona eſt ſubſtantia rationalis, quæ per ſuas proprie-
» tates ſingularis intelligitur, vt Pater per generationẽ,
» Filius per natiuitatem, Spir. ſanctus per proceſſionem,
» ac per horũ ſimilia, quæ ſingulis perſonis connecti poſ-
» ſunt ſingulariter. Et paulò antè. Nã perſona, quod ſin-
» gulare eſt, & per ſe manifeſtat, cõcurſúſq; inſignitina-
» rũ proprietatũ ſecundũ rationẽ ex proprietatibus con-
» ſideratam, vt indiuiduum à communi ſecerint, & in-
» dicat. Eodem deuoluitur Boëthij circunſcriptio, Perſona eſt naturæ rationalis indiuidua ſubſtãtia. Nam etiam ipſe more veteri, qui & apud Hilarium occurrit creberrimè, ſubſtãtiam ſumit pro ſubſiſtentia, cuius vim notionémque modò attulimus. Lombardus idem planè ſenſit, niſi quòd, ne per omnia Boëthio ſimilis videatur, paulo aliter verba collocat, dum Perſonam ait eſſe ſubſtãtiam rationalem indiuiduæ naturæ. Aptiorem quidem Richardus Victorinus ſe reperiſſe gloriatur per quam perſona dicitur Intellectualis naturæ incommunicabilis ſubſiſtentia, verùm ſi acrius attendis, de verbis tantùm rixam mouet, cùm per indiuiduam ſiue ſubſtantiam ſiue ſubſiſtentiam non modò intelligatur ea, quæ ſingularis ſit, ſed etiam quæ incommunicabilis, hoc eſt, quæ per ſe hæreat nec in alio ſubſtineatur.

Etterianus libr.1. de proceſſ.Sp. ſancti contra Græcos cap.11.

Boëthius 17.libr.de duabus Chriſti naturis.

Lib.1.ſent. diſt.25.

Richard. lib.4.de Trinit.cap.3.& ſeq.

Itaq; grauiſſimè peccant, qui vel partes ratione vel qualitate, id eſt, nudis proprietatibus perſonam defi-

niunt, post Laurentium certè Vallam, qui contra Boëthium arrogãter pro Grammatico, ne dicam impiè, demonstrandam sumpsit personam nihil esse aliud, nisi inseparabilem qualitatem, cuiusmodi in sole posuit lucem, vibrationem, colorem. Ac vt prætercam stupidos illos, qui eam partem essentiæ faciunt, quòd iam satis sint superioribus confutati, intelligeréque potuerint multò magis rationem totius obtinere, iste est infelix scopulus, ad quem naufragium certatim faciunt quotquot fermè Sectariorum, aduersus Trinitarios hodie stringunt calamum, vt proinde æquissimè à Trinitariis Sabellianismi insimulentur. Quia enim, vt mox disputabo, videant apud Latinos personæ vocabulum qualitatem designare, veluti cùm personam philosophi, personam pauperis, personam nobilis dicimus, putant consequẽs, vt ex ea significatione ad diuina quoque translatum sit. Atqui nominibus personarum, quæ sunt Pater, Filius, & Sp. sanctus, nõ solùm significantur proprietates, id est, Patris, Filij & Sp. sancti notationes (quibus barbari paternitatis, filiationis, spirationis voces indiderunt) sed etiam hypostases, quemadmodum nominibus Petri & Pauli præter eorum proprietates, qualitates, proprias notas, ipsorum quoque indiuidua, perseque consistens substantia declaratur.

Id luculentè tradit Ioh. Damascenus, dum inter cætera, quæ diuinissimè de Deifilio edisserit, τῷ μὲν ὑφεστάναι, *inquit,* καθ' ἑαυτὸν διήρηται πρὸς ἐκεῖνον, παρ' οὗ τὴν φύσει ὑπόστασιν ἔχει. Ex eo quod subsistit per sese *distinguitur ab illo, à quo ortu hypostasim habet. Et alibi,* ἐπὶ τῆς θεότητος μίαν μὲν φύσιν ὁμολογοῦμεν, τρεῖς δὲ ὑποστάσεις κατ' ἀλήθειαν οὔσας φαμέν. *In diuinitate vnam naturam cõfitemur, Tres autem hypostases dicimus, quæ* secundum

Personam nec esse partem nec qualitatẽ, sed id quod propriè subsistit.

Valla eleg. lib. 6. cap. 34. & in dialect.

Calu. lib. 1. Inst. cap. 13. Num. 5. & 6.

Cõtra Antitrinitarios.

Personam non tãtùm proprietatem, sed & subsistentiam notat.

Dan. lib. 1. cap. 6.

Lib. 3. c. 5.

secundum veritatem sint. *Quare præclarè notat* Idem lib. 1.
vocabula Patris, Filij, & Spiritus sancti Innati, Nati cap. 10.
& Procedentis, itémque principij & eius quod manat ex principio δηλωτικὰ εἶναι τῆς πρὸς ἄλληλα σχέσεως καὶ τοῦ τῆς ὑπάρξεως τρόπου, *neque solùm vnius ad alterum habitudinem, verùm etiam subsistentiæ modum atque rationem declarare, vt ij quoque sciunt, quibus ius illud perspectum est, quo aduersus Nestorium pro vna in Christo persona, militamus. Alioqui, obsecro, qua* Cõtra SKeKianos.
arte nos ab errore Sabellij extricaremus, cui hæresis infamia à Maioribus inusta est turpiter, nõn quia Deum Trinomium, nudísve & inanibus relationibus trinum diceret (hoc enim recentium maculam Sabellianam à SKeKius lib. 2. cõtra Trinit. pag. 66. & seq.
se excutere satagentium commentum est) sed quia negabat Ternum subsistentiis indiuiduis, &, vt veteres, à quibus habemus hanc hæresim profligatam, loquuntur, τελειοποιητόν. *Ob eam ergo causam quatuor aduersum istos semper defendit Ecclesia. In primis affirmauit subsistentiarum, quæ per se cohærerent, multitudinem atque distinctionem, confessionéque pluralitatis singularitatem sustulit. Deinde pluralitatem illic docuit non tantùm esse rationis aut proprietatum, sed etiam rei, & quasi subiecti, atque ita per veram realémque distinctionem exclusit id quod Vnicum dicitur. Prætereà in rebus personalibus originis ordinem posuit, summota confusione discretionem, quæ importat ordinẽ, prædicauit. cum Tertulliano contra Praxeã personã appellauit ordinẽ in Deo, qui nihil de Essentia mutat. Ad extremum hypostases indiuiduo amoris vinculo ita sociauit, vt per cõsonantiã auferat solitudinẽ, separationẽ, diuisionẽ, & quicquid est eiusmodi.*

Theod. in Polymor. Epiph. in Panario. Sabelliani rebus 4. à Catholicis differunt.

Quid Persona apud Tertull.

Hæc autem hactenus vocabulo hypostasis bellè

congruere nemo ambigit, qui modò intelligit hypostasim Græcè Latinorum subsistentiæ & supposito, quod Dialectici vocant substantiam & Hoc aliquid, respondere. Verùm dubitatio existit de persona, quæ quidem non videtur sonare Hypostasim, sed vox esse sumpta è medijs Comicorum & Tragicorum theatris, vbi actores vocantur personati, & personæ ij, qui agunt herum, seruum, vel alium quempiam, à personis certè, quas qualitates & quasi facies interpretantur, quibus alij ab alijs discernuntur. Concedo quidem nihil magni referre, si assentiamus primam hãc esse vocis originem pro ratione Etymi, quem è Caij Bassi commentarijs de Originibus rerum attulit Gellius. Ideo enim à personando ficta videatur, quòd per operimentum vultus ad speciem hominis assimulatum vox sonet atque clareat. Nihilo tamen minus Momorum os verberandum censeo, qui suæ Latinitati disciplinam Christianam adeò cupiunt inseruire, vt valde sudent in personæ voce de linguis piorum eripienda. Vbi in eis iudicium æque ac eruditionem desideres, iudicium quidem, quòd non videantur cernere idem vocabulum sæpe esse multiplex, eruditionem verò, quòd id isto in verbulo vsuuenire nesciant. Præthereà demirare, cur non animaduerterint Personæ nomen translatum e Græco πρόσωπον, quo peræque atque ὑποστάσεως Græci Theologi vtantur, monente Damasceno in primis institutionibus πρόσωπον & ὑπόστασιν idem prorsus pollere apud Theologos. Et sane quemadmodum πρόσωπον modò Laruam declarat, vt cùm idem Damascenus vnionem duarum Christi naturarum προσωπικὴν esse negat, nempe personatam, laruatam, simulatam, sicuti quibusdã hæreticis iam olim placuerat,

An persona idem quod hypostasis.

Gell. lib.5. cap.7.

Valla lib.6 cap.34.

Bud. in Pandectis.

Nota obscuri cuiusdã loci, quo se multi torquẽt, lib.3. c.3. interpretationẽ.

modò hominem ipsum, vt apud Phocylidem, ἄδικος μὴ κρῖνε πρόσωπον, ac passim apud Græcos nostræ religionis scriptores: ita persona non tantùm speciem, similitudinem, vultum, deinde verò quadam translatione dignitatem, vocem, qualitatem siue cōditionem, sed etiam hominem ipsum, atque substantiæ ratione præditæ indiuiduum significat. Prioris exempla suppeditat Cicero, abiicere personam quæstoris, tueri personam principis, Fabius, fictam orationē inducere personis, Liuius ferre alienam personam, diuinæ autem literæ, personam alicuius accipere. Posteriori præbet testimonium certissimum Valerius Maximus probatissimus sanè Romanæ eloquentiæ testis, qui Titulo de antiquis institutis in eum sensum hanc dictionem vsurpans, conuiuium, inquit, solenne maiores instituerunt, idque Charistia appellauerunt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur, vt si qua inter necessarias personas querela esset orta, tolleretur. Personas necessarias citra disceptationem appellat homines propinquitate affinitatéve iunctos, quemadmodum vulgus loquitur, dum probum hominem bonam personam vocitat, & Iurisconsulti, apud quos aliud rerum, aliud personarum ius, plerique item tituli notationis eiusdem. Hanc significationem seruant Rhetores, quando personas à rebus & iudiciis distinguūt, quando tradunt demonstrationis genus positum in laude alicuius certæ personæ, quando aiunt alia esse personis, alia negotiis attributa. Aptissimè igitur, imò verò elegantissimè diui, mentes separatæ, diuinæ subsistentiæ personæ nomine censentur. Nam nulla ratio designari potest, cur homines rectè dicantur Personæ, quin cadat in Diuos, diuináque indiuidua. Omnes

Valer. lib. 2. cap. 1.

Persona pro humano indiuiduo cōtra Vallā &c.

Inst. ciuiliū lib. 2. Tit 9

Cic. in Topicis & 1. de Inuent.

ſunt ſubſtantiæ primæ, τόδε τι, rationis compotes, naturæ indiuiduæ, per ſe conſiſtentes, quæ perſonæ rationẽ omnino conſtituunt. Nunc obſecro, lector Chriſtiane, *quem ſalutis cura mouet, conſidera an* Laurentianis, *quibus perſona declarat meram qualitatem, tantopere contra pium ſcriptorem* Boethium *fuerit inſultandum, ac docendum* Catholicam Eccleſiam, *quam* Boëthij *ſpecie, falſi inſimulant, perſonæ vocabulum ad diuinitatis tres res ideo tranſtuliſſe, quòd in ea tres qualitates inſeparabiles proprietatéſve duntaxat agnoſceret.* Tantum, *mihi crede, abeſt vt id vnquam ſenſerit, vt in* Sabellio, *Praxea, ſimilibúſque monſtris, quorum tamen plena ſunt (prò dolor) ſectariorum conuenticula, iampridem confoderit.* Si *mihi non credis, euolue, etiam atque etiam obteſtor, libros veterũ, qui de* Deo *optimè ſenſerunt, quos noſtræ pietatis habemus magiſtros & principes.* Labor *profectò haud*

Aug. lib. 1. de Trinit. cap. 3. *inutilis, cùm nec fructuoſius, vt rectè ab* Auguſtino *ſcriptum eſt, aliquid aliud inueniatur, nec periculoſius alibi erretur.* Nam *quem ex reliquis fidei capitibus fructum poßis ſperare, ſi in primum peccas?* Quid *à* Deo *expectare debeas, ſi in eum, prout ſe nobis patefecit, non credis?* Hæreticum *eſſe in controuerſiis, quæ æſtimantur parui, grande piaculum eſt, quòd peccetur in communionem ſanctorum, quòd tunica* Chriſti *in-*

Ioan. 19. *ſutilis diſſuatur, cui etiam impij milites pepercerunt.* Quantò *cenſeri debet capitalius, quantò exitioſius ta-*

1. Ioan. 5. *lem ſe præſtare in rebus ad ſummam cæleſtis ſalutis pertinentibus.* Si *te mouet, quod iſtos in hanc impietatem traxiſſe videtur, fieri non poſſe, vt tres per ſe ſubſiſtentes ſint vnus* Deus, *magis quàm tres* Adamus, Eua, Sethus *vnus homo, en pauliſper ſine, vt quædam*

de vocabulis Trinitatis & περιχωρήσεως tibi explicemus. Posteà huius difficilis lubricæque quæstionis enodationem, Deo opitulante (ne despera) audies.

Quid Trinitas.

Trinitatem igitur intelligimus tres diuinas hypostases siue personas adeò vt tres personæ & Trinitas planè conuertantur, idémque significent. Vnde veteres, quicunque de Trinitate locuti sunt, nomen illud tantùm ad personas retulerunt. Ac certè absurdus est error eorum, qui hoc vocabulo complectūtur essentiam. Valla quidem voluit Trinitatem esse trium vnam diuinitatem, Gentilis trium vnitatem, verùm isti plus auscultandi non sunt, quàm venefica Circe, ad cuius cātus xylo & cera aures Vlysses obturabat. Etsi enim dubium non existat, quin trium diuinarum hypostaseon vna sit diuinitas, atque adeò vnitas summa, non ilico tamen sequitur hanc esse verbi naturam, hanc vim, hanc notationem. Id apparet ex Græco τριάς, cui non modò illud respōdet, sed etiam ad Græcam vocem commodè exprimendam à Maioribus Latinis vsurpatum est. Trinitas ergò non secus ac τριὰς ternionem sonat, & quemadmodum apud Latinos quaternio nihil aliud, præter quatuor chartarū & alterius cuiusq; rei numerū declarat, aut duernio cū duabus rebus de quibus hoc dicitur vocabulum, reciprocatur, sic sanè Trinitas vltrò citróque commeat cum tribus hypostasibus, ad quas designandas vsu recepta est. Atque hinc tres personæ, quæ alioqui essentia numerabili differūt, dicuntur τριὰς & Trinitas, vt Trinitas Angelorum, Trinitas hominum, Trinitas rerum. Isidorum quidem Hispalēsem temporibus Heraclij scripsisse memini distinctionem inter vnitatem & Trinitatem esse huiusce modi, vt Vnitas sit simplex & singularis, Trinitas ve-

Valla lib. 3 Eleg. cap. 5.
Gentilis in prothesib[9].
Isid. lib. 1. cap. 4.

rò multiplex & numerabilis, quia Trinitas esset trium vnitas, sed aut voluit tropo quodam notationis oratoriæ ludere, quo similiter iocamur ciuitatem trium esse vnitatem, aut certè in hac Etymologia, vt in plerisq; aliis, extitit nimius. Cæterùm *quoniam in eo nihil alebat monstri, quod esset à* Catholica *alienum, hoc ipsi condonari potest, istos verò, qui ex falsa notatione nescio quid portenti in animum inducunt suum, minimè ferimus.* Quapropter *aduersum eos* Vnitatem & Trinitatem *potius ita distinguimus, vt illam ad essentiam, quæ in diuinis indiuiduis vna maximè colitur, hanc ad personas, quæ profectò tres in essentiæ vnitate adorantur, referendam simpliciter cum* Ecclesia *sentiamus.* Hinc *enim vnitas est in* Trinitate, *id est, vna essentia in tribus personis, &* Trinitas *in vnitate, hoc est, tres personæ in vna essentia.* Et *tamen turpiter fallitur* Caluinus, *qui contra* Gentilem *& in institutione ex eo quod veteres* Trinitatis *voce significari voluerunt tres personas citra essentiæ comparationem, colligit in personis non comprehēdi essentiam* Perinde *enim ait, atque si quis negaret* Trinitatem *hominum, quòd significet tres homines, quatenus tres sunt, excludere humanam essentiam ab his tribus singulis.* Redit *scilicet ad ingenium, quoniā putat personam nudā esse proprietatem, quo de errore satis superque modò disputaui.* Vocabulum *autem à primis* Apostolorum *temporibus ductum continenti quadam temporis serie demonstrare possumus.* Dionysius Areopagita *nostræ* Franciæ Apostolus *de diuinis nominibus & de mystica* Theologia *inculcat vocem* τριάδος. Iustinus *philosophus & martyr librum de expositione fidei inscripsit* περὶ τριάδος, *quod verbum toto illo ope-*

Calu. lib. 1. Instit. c. 13. Nu. 25.

Trinitatis vocabulū Apostolicū.

re & plerisque aliis terit. Gregorius Thaumaturgus sub Galieno in fidei quadā formula, quæ extat apud Eusebium, Clemēs Romanus in epitome peregrinationum Petri, Athenagoras in Apologia idem obseruitāt. Latinos quosque vetustissimos id fuisse imitatos liquet è primo Latinorum omnium scriptore celebri Tertulliano, qui librum nominatim scripsit de Trinitate. In Philopatri Lucianus Apostata tempore Adriani Cæsaris vocem iam tum inter nostros percrebruisse indicat, dum ipsos ludit inducere quaternionem Pythagoricum. Qui deinceps sequuti sunt crebrioribus sermonibus eam vsurparunt, quàm vt hîc debeant enumerari. Eus. histor. Eccl lib. 7. cap. 24.

Sequitur igitur quarta præfationis nostræ pars, in qua intima & ineffabilis diuinarū hypostaseon consuetudo explicanda nobis est, de qua sub περιχωρήσεως titulo Græci Theologi plurima disserunt. Illā dici posse video vnionem, qua vnum existit in alio non tantùm per naturæ participationem, sed etiam per plenam & intimam præsentiam. Hoc inexistentiæ, vt sic dicam, genus Nostri Circumincessionem appellāt, quia per illud aliqua, quātumuis à se inuicem absque separatione distinguantur, in se absque confusione insunt, séque veluti immeant, vt cùm Deus illapsu suo in piorum mentes se insinuat, infundítve substātialiter, aut cùm impurus Spiritus in animos abreptitiorum, quos ἐνεργουμένους vetus Ecclesia nominauit, introit atque illabitur. Quemadmodum etiam corpus (quid vetat rem obscurā ac difficilem multis illustrare similibus?) corpus, inquam, immortalitate gloriáque beatum in alio corpore tali claritate nequaquam prædito inest, quale haud dubiè portentum exhibuit Christus dum perla-

De περιχωρήσ. Quid περιχ.

Exempla περιχωρήσεως.

pidem sepulchro adiectũ, itémque per medias ianuas, quæ repagulis firmiter obdebantur, corpus suum discipulis spectandum traduxit. Quod ex Angelicis separatísve mentibus, ex duabus quoque Christi naturis adumbrare vtcunque licet. In illis naturæ tanta viget puritas, tanta simplicitas, vt in se inuicem citra vllam noxam aut alterius cessionem penetrare, introire, aduenire, insidere, inhærere possint, velut cum cereorum plurima lumina in vna domo, etiamsi se confuderint atque coniunxerint, integra tamen, incorrupta, perfecta denique disiunctione separantur. In his tam exacta naturarum adunatio, vt diuinitas per totam Christi animam commeet, anima vicissim diuinitatis plenitudinem pro suo modulo capiat, vt nõ immeritò à Scholasticis quæsitum sit, Maiórne esset trium diuinarum personarum, quàm duarum Christi naturarum vnio, nisi quòd coniunctio siue præsentia, quam hoc loco quærimus, cum penetratione, introitu, præsentia nusquã distanti, substãtialem porrò identitatem complectitur. Duo quippe alia genera inexistentiæ (vsu teramus hoc vocabulum) quoniam sine eiusdem substantiæ participatione, id est, consubstantialitate adueniunt, non huc propriè pertinent. Primum fit per externam receptationem, qua res loco contenta dicitur esse in loco. Alterum per præsentiam, quæ quauis distantia careat, vt cùm Angelũ in loco, accidens in subiecto, formam in materia esse pronũtiamus. Ad quam speciem refertur, quod Damascenus tradit duas Christi naturas se inuicem absque confusione ac mutatione immeare, ita tamen illa vt immeatio non proficiscatur ex carne, quippe quæ nequit diuinitatem peruadere, sed ex diuina substantia, cui omnia concedunt neces-

Col. 2.

Præsentia circũincessionis duo importat.

Tria genera inexistentiæ.

Dam. lib. 3. cap. 5. 6. & 7. & lib. 4 cap. 20.

sario. Vnde ipsa diuinitas carnem permeans tribuit carni ineffabilem erga se περιχώρησιν, quã vnionem vocitamus. Tertiũ hoc nostrũ intimæ, plenißimæ, ac nullo medio distanti præsentiæ consubstantialitatem addit. Itaque Dei est maxime proprium, in cuius beatißima Trinitate, vti scriptũ reliquit Augustinus, singula existũt in singulis, & omnia in singulis & omnia in omnibus & vnũ omnia. Quod miraculum Pictauorum Episcopus Hilarius vt eleganti similitudine declararet, cum Eucharistia, qua corpori Domini substantialiter adunamur, contulit, eámq; ideo appellauit sacramentum vnitatis Patris & Filij. Quemadmodũ enim Christus nobis ὁμοούσιος, in nobis inest carnaliter (verbum est Hilarij) per sacramenti participationem, sic ille in Patre naturaliter per diuinitatis substãtiam atque consortium. Quoniam autem in absoluta περιχωρήσει duo potißimum requiruntur, distinctio simul & vnitas, ac in solis diuinis hypostasibus summa reperitur vnitas, itémq; distinctio (In illis enim vt distinctio non confunditur, ita neque vnitas distinguitur, quoniam Pater & Filius & Spir. sanctus sine confusione indiuisi sunt, vt D. Leo loquitur, ἀδιαίρετοι καὶ ἀσύγχυτοι, vt Nazanzenus) certè in solo Deo perfecta, absoluta, completa extat περιχώρησις. Inde enim peculiariter sacræ literæ commemorant, Ego in Patre & Pater in me est, Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Verbũ erat apud Deum. Vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. Spiritus qui in Deo est. Tantùm in te Deus, & extra te nõ est alius, iusta Nostrorum quidem lectionem. Pater in me manet. His enim locutionibus priuatàm quandam causam insinuant, cur tres sint vnus Deus, quæ à nobis non prius clarè compre-

Aug. libr. 6. de Trin. cap. vlt.

Hilar. libr. 8. de Trin.

Duo in περιχ.

Ioan. 10. & 12.

Ioan. 1. 3. & 16. I. Cor. 2. Esa. 45. Ioan. 14.

Cant.1. *hendi poterit, quàm Deus suo fauore singulari nos introduxerit in cellaria sua, vbi in eo ad plenum exultemus & lætemur perfruentes amoribus eius supra vinum. Interim ne desinamus fide tantam maiestatem contemplari, ac ad eius gloriam pauentes atque attoniti supplicare, vt fidem quam nostris in animis ingenerauit, alat, augeat, ad summū sensim perducat, neque nos sinat sensuum ratiunculis pertrahi ad istam impietatis facem, quam iam cernimus longe latéque in Europā per Tredeitas, & iis aduersos Neosabellianos excitari, atque flagrare. Ardua quæstio est, fateor, quæque humanis mentibus percipi nequeat, sed proptereáne à disciplina, quam Dominus tantis Apostolorū sudoribus propagauit, tam multo martyrum sanguine confirmauit, tam difficilibus hominum & doctrina & vitæ sanctitate præstātium aduersum similia monstra luctationibus stabiliuit, deficiendum est? Cur non potius assidua manu versamus eorum libros, qui ætatem in tam obscuris difficilibúsque arcanis nostra causa obtriuerūt? Cur non ipsorum demonstrationes ex inerrantibus Dei oraculis depromptas attendimus, quibus tam euidenter, tam dilucide putidas istorum opinationes infirmarunt? Illos probabile est cùm*
Sap.1. *ad summam, quæ in ipsis viguit, doctrinam, integerrimam incorruptissimamque vitam, Dei inspirationibus valdè opportunam addiderint, sincerius hac de materia iudicare, diuinius etiā scribere. Id experiri licet in D. Dionysio, quo nullus mortalium hanc de θεαρχικῆς contemplationem melius, mea quidem opinione*
Diony. lib. de diui. nominib. c.2. *explicauit, nullus exemplis clarioribus illustrauit. Mutua & reciproca principalium hypostaseon mansio & sedes planè supra omnem modum vnitur, nulláque*

parte confunditur, similis lucernarum luminibus, vt exempla domestica, & quæ sub sensum cadunt vsurpem, quæ cùm in vna domo ardent, tota in se totis insunt, & cùm pura sint, certámq; habeant alia ab aliis peculiariter consistentem distinctionem, vniuntur ipsa distinctione & distinguuntur ipsa vnione. Nam certe *in domo multis luminaribus positis, constat in vnum aliquod lumen omnium lumina coniungi, ac vnum indistinctum splendorem emittere, adeò vt nullus, opinor, posit huius lucernæ lumẽ à cæteris ex aëre omnia lumina complectente distinguere, & alterum sine altero cernere, quòd in totis tota sine permixtione temperata sint.* At *verò si quis vnam facium è domo subduxerit, ita simul educet vniuersum eius lumen, vt nec quicquam aliorum luminum cum ipso attrahat, aut de ipso aliis deferat.* Erat enim *ipsorum, vti dixi, totorum per tota completa absolutáque vnio, absque vlla prorsum miscella & alicuius partis confusione, quippe cùm lumen reuera in aëre corporeo, & ex materiato igne penderet.* Vbi *quidem superessentialem vnionem longè superare dicimus, non solùm corporeas coniunctiones, verùm etiam illas quæ in ipsis mẽtibus, intelligentiisque existunt, quas sine mixtione & modo natura superiore habent lumina illa supercælestia* Deó*que similia, tota per tota iuxta participationem ipsis, qui vnione omnia superante participant, conuenientem.* Græca *si cui magis allubescunt, sic habent,*

ἡ ἐν ἀλλήλαις τῶν ἐναρχικῶν ὑποστάσεων μονὴ καὶ ἵδρυσις ὁλικῶς ὑπερηνωμένη, καὶ οὐδενὶ μέρει συγκεχυμένη ἐστὶ, καθάπερ φῶτα λαμπτήρων, ἵνα αἰσθητοῖς καὶ οἰκείοις χρήσωμαι παραδείγμασιν, ὄντα ἐν οἴκῳ ἑνὶ, καὶ ὅλα ἐν ἀλλήλοις ὅλοις ἐστὶν ἀψαφῆ καὶ ἀκριβοῦν τὴν ἀπ' ἀλλήλων ἰδικῶς ἐφισαμένην.

ἔχει διάκρισιν ἡνωμένην τῇ διακρίσει, καὶ τῇ ἑνώσει διακεκριμένην. καὶ γὰρ ὁρῶμεν, ἐν οἴκῳ τινι τῶν ἐνόντων λαμπτήρων πρὸς ἕν τι φῶς ἑνούμενα τὰ πάντων φῶτα, καὶ μίαν αἴγλην ἀδιακρίτως ἀναλάμποντα, καὶ οὐκ ἄν τις, ὡς οἶμαι, δύναιτο τοῦδε τοῦ λαμπτῆρος τὸ φῶς ἀπὸ τῶν ἄλλων, ἐκ τοῦ πάντα τὰ φῶτα περιέχοντος ἀέρος διακρῖναι καὶ ἰδεῖν ἄνευ θατέρου θάτερον, ὅλων ἐν ὅλοις ἀμιγῶς συγκεκραμένων. ἀλλὰ καὶ εἰ τὴν ἕνα τις τῶν πυρσῶν ὑπεξαγάγοι τοῦ δωματίου, συνεξελεύσεται καὶ τὸ οἰκεῖον ἅπαν φῶς, οὐδέν τι τῶν ἑτέρων φώτων ἐν ἑαυτῷ συνεσπασμένον, ἢ τοῦ ἑαυτοῦ τοῖς ἑτέροις καταλεῖπον· ἦν γὰρ αὐτῶν, ὅπερ ἔφην, ἡ ὅλων πρὸς ὅλα παντελὴς ἕνωσις ἀμιγὴς καθόλου, καὶ οὐδενὶ μέρει συμπεφυρμένη, καὶ ταῦτα ὄντως ἐν σώματι τῷ ἀέρι, καὶ ἐξ ἐνύλου τοῦ πυρὸς ἠρτημένου τοῦ φωτός. ὅπου γε καὶ τὴν ὑπερούσιον ἕνωσιν ὑπεριδρῦσθαι φαμέν, οὐ τῶν ἐν σώμασι μόνων ἑνώσεων, ἀλλὰ καὶ τῶν ἐν ψυχαῖς αὐταῖς, καὶ ἐν αὐτοῖς νόοις, ἃς ἔχουσιν ἀμιγῶς καὶ ὑπερκοσμίως, δι' ὅλων ὅλα τὰ θεοειδῆ, καὶ ὑπερουράνια φῶτα κατὰ μέθεξιν ἀνάλογον τοῖς μετέχουσι τῆς πάντων ὑπερῃρημένης ἑνώσεως. Præclarè quidem. Nam eleganti hac comparatione præter Patris & Filij & Spiritus sancti incomprehensam vnionem, quam nobis in hac fidei caligine vtcunque dilineari optabamus, adumbrat etiam assumptæ carnis mysterium. Christus quidem dixerat, Ego à Patre exij, & ad Patrem vado, sed quia idem testificatus fuerat se vnum esse cum Patre, non satis percipiebatur, quî ipse sine Patre potuisset humanam carnem induere. Respondens igitur Diuus, quemadmodum, inquit, si è multis vna fax subduceretur è domo, nihil illa secum traheret ex aliis luminibus, nihil etiam de suo illis relinqueret, sic mihi cogita Filium à Patre profectum in mundum neque secum traxisse Patrem neque spiritū, sed nec illis sui aliquid dereliquisse, itáque indiui-

duum suæ immanentiæ exitum fecisse. Sed de his alibi. Intereà hîc obserua, vt Diuus familiari exemplo repellat raucam plagam cuiusdam Andreæ Friccij, qui in Polonia ad reliquas animi sui impietates, Arianam adiecit. Is quodam in libro quem de Mediatore Christo inscripsit, statim initio prodit quid de trium hypostaseωn vna ac eadem diuinitate sentiat. Nam se non videre fatetur, qui si vna sit trium essentia, Pater simul cum Filio non sit incarnatus. Stupenda profectò inscitia, quæ non alio simili castiganda est, quàm Dionysiano. Ex tribus luminibus in vna domo micantibus vnum in solidum foras traduci potest, cùm interim duo reliqua tota ac integra intus maneant, neque vllo modo participent iis, quæ alteri foris eueniunt. Sic ex tribus diuinis personis vna dicitur descendisse in carnem, ac vt fert scholasticorum nostrorum breue scitúmque dictum, incarnatio terminatur in personam, non in essentiam. Quamuis enim in verbo diuina essentia incarnata corporatáque sit, non tamen absolutè & ἁπλῶς.

Impietas Andreæ Friccij.

Nota.

Tenes & fortasse quàm expectasses pluribus, quæ de essentia, persona, triadis voce, & περιχωρήσεως præfanda susceperam, quò ad cætera, quæ de tanta re explicanda supersunt, instructiorem tibi præberem transitum. Restat, vt lubricam & periculosam illam quæstionem de Deo vno & Trino, ad quam omnium temporum peruersa aliquot ingenia duce sathana fremuerunt, secundum scripturas propitiante Deo tibi enodemus.

Hic labor, illa domus & inextricabilis error,
Vt quondam Creta fertur labyrinthus in alta
Parietibus textum cæcis iter, ancipitémque

Sic Virgil. de Cretensi labyrintho 6. æneid.

Mille vius habuisse d. lum, quo signa sequētem
Falleret indeprensus & irremeabilis error.
Spiritus ipse dolos tecti, ambagésque resoluat,
Cæca simul, nobis vestigia, Christe, resigna.

De Trinitate personarũ scripturæ veteres.

Primùm plures numerandas diuinas hypostases, id est, res per se & seorsum subsistentes, quarũ vna quæque Deus creatríxque sit, loci sequentes, quorum aliquam partem olim aduersus R. Albonem è veteri testamento coaceruauimus, fidem indubitatã faciunt. In

Gene.1.

principio Dij creauit cælum & terram. Et, collocutus est, siue, alteri dixit *Deus, fiat lux. vox enim Hebraica* אמר *sermonem vnius ad alterum declarat, adeò vt alter, ad quem refertur hoc colloquium, etsi non exprimatur, debeat tamen intelligi, ne secum collocutus existimetur is, de quo vocabulum* אמר *vsurpatum est. Testis est R. Dauid Kimhi in suo radicum libro, vbi quid intersit inter* אמר *&* דבר *scitè admodum disputat. Ac hic profectò locus opportunissimus extitit, ad hoc personarum sacramentum designãdum, quoniam de creatione mundi agebatur, quæ propriè est Trinitatis opus, vniuersa moliente Patre per Filium in sancto Spir. Tali quippe locutione Paulus ac cæteri scriptores sacri & coëfficientiam & ordinem personarum adumbrare consueuerunt. Alloquitur igitur Deus Pater alium in vniuersa mũdi conditione, ac dicendo omnia procreat, id est, per Verbum suum, quod in Deo est hypostasis atque subsistit, in auras humani sermonis cogitationísve instar minimè euanescens. Quod liquido cernitur, dum hominem fabricaturus,*

Gen.2.

faciamus, inquit, hominem ad imaginem nostram. Hæc enim perspicuè sunt verba Patris ad Filium & Spiritum S. eius tanquam consiliarios, vel certè trium

personarum seipsas ad hoc insigne opus cohortãtium. similiter *quod sequitur*, Ecce Adam *factus est tanquam vnus* ex Nobis. Et *agedum* descendamus & confundamus *illic labium eorum. Quàm enim frigidum est, quod* Hebræoli *commentantur, consueuisse linguas omnes* דרך הכבוד, *honorísque causa pluraliter loqui de insignibus personis, cùm præsertim id in sua non poßint indicare, nisi cùm vel* Deus *de se vel de* Deo *scriptura loquitur?* Num *saltem alicubi in scripturis exemplum extaret, quo celebres personas pluralis numeri voce appellatas doceremur?* Nã *duo, quæ vulgo afferunt, & si quæ huiusmodi possunt depromere à tam amplo corporis* Biblici *volumine non carent controuersia, ac vel grammatica vel arcana expositione diluuntur, vt perspectum iis est, qui in consilium adhibent* Hebræorum Perushim, Agadoth, *&* Midrashim. Deinde *nónne ignobilißimi hominum alloquentes magnates, principes & reges interdum dignitatis ergô vsurpassent versus eos pluralem numerum?* Præterea *si modus loquendi de* Deo *pluraliter ob dignitatem illius tantùm vsitatus est, cur non perpetuò seruatur, cùm honor illi semper debeatur idem?* Et *tamẽ* Moses, *à quo hanc pluralem dicendi formam hausimus, dixit,* Mitte *domine alium, non,* Mittite, Dele *me de libro vitæ, non, delete, sexcentáque huiuscemodi.* Ex *quibus certè vnitatem essentiæ & actionũ insinuatam, quemadmodum ex locis quorum formula pluralis est, ternionem personarũ, aut scripturarum sensa frigida, plena vanitatis, succi mysteriíq; inania censere oportet.* Quod *cùm cerneret* Maometes, *dum se candidiorem rerum sacrarum censorẽ exhibere cupit, dum æmulatus veteres scripturas plurali voce de* Deo

Gen. 11.

Exod. 4.

loquitur, nec verò ipsi vel Iudaïca commenta, vel Christiana mysteria satisfaciunt, aliam causam huius locutionis excogitare voluit. Censuit pluralem de Deo locutionem adumbrare quandam Dei compositionem ac in Deo esse animam, cuius gratia pluralis formula de ipso non vt iam simplici & solitario enuntietur. Maluit scilicet aliquid, quamuis fictitiũ, quamuis falsum, quamuis à philosophia, nedum theologia abhorrens dicere, quàm tam abiectè tam humiliter de scriptura sentire. Sentiant igitur Hebræoli quicquid fors ipsis obiecerit in mentem, iactent sursum deorsum Hebraica, opponãt spiritui rancidas quasdam literas, nos secuti genuinum natiuúmque sensum Spiritus sancti, qui per oracula oraculorúmque sacros interpretes loquitur, sacramẽtum tantum in veteri testamento contemplabimur. Apparuit dominus Abrahæ in tribus viris, quos Abraham per multitudinis numerum inuitat, deinde sicut vnum singulariter compellat, Domini, Inquit, si inueni gratiam in oculis tuis ne pertranseas seruum tuum. Et ad Abimelech, Eduxerũt me dij de domo Patris mei. Sic in Historia Iacob, apparuerunt ei dij cùm fugeret fratrem suum. Et in lege, Quænam est gens, quæ habeat Deos tam propinquos sibi, vbi paulo pòst extat confeßio totius populi seu Ecclesiæ Domini, Audiuimus, inquiunt, vocem Deorum viuentium, qui de medio ignis loquitur. Apud Iosuam, Non poteritis seruire domino, quoniã Dij sancti est. In Regibus, Israël gens in terra, propter quam iuerunt Dij, vt redimerent sibi. Et, dij liberabunt de manu ista? Salomon mortalium sapientißimus secundum vnum Christum declaratus Oraculo, Memento, ait, creatorum tuorum in diebus iu-

[Margin notes: Deus habet animã nec est purus actus Maometi. — Gen.18. — Sic in veritate Hebraï ca, è qua fere sequẽtia transferuntur. — Gen.20. — Gen.35. — Deut.4. — Deut.5. — Iosue.vlt. — 2.Reg.7. — 2.Par.32. — Eccl.12.]

bus iuuentutis tuæ. Et, *Quid homo est, vt sequi posit* Eccl.2.
regem(Deum) qui fecerunt eum? Et, *Noui scientiam* Prou.30.
sanctorum? *Sic Iob & Esaias.* Nō *dixit, vbi est* Deus Iob.35.
factores mei? *Non suspexistis ad eos, qui fecerant* Es.22.
eam (Hierusalem) formatorémque eius de longe non 42.50.
vidistis. Creās *cælos &* extendētes eos dominus,
Mane erigit aurē mihi, vt audiam quasi magistros.
Quia dominabuntur *tui* qui fecerunt te, *do-* Es.54.
minus exercituum nomen eius. Hieremias *distinguens*
ipsum ab idolis mortuis, dominus, inquit, Deus *verus.* Hier.10.
est, ipse Dij viuentes *& rex sempiternus.* Et eodem Hier.23.
libro, Peruertistis *verba* Deorum viuētium, *domini*
exercituum Dei *nostri.* Daniel *suum adiungit calculū,* Dan.2.
Mihi quoque non in sapiētia, quæ in me est, sacramen-
tum hoc reuelauit(Deus) sed vt interpretationem Regi Dan.7.
manifestarent. *Et, Regnum dabitur sanctis* altissi- Ibid.
morum. *Et, suscipient regnum sancti* altissimorum. Ibid.
Et, sanctos altissimorum *conteret.* Item *interficiet* Ibid.
robustos & populum sanctorum, *secundum volun-*
tatem suam. Malachias *fidem firmámque opinionem*
prophetarum, qui se præcesserant, comprobat, si *ergo* Mal.1.
Pater ego sum, vbi est honor meus, & si ego Domini,
vbi timor meus? Oseas, *Iudas adhuc descēdit cum* Deo Os.11.
& cum sanctis *fideli.* Apud Dauidem, *Rectum vide-* Psal.11.
bunt vultus eorum, *cùm antea Dei numero singulari*
facta esset mentio. Et, *ecce enim* Dominus *adiuuat me,* 54.
& Dominus est susceptores, (siue in susceptoribus) a-
nimæ meæ. Et *sub finem* Psalmi 58. *Vtique sunt* Dij iu- 58.
dicantes *in terra.* Et *Psal. 29. de Angelis, qui sunt o-* 29.
pera trium diuinarum hypostaseon, Tribuite *Domino*
filij deorum, *tribuite domino gloriā.* Et *Psal.* 89. *Quis* 89.
in nubibus æquabitur domino, assimilabitur Deo *in fi-*

47. *lius deorum.* Et *Psal.* 47. Dii fortes *terræ vehementer*
148. eleuati sunt. Et *Psal.* 148. *Lætetur Israel in factoribus*
136. *suis.* Et *Psal.* 136. *Confitemini* domino *dominorum,*
Deut.10. *quemadmodum iam olim scripserat* Moses, *dominus*
Deus *vester ipse est* dii *deorum & domini dominantium.* *Infinita sunt talia propemodum in Psalmis & Propheticis oraculis, in quibus elocutio Hebraica ita substantiæ & actionis diuinæ vnitatem credere imperat, vt interim hypostaseon multitudinem apertè insinuet.* Itaque *Rabbini veteres veritatis luce perstricti scribere coacti fuerunt, quò satis fieret vtcunque mentibus, quæ huiuscemodi dicendi formulis conturbari poterant,* Deum *esse* אחד ולא יחיד *vnum sed non solitarium.* *Quæ verba etiam apud* Nostros *trita sunt.* Damasus Pontifex *in suo* Symbolo, *vnum* Deum, *ait, colimus & confitemur, nec sic vnum* Deum *quasi solitarium, nec eũdem, qui ipse sibi* Pater *sit, ipse &* Filius. Augustinus *libro quæstionum veteris & nouæ legis, vnus est* Deus, *sed non singularis.* Prudentius *initio Psychomachiæ,*

Vnum nanque Deum *colimus de nomine trino,*
Nõ tamen & solũ, quia tu Deus *ex* Patre *Christe es,*

Hanc *veterum fidem dissimulare non potuerunt plerique recentiorum* Iudæorum, *quãtumuis eam aliò torquêre conati sint.* Nam R. *Moses* Haddarsan *in sua* Bereshith Rabba *sententiam* Talmudicorum *esse scri-*
Gen.1. *bit Mosem ideo vsurpasse pluralem deorum numerũ, vt significaret per tres* מדות *.i proprietates diuinas procreatum mundum, notitiam, sapientiam, prudentiam, quæ existunt trium personarum attributa.* Hæc *enim, quamuis in sensum* Sabellianum, *vt superiore libro monui, retulerit, tamen dubium non est, quin illi,*

quorum sententiam recitabat, ad nostrum dogma spectarent, quemadmodum infrà ex his, quæ iidem ipsi de S. spiritu prodiderunt, perspicuum planúmque efficiam. Præterea R. Iaphet in Psalmum vndecimum & R. Salomon tale aliquid indicant. Nota. (inquit, R. Salomon, dum enarrat, quod è Genesi citauimus, Dij eduxerunt me*) pluralem hanc syntaxim.* Ne autem *mireris. Compluribus enim in locis dictiones deitatē, diuinitatem, dominationem declarātes scriptura cùm de Deo loquitur, pluraliter enuntiat, vt,* Iuerunt dij, dij viuentes, dij sancti, domini dominorum. *Imò verò vbique vox Elohim pluralis est numeri. Ac ex decem dei vulgatis nominibus nullum extat, quod non sæpiusculè occurrat pluraliter, præter* Iehué *tetragrammaton & יה Iáh, quæ duo ad significandam dei essentiam planè pertinent. Atqui hæ locutiones essent periculosißimæ, & vehementer ad idololatriam erroréṁque inclinarent, nisi rerum aliqua pluralitas in Deo existeret, præsertim cùm, verbi gratia,* אלהים *Elohim, à qua voce doctrinā de procreatione mundi auspicatur Moses, habeat singulare* אלוה *Elóah vsitatißimum. Proinde R. Abraham re ipsa superatus cōfitetur Danielem apud Nabugdonozorem, noluisse loqui de Deo pluraliter, Hebræorum more, ne plurium deorum moueret suspitionem. Est Deus (ait) in cælo reuelans mysteria, vbi Hebræus diceret. Est dij in cælo reuelans mysteria. Quasi huiusmodi ad plurium deorum cogitationem animum auditorū conuertāt, sintq́; de iis, quæ non debeant in homines alienæ religionis indicari, quippe pinguiores corporatioréſque, quàm vt mysteria fidelium valeant percipere. Quod etiam Noster Hieronymus in septuaginta interpretibus peculia-*

Gen. 20.

Duo tantū dei nomina sunt semper sing. num.

Abben Ezra in 2. cap. Dan.

riter obseruauit. Eos enim deprehēdit disceßisse à veritate Hebraica illis in locis, quibus sacramēta sanctæ Triadis insinuabantur, quòd Biblia non suis, sed gētilibus verterent. Vt & prodidit Iosippus Hebræorū historicus statim sui opusculi initio. Nam inter tredecim loca, quibus ipsos affirmat submutasse contextum Hebraicum, hæc duo reponit, faciā hominem ad imaginem & similitudinem meam. *Item,* descēdam & confundam labium ipsorum, *cùm apertè Mosis litera habeat*, Faciamus hominem ad imaginem nostram, descendamus & confundamus labium ipsorū. *Causam fuisse, ait,* שלא ישתמע כמי שמתייעץ עם אחרים. *Ne, inquit, audiretur Deus, velut is, qui consultat cum aliis. Deinde ad coronidē illius enumerationis subiicit,* בא וראה במה היו נשמרים מגזרות יון *Veni & attende quemadmodum sibi canerint à Græcorum dogmatibus. Quod idem sanctè prospexisse Apostolos in Ecclesiæ cunabulis vidit Carolus Magnus in fragmētis, quæ hodie de veteris Ecclesiæ ritibus supersunt, nempe ideò solennes orationes ad solum Patrem direxisse, ne existimarētur ab externis* πολυθεότητα *à sua quidem differentem, sed tamen aliquam introducere.*

Gen. I.
Gen. II.

Nouæ scripturæ de S. Trinitate.

Sed his addamus nostri testamenti tabulas, prætere etiam Prophetica oracula, quæ vt quædam sunt media inter antiquum & recens testamentum, ita articulatim nobis personas aliquando exprimunt, quæ in superioribus scripturis vniuersè tantùm, proindéq; obscurius significabantur. Vt ergo alicunde incipiamus, Tres esse in cælo, quorum quisque verè Deus existat, totidem verbis testatur Ioannes in sua Catholica. Tres sunt in cælo, qui testimonium dāt, Pater, Verbum,

I. Ioan. 5.

& Spiritus. Nempe Pater de cælo clamans, Hic est Filius meus dilectus, Filius in terra Ioanni Baptistæ tingendum se offerens, Spiritus S. specie Columbæ aspectabili in humerum Christi incumbens. Trium quippe in Baptismo Christi facta est manifestatio, qualis postea in eiusdem transfiguratione apparuit, dum Filius illustri quadam luce vndique circumfunditur, vox Patris Filium suum recipi mãdantis auditur, nubis specie mysterium Spiritus sanctus perficit. Atque hi quidem sunt, quos versu vno multæ scripturæ recensent ex nomine. In veteri quidem testamento Aggæus, Ego sum vobiscum, dicit dominus exercituum, cum Verbo quod promisi vobis, & Spiritus meus, in medio vestri, Nolite timere. Esaias, Spiritus domini super me, eo quòd vnxerit me. Et, Ego primus & nouißimus. Non à principio in abscõdito locutus sum. Ex tempore antequam fieret ego eram & nunc dominus Deus misit me & Spiritus eius. In nouo verò Mattheus, Baptizantes in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Horum enim fides nobis datur in baptismo, vti etiam ab iis remißio peccatorũ, itémque vita æterna speratur. Apud Ioannem Christus, Ego rogabo Patrem & alium consolatorem dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis. Et, Paracletus, quem mittet Pater in nomine meo, ille docebit vos omnia. Paulus, Habemus accessum ad Patrem per Filium in vno Spiritu. Gratia domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei & communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Neque non fides Apostolica docet in hos tres credere, Credo in Deum Patrem, & in Filium eius vnicum & in Spiritum sanctum. Vnde eo-

Matth. 3. Matth. 17. 2. Pet. 1. Agg. 2. Es. 61. 48. Matth. 28. Ioan. 14. Ibid. Ioan. 15. Eph. 2. 2. Cor. 13. Symbolum Apost.

rum mentionem scripturæ sparsis in locis singulatim ingerunt diuinam substantiam, itémq; actionem nunc huic, nunc illi citra discrimen tribuentes.

Testimonia veteris testamenti de diuinitate Christi.

Esaias canit, Deus fortis, *pater sæculi natus est nobis.* Deus absconditus, *quem gentes adorabunt.* Vocabitur Immanuel. *Reliquiæ conuertentur, reliquiæ Iacob ad* Deum fortem. *Nam hæc sunt duo nomina de sex, quibus puerulum, qui nobis natus est, appellatum legimus. In illa die dicet,* Ecce Deus noster *iste, expectauimus eum & saluabit nos. Iste* Dominus *& sustinuimus eum. Consolamini,* Ecce Deus noster *retribuet, ipse veniet & saluabit nos, aperientur oculi cæcorum &c. Gentes, quæ te non nouerunt (ô Sion) ad te current, propter dominum* Deum *tuum &* Sanctum Israël, *qui glorificauit te &c. Ecce ego posui te in testamentum. Nam quòd non de puro homine dicat, adiuncta testantur, Ipse erat qui dixit. Hic* Deus noster non reputabitur alius, neque connumerabitur ad *ipsum. Hieremias id non reticet. In diebus illis germinare faciam David Germen iustum, hoc nomen quod vocabunt eum* Deus iustitiæ nostræ. *Daniel optat exaudiri propter Christum dominum, per quem fuit semper ad patrem accessus. Ostende faciem tuam super sanctuarium tuum, quod est desertum, propter* dominum, *siue,* Deum, יהוה *Vti Pater per Oseam pollicitus fuerat. Saluabo eos in* domino Deo *suo. Per Zachariam quoque, Roborabo eos in* domino. *Lætare filia Sion, quia ego venio, & habitabo in medio tui, & affluent gentes multæ ad* dominum, יהוה. *Apud eundem Deus loquens inducitur, Aspicient ad me, quem confixerunt. Et framea, suscitare super pastorem meum, & super virum*

Es. 9. 45. 7. 10. 25. 35. 55. 58.

Hier. 23. & 33.

Dan. 9.

Nota vocē Domini his cunctis locis in Heb. habere nomen tetrag.

Os. 1.

Zac. 12.

socium meum, *dicit dominus exercituum*. Dixit 13.
dominus *ad Satan, increpet te* dominus. Baruch, 3.
Hic Deus *noster non reputabitur alter ad eum, post* Bar.3.
hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus
est. Ioel, *Qui inuocauerit nomen* domini *saluus erit*. Ioel.2.
Micheas, *Transibit rex eorum coram eis, &* Deus *in* Mich.2.
capite ipsorum. Egressus eius ab initio, à diebus æ- 5.
ternitatis. Malachias, *Statim veniet ad templum*
suum dominus, *quem vos quæritis, &* Angelus Mal.4.
testamenti, *quem vos vultis*. In Psalmis, *Sedes tua* Ps.44.
Deus *in sæculum sæculi*. *sicut & expreßit Diuam*
virginem alloquens Angelus. Psalmo 82. *Deus stetit*
in Synagoga Dei אל. Et, *Adorent eum omnes* Ps.102.
Angeli Dei. Adorate *eum omnes angeli eius*. Apertè Ps.96.
enim in Christo diuinam naturam esse ostendit, cùm
eum per sanctos Angelos adorari iubeat. Quod non Prou.8.
minus perspicuè docet filius Salomon, Cùm pararet,
inquit, cælum aderam, vnà cum eo cuncta componẽs,
atque ego eram, qua delectabatur, quotidie oblecta-
bar facie eius, nondum erant abyßi & concepta eram
&c. Quàm enim insipida hæc sunt, si non essentiali-
ter, si non reuera, sed tantùm per modum qualitatis
sapientia apud Deum consistebat? Nam quid dicent
Ecclesiastico & sapienti, *qui pronuntiant sermonem* Eccl.1.4.
omnipotentem, hoc est, verbum æternum venisse de 24.
solio regio? Quid Barucho *vatis* Hieremiæ *notario,* Sap.18.
qui eam tradit visam fuisse in terris versantem cum Bar.3.
hominibus? Aut quem locum apud illos habebunt
verba Iob *de ipsa diuinißimè philosophantis*, Deus Iob.28.
intelligit viam eius, ac ipse nouit locũ eius, si nusquam
per se cohæret? Maximè cùm in eum versum ita R. Sa Sapiẽtiam
lomon è Patrum *circumcisorum scriptis commentetur,* Dei esse rẽ

per se subsistentem è traditionibus Heb.

Nouit Deus vbi illa inhabitet. Nam ipsam intuens creauit mundum, in literis eius, secundum ordinem ac ex pondere siue libramento illarum. cuncta, quæ formata sunt, finxit, vti scribitur ad extremum libri Ietsirá. Quàm enim id congruit cum Vetere ipsorum

Eccl.24.

disciplina, quam Iesus Sirach septuaginta interpretum maximus elegantissima explicauit oratione.
» *Ego ex ore altissimi prodij, primogenita ante omnem creaturam. Ego feci in cælis, vt oriretur lumen indeficiens, & sicut nebula texi omnem terram. Ego in altissimis habitaui, & thronus meus in columna nubis. Gyrum cæli circuiui sola, & profundum abyssi penetraui, & in fluctibus maris ambulaui, & in omni terra steti.* Et quæ in eam sententiam plurima sequuntur, quæ ex receptis Hebræorum persuasionibus hausisse Sanctum Ecclesiasticum non dubitabit, qui recentiorum Rabbinorum, quantumuis corruptas iudiciíque expertes Cabbalas euoluerit. Singularis extat locus in Targhũ Hierosolymitano consentiens cum eo, quod noster D. Hilarius se accepisse à Iudæo quodam prodidit alicubi, in libri Geneseos capite, Filij mentionem fieri sub nomine Sapientiæ. Nam vbi Hebraïcus contextus habet in principio creasse Deum cælum & terram, Targhum Hierosolymitanus transtulit בחוכמא ברא י״י, in sapientia creauit Deus. Quam sententiam more suo libri Sapientiæ auctor multis modis ampli-

Sap.7.8.10

ficans Sapientiam Dei definit *vaporem virtutis Dei, emanationem quandam claritatis omnipotentis Dei sinceram, adeò vt nihil inquinatum in eam incurrat, Candorem lucis æternæ, Speculum sine macula Dei maiestatis, imaginem bonitatis illius.* Hæc Sapientis sunt verba, hæc oratio, qua non potuit enucleatius siue

suorum siue Nostrorum fidem de Filio Dei, qui iuxta Apostolum Sapientia Dei est & virtus, splendor gloriæ & character personæ eius, forma Dei inuisibilis explicare.

1.Cor.2.
Heb.1.
Phil.2.
Col.2.

Huc facit, quod Hebræi veteres quoddam agnoscunt verbũ Dei increatum, quod appellant מימרא דיי *ac de eo interpretantur pleraque quæ de Deo ipso Scriptura enuntiat. Vt taceam apud Zoarem, secretiorésque Hebræos multa extare loca, in quibus omninò Verbum domini sonat rem aliquam infectam, quæ idem sit atque Deus, nec vlla ratione accipi potest de Verbo literis sacris consignato, Aperta dilucidáque est Targhum Hierosolymitani mens in sextum Exodi caput. Quod enim dominus Mosi fatetur se tantùm apparuisse Patriarchis nomine Dei omnipotentis, nec verò nomen suum Adonai eis manifestasse, Tharghum sic declarat, Et reuelaui me per verbum meum Abrahæ, Isaac, & Iacob in Deo cælorum. Nomen autem Verbi domini non notum feci eis. Quin etiam habent hoc peculiare reliqui Chaldæi paraphrastæ, vt plurimam mentionem faciant Verbi domini, maximè illis locis, vbi Deus inducitur loquens cum homine, quasi ipse fuerit λόγος Dei, qui aderat Patribus & sub variis figuris & imaginibus nunc Angeli, nunc Nubis, nunc Flammæ ipsis loqueretur. Ego (ait Moses) sequester & mediator fui inter Deum & vos, hoc est, iuxta OnKelum, Ego steti inter verbum domini & vos. Nõ præualebunt (inquit Hieremias) tibi, quia ego tecum sum, vt seruem te, hoc est, interprete Chaldæo Ionathã, non præualebunt tibi, quia in auxilio tuo Verbum meum est, vt eripiam te. Cuius etiam rei opinio Philosophos ipsos imbuit. Nam Philo Iudæus, siue id habeat*

Hebræi agnoscunt Verbũ increatum.
Hebræi passim inculcãt Verbum Dei.
Deut.5.
Hier.15.

cùm Iudæorum nonnulli Christum nostrum dixissent esse Meßiam, alij Eliam, alij Ioannem rediuiuum confitetur eum esse Meßiam Filium Dei viuentis. Cæcus ille natus idem se credere apud dominum testatus est. Ioan.9.
A qua confeßione non abhorrens Martha matrona nobilis, Credidi, inquit, quia tu es Filius Dei viui, non vtique adoptione aut gratia tantùm. Nam nihil vterq; respondisset, cùm Elias extitisset quoque hoc modo Dei Filius. Prætermitto dæmonas, Caïphā, Pharisæos, reliquos denique Iudæos in nostris euāgelicis historiis sæpius præ se tulisse neminem se habere Meßiam, quin simul haberent Deum, & idcirco reum blasphemiæ postulasse dominum & saluatorem nostrum, quòd cùm ipsorum sententia, homo nudus esset, se Deum, Deo æqualem, Filium Dei, sibi gloriosè arrogato Meßiæ titulo faceret. Hoc vnum addo Iudæos non ita fuisse stupidos, quin satis intelligerent, hanc esse mentē Christi, vt sese verum Deum, veréque Deo æqualem cōstitueret, ideóque Christianos, qui id non credunt, turpißimè, atque adeò sceleratißimè facere, cùm de Christi sententia humilius, quàm Iudæi, sentiant. Hoc ex Ioanne apparet, qui scribit Iudæos hostili sese gesßisse animo erga Christum, quia Deum Patrem suum esse diceret, ac in eo se æqualem Deo faceret. Nam verba illa Ioan.II. Luc.4.8. Marc.3. Matt.8. Mat.14. Mat.26. Luc.22. Ioan.5.10.19. Ioan.5,
Quærebant illum interficere, quia Patrē suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo, *cùm verba sint D. Ioānis, quis negabit esse vera, atque ita Christum esse deum deóque parem? Clara est Talmuditarum authoritas, quorum vnus nomine R. Abba ad rogatum de nomine Meßiæ respondet, deus erit nomen eius. Itidem in Baba Batra cap.* Qui vidit nauem, *quo similiter disputatur de Meßiæ cognomento,* *In Midras Echa siue lamentationū c.I. Item in tractatu Sanedrin, cap. HéleK.*

Talmudici definiunt sciscúntque appellãdum nomine dei tetragrammato. Necnon in Baba Metsibá, nonnullis postulantibus, quo nomine nuncupandus sit Messias, R. Abba, cuius consultum modò attulimus, Iod, He, Vau, He, inquit Nomen videlicet tetragrammaton

Hiere.23. & 33 ineffabile. Quod munit Hieremiæ clarißimo oraculo, Et est nomen eius, quo vocabunt eum, Iehuć Iustitiæ nostræ. Ibi enim Hebraicus sermo nomen posuit tetragrammaton, quod R. Dauid Kimhi frequenter scribit, inter cætera, quibus deus in scripturis afficitur, solum esse proprium. Et certè nulla ratione diuinitatis Christi perduelles ex hoc Hieremiæ angiportu possunt euadere. Nam perspicuè quocunque Oraculi, siue sursum siue deorsum respicias, de Meßia propheta loquitur. Itaque id quantumuis acerbè ferant Iudæi, Ionathan Vzielis filius, auctor Paraphraseos, fulgore veritatis perstrictus, vltra literam Hebraïcam in suam interpretationem Meßiæ vocabulum intulit. Quod ne poßint deradere, ac vt contra se suorum testimonium præsentißimum gerant, sapientißimè à Domino prouisum est, vt R. Elias in suo Methurgheman hunc locum inter eos nominatim recenseret, in quibus narrat Chaldæum Paraphrasten explicationis gratia de suo adiecisse vocem Christi. In diebus illis (ait Hieremias interpretante Chaldæo, & referente Elia) germinare faciam Meßiam iustitiæ, & hoc est nomen, quo vocabitur, deus iustitiæ nostræ. Nec dubium, quin si dißimularemus, Christi diuinam essentiam, statim per verpos impurißimos, odio, quo in nos benedictionis ipsorum præreptores, inflammantur, producta haberemus scripturarum veterum examina, quæ eam confirmarent, quæque sententiam aduersam re-

redarguerent. Hac enim sententia nulla extat ipsorum literis, atque adeò Cabbalicis arcanis congruentior, nulla veterum Patrum circuncisorum scriptis scitísque affinior, vt valdè mirabile sit inter Nostros inueniri, qui eius etiam rei calumniam Christo domino mouere non reformident. Mihi hîc isti respondeant, Esto Christus ne sit verus deus. Quid igitur magni Deus pro nobis gessit, vt suam toties nobis commendaret charitatem? Vice Esaiæ & cæterorum vatum, quorum ardens erat zelus, insignis pietas atque religio, nobis redemptorem alium hominem esse iussit, ac nos nostram salutem rei procreatæ ascribere? deinde nónne illud est apertè confiteri Christo nihil nos prorsus debere, imò verò Christum nobis vehementer esse obnoxium, quòd à deo delectus, vt nostram salutem operaretur, sibi acquisierit non tantùm nomen supra omne nomē, sed etiam vt sedeat ad dexteram maiestatis in excelsis. Postremò quare apertis euidentibúsque suorum Apostolorum testimoniis Deus nos delusos voluit? Recens enim testamentum pleno ore Christum sine vlla tergiuersatione deum esse etiam atque etiam clamat.

In principio erat verbum & Deus erat verbum. Christo iubente inferre manum in latus suum Thomas reipsa victus vociferatur, Domine mî, Deus mi. In Græco enim atticè extat nominatiuus pro vocatiuo. In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animā suam pro nobis posuit. Simus in vero Filio eius. Hic est verus Deus & vita æterna. Ego sum primus & nouissimus, & viuus & fui mortuus. Ego sum α & ω, principium & finis, dicit dominus Deus, qui est & qui erat & qui vēturus est omnipotens. Hæc di-

Recentes scripturæ de diuinitate Christi.
Ioan.1.
20.
1.Ioan.3.
1.Ioan.5.
Apoc.1.

Apoc.2. cit primus & nouissimus, *qui fuit mortuus & vixit.* *Sanctus, sanctus, sanctus,* Dominus Deus Sabaoth, qui erat & qui est, & qui venturus est omnipotens. *Ecquis verò venturus nisi Christus, quippe*
Apoc.4.
Ioan.5. *cùm Pater non iudicet quenquam, omne autem iudicium dederit filio?* Extat *gratiarum actio cælestis militiæ, quæ virtutem, gloriam, diuinitatem denique attribuit* Filio Dei, *perinde atq;* Patri. Iam *Paulus clarè*
Apoc.5.
Act.21. *asserit* sanguine Dei, *acquisitam esse* Ecclesiam, *&*
Act.17. Deum ignotum, *cui* Atheniēses *aram erexissent dicassentque, esse eum, quem* Deus *suscitarat à mortuis.* Ad Corinthios *verò* dominum gloriæ *fuisse crucifixum.* Ad Romanos *triumphans exultánsque exclamat,* Christus *est super omnia* Deus benedictus in
1.Cor.2. sæcula. Ad Galatas *negat se* Euangelium *didicisse per*
Rom.9. *hominem, sed per* Iesum Christum. *Deus igitur est*
Gal.1. Christus *& non purus homo, alioqui per hominem didicisset.* Qui *cùm* in forma dei *esset, non arbitratus*
Phil.2. *est rapinam se esse* æqualem deo. Vbi formam dei *appellat diuinam essentiam, nam eam statim opponit* formæ serui, *qua humanam substantiam significari neminem puto dubitare.* Ad Timotheum *iuxta quidem* Græcam *veritatem nemini id obscurū esse ouans*
1.Tim.3. *testatur,* Manifestè *magnum est pietatis sacramentum,* θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί, deus manifestatus est in carne, *iustificatus est in spiritu, apparuit angelis, prædicatus est gentibus, creditus est mundo, assumptus est in gloria.* Ad Titum *iubet, vt expectemus aduentum*
Tit.2. *(apparitionem* ἐπιφάνειαν*) gloriæ* magni dei & Saluatoris Iesu Christi, *qui dedit semetipsum pro nobis.* Ad Hebræos *de eodem scriptum ait,* Thronus *tuus*
Heb.1. deus, *in sæculum sæculi.* Dilexisti *iustitiam, propterea*

vnxit te, ô Deus, Deus tuus oleo exultationis, Et, *Tu in principio* יהוה, *ô Deus terrã fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli. Omnia veterascent, tu autem* idem ipse es, *& anni tui non deficient.* Ad *eosdem periphrasi diuinitatem Christi elegantißimè circunscribit, Est, inquit, splendor & character substantiæ eius*, omnia portans verbo virtutis suæ, sedens ad dexteram maiestatis in excelsis. Et, *Christus* heri & hodie ipse & in sæcula. *Idem ad Colossenses. Qui est imago Dei inuisibilis, in quo omnia sunt condita in cælis & in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni siue dominationes siue principatus siue potestates, vniuersa per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui &* principium. Et, *quia in ipso habitat omnis* plenitudo diuinitatis *corporaliter, caput omnis principatus & potestatis. Quid plura? Num apertißima cuique sunt tum Angeli tum Zachariæ apud D. Lucam testimonia? Angeli quidem, Multos Filiorum Israël conuertet ad dominum deum ipsorum & ipse præcedet ante* illum *in Spiritu & virtute Eliæ.* Ante illum, *inquit, haud dubiè dominum deum ipsorum, de quo loquebatur. Zachariæ verò, Tu puer propheta* Altissimi *vocaberis*. עליון *de decem dei nominibus, quæ de deo enuntiantur.* De*inde quorsum pertinet* Marci *Euangelium vitæ describturi tam insolens præfatio, Initium Euangelij Iesu* Filii dei *sicut scriptum est in Esaia propheta, Ecce mitto angelum meũ ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te, vox clamantis in deserto, Parate viam* יהוה *domini, siue dei, rectas facite semitas eius.* Non*ne vt testatum relinquat se non Angeli, non prophetæ,*

Heb. 1.
Heb. 13.
Col. 1.
Col. 2.
Luc. 1.
Marc. 1.

non Herois res conscripturum, sed eius qui vt Filius dei existit, ita à prophetis יהוה deus & dominus dudum habitus prædicatúsque sit. Alludit enim perspicuè ad illud Esaiæ, cùm de Ioanne Baptista loquitur, Vox clamātis in deserto, parate viam Iehué, & paulò post, Ecce dominum Iehué fortiter venientem. Nec aliò Petri oratio referri potest, Crescite in gratia & cognitione domini nostri & saluatoris Iesu Christi, ipsi gloria & nunc & in diem æternitatis, Amen. Vt & reipsa illa Angelorum cœlestiúmque spirituum gratulatio fatetur, Natus est vobis hodie saluator, qui est Christus dominus. Et, dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutē, diuinitatē, & sapientiā & fortitudinem & honorem & gloriam & benedictionem. Et, sedenti in throno & agno benedictio & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum. Amen.

Esa.40. Matt.3. 2.Pet.3. Luc.2. Apoc.5.

Præterea quàm apertè per Filii singularem proprietatem & notationē à rebus factitiis distinguitur? Paulus argumentatur Christum non tantum excellere Angelis, quòd differentius nomen, nempe Filij, vti exempla, quæ quidem subiicit, declarāt, præ illis hæreditauerit, sed etiam deum. Eundem citra proportionem anteponit Mosi, quòd Filius sit in domo sua, quam profectò fabricauerit, se deum prodens, quia, inquit, qui omnia creauit deus est. Iam enim videamus, vt scripturæ Christum filium dei, qui à creaturarum nomenclatura separatus & in diuinitatis consortio numeratus propriè, verè, naturalitérq; talis sit, nominent. Ordior à Dauide, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Osculamini filium, ne quando pereatis. Ante solem, Innon. i. filiabitur, filius erit nomen eius. Vbi Chaldæus, Et antequam esset sol præparatum erat nomen

Heb.1. Christū naturalem & verum & propriū esse Filium dei, propterreáq; deū testimonio veteris testamēti, ex veritate Heb. Psal.2. Ibid. Psal.72.

men eius. Hebræorum *autem maiores Innon tradunt esse vnum è cognomentis Mesiæ, quasi Christus filius existeret, filiúque nomen obtineret, ante mundi exortum, sicuti alibi ipse idem significauit, A vulua auroræ tibi ros natiuitatis tuæ. Quod septuaginta interpretes verterũt, Ante luciferũ genui te, eodẽ quidem, sed tamen clariore sensu. Salomon Patrem æmulatus hoc sacramẽtum non reticuit, Nostin', ait, quod nomen eius, & quod nomẽ* filii eius? *Vt prophetas notem, Esaias & Hieremias Christum* germen domini *nuncupauerunt. Danieli species quarti, qui in fornace apparuit, similis* filio dei *erat. Oseas narrat deum Patrem vocasse ex Ægypto* filium suum. *Apud Zachariam, framea, inquit Pater, suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi, Aamithi, id est, socium meum, consubstantialem meum.* Reuchl. lib.1. Cabal. Galat. lib.12.c.3. Psal.100. Prou.30. Es.2. Hier.23. & 33. Dan.3. Os.11. Zach.13.

Iam quid eo frequentius, quid eo sæpius in nostris literis? Vidimus eum quasi vnigenitum *plenum gratiæ & veritatis. Nec verò particula, quasi, perturbare quemquam debet, quia apud Hebræos aduerbia huiuscemodi non modò non minuunt, sed & ad maiorem asseuerationem faciunt, vnde etiam appellatur* כפים לאמת הדבר. *Exempla aliquot promit R. Dauid Kimhi in quartum caput Oseæ. At verò rem ita se habere hoc loco constat ex aliis eiusdem B. Ioãnis paginis,* Proprio, Proprio *(inquam)* filio suo *non pepercit. Deinde rationem reddit, cur ad suum Euangelium scribendum impulsus sit, nempe vt fidem faceret Iesum esse Christum* Dei filium. *Et in Catholica, Vt simus in* vero, vero *(inquam)* filio eius Iesu Christo, ipse est verus Deus. *Et,* filium suum vnigenitum *misit Deus in mundum, vt viuamus per eum. Et,* Ioan.1. Ioan.1. & 3. Ioan.20. 1.Ioan.5. 1.Ioan.4.

Matth. 17. & 14. *qui diligit eum* qui genuit, *diligit & eum qui genitus* est *ex eo*. Verè *enim*, verè *filius* Dei *erat ille*.
1. Ioan. 5. *Paulus subinde hoc declamat*. Inter *cætera, dum confert Mosem cum Christo satis distinguit quàm latè dissideat vtriusque υἱότης, Mosem tãtùm adoptiuum, Christum verò naturalem esse docens*.
Heb. 3. *Moses quidem (ait) fidelis erat in tota domo Dei tanquam* famulus, *in eorum testimonium, quæ dicenda erant, Christus verò tanquam* filius in domo sua. *Clariúsne adoptiuum à*
Hebr. 10. *naturali discernere potuit?* Ac *ne semel quodam oratorio impetu id dictũ existimes, idem capite decimo repetit, Irritam quis faciens* legem Mosis, *sine vlla miseratione duobus aut tribus testibus moritur. Quantò deteriora mereri supplicia putatis eum, qui* filium dei *conculcauerit? Mosi certè & famulo filium opponit*,
Heb. 1. *quod & exaggerauerat illius Epistolæ initio comparatis cum Christo Angelis, Cui enim dixit aliquando Angelorũ, filius meus es tu, ego hodie genui te? Sed antithetis huiusmodi nihil opus est, cùm firmißimum habeamus Patris sermonem qui confirmãs honorem, gloriam, maiestatẽ filij, voce cælitus delapsa apud* Apo-
2. Pet. 1. Mat. 3. & 17. *stolos testatur*, Hic *est* filius meus dilectus, *in quo mihi complacui, ipsum audite*. Hanc *enim vocẽ etiam Apostoli seorsum audiuerunt de cælo allatã, dum cum ipso in mõte Itabyrio essent*. Hanc Ioannes *Christi Baptista sibi reuelatam palam apud eius aduersarios te-*
Ioan. 1. *stificatus est, Qui misit me baptizare in aqua mihi dixit, super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto, & ego vidi & testimoniũ perhibui, quia* hic est filius Dei. *Mitto id luculentißimè demonstrari in Euangeliis & Apostolicis scriptis ex genere tum ado-*

Multa in Euangeliis Christi diuinitatem declarant.

rationis, tum inuocationis, quo in illis afficitur, ex miraculis solo verbo aut etiam nutu factis, ex omnipotentia, quæ illi tribuitur, ex modo loquendi, qui de eo vsurpatur, ex obedientia, quam illi præbuerunt vniuersæ res inanimæ. Nam hîc exscribere planè nouum Testamentum oporteret, quippe cùm omnia illic scripta sunt, vt noster Ioannes testis est, vt credamus quia Iesus est Christus filius Dei, *vtque credentes vitam obtineamus ipsius nomine.* Ioan. 20.

Insistes fortasse obtuso Iudæorũ Mahometanorúmque, qui non nisi filios Dei adoptiuos recipiunt, telo, Deum Spiritum esse proptereáque non posse gignere. Atqui inde potius γονιμία fœcunditásque Dei Patris colligẽda est illo per Esaiam vociferante, Egon' qui generationem cæteris tribuo, ero sterilis? Vtut enim Iudæi locum accipiant de procreandis Ecclesiæ liberis Verbo Dei, tamen propositio sententiáque generalis est. Vnde quemadmodum quod ex homine nascitur, verus homo existit, sic quod ex Deo verè naturaliterque generatum est, verus est Deus. Nihil enim gignit nisi sibi simile. Fateor quidẽ hominis & Dei generationem non per omnia conuenire, sed tamen ignorandum non est vtrobiq;, quoad rei naturã, rationẽ esse eandẽ, quippe cùm generationis notatio, in quocũq; spectetur, non ex modulo generandi accipiatur, sed ex substantia, quæ eadem in producẽte productóque existit. Propriè enim generatio nihil est aliud, nisi communicatio suæ essentiæ quodam naturæ modo, quam fœcunditatem appellamus. Quod quia perfectißimè hîc cernitur, maximè propriè Deus Deum generat. Hominum autem procreatio planè imperfecta est, vt qui per mutationẽ,

Kimhi in 2. Psalmũ. Maho. in Alcorano. Es. 66.

Quid generatio.

In quo differat Dei generatio ab humana.

Atha. to. 2. de Synodi Nic. decretis.

suique. i. seminis decisionem gignant, alia longe ratione, ac Deus, qui plenißimè cum filio essentiam suã sine diuisione communicat. Hominum siquidem soboles partes sunt quodammodo gignẽtium, quòd in his corporum natura non simplex, sed fluxa sit & ex partibus coalescat. Deus contrà expers partium, impatibilisque est, ac proinde sine partitione, sine patibilitate, sine perpeßione filij sui Pater euadit. Non enim effluxio est à re incorporea, aut in eam vlla influxio, vt hominibus accidit. Itaque quia simplex est, omni imperfectione summota prolem effundit, vt cum hominibus verbum mentis nec per perpeßionẽ nec per diuisionem innascitur. Imò vero multò magis Dei Verbum ita exortum arbitrari debemus, quòd Spiritus Deus sit. spiritus autem fluxum non patiatur, non contractionem, non immutationem, non extẽsionem, non pollutionem.

Ioan. 4.

Epipha. in Ancorato & hær. 69.

Sed nec vlla sexus cogitatio venire hîc debet in mentem, scribente in legatione Athenagora, quod animo omnino complectendum est, ne existimemus, quæ de Sarpedone, Hercule, reliquis Deûm fabulosorum filiis credidit Gentium natio, cum hoc arcano ortu habere quidpiam affinitatis.

Athenag. in leg. pro Chr.

νοοῦμεν δὲ καὶ υἱὸν τοῦ θεοῦ. καὶ μή μοι γελοῖόν τις νομίσῃ τὸ υἱὸν εἶναι τῷ θεῷ. οὐ γὰρ, ὡς ποιηταὶ μυθοποιοῦσιν οὐδὲν βελτίους τῶν ἀνθρώπων δεικνῦντες τοὺς θεοὺς, ἢ περὶ τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς, ἢ περὶ τοῦ υἱοῦ πεφρονήκαμεν. ἀλλ' ἔστιν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ λόγος τοῦ πατρὸς ἐν ἰδέᾳ καὶ ἐνεργείᾳ. πρὸς αὐτοῦ γὰρ καὶ δι' αὐτοῦ πάντα ἐγένετο ἑνὸς ὄντος τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ, ὄντος δὲ τοῦ υἱοῦ ἐν πατρὶ, καὶ πατρὸς ἐν υἱῷ, ἐν ἑνότητι καὶ δυνάμει πνεύματος, νοῦς καὶ λόγος τοῦ πατρὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ. εἰ δὲ δι' ὑπερβολὴν συνέσεως σκοπεῖν ὑμῖν ἔπεισιν, ὁ παῖς τί βούλεται, ἐρῶ διὰ βραχέων. πρῶτον γέννημα εἶναι τῷ πατρὶ, οὐχ ὡς γενόμενον (ἐξ ἀρχῆς γὰρ ὁ θεὸς, νοῦς ἀΐδιος ὢν, εἶ-

χεν αὐτὸς ἐν ἑαυτῷ τὸν λόγον ἀϊδίως λογικὸς ὤν) ἀλλ' ὡς τῶν ὑλικῶν ξυμπάντων ἀποίου φύσεως, καὶ γῆς, ὀχείας ὑποκειμένων δίκην, μεμιγμένων τῶν παχυμερεστέρων πρὸς τὰ κουφότερα ἐπ' αὐτοῖς, ἰδέα καὶ ἐνέργεια εἶναι προελθών. *Recognoscimus, ait, etiam Filium Dei. Nemo verò existimet ridiculum Deo esse Filium. Non enim idem ac poëtæ fabulantur, qui nihilo meliores deos hominibus ostendunt, aut de Deo & Patre, aut de Filio ipsius sapimus.* Sed est Filius Dei ratio ceu Verbum Patris ideâ atque actu. *Etenim ab ipso & per ipsum vniuersa effecta sunt, quippe cùm vnum sint Pater & Filius, insit quoque Pater in Filio & Filius in Patre, in vnitate & vi Spiritus, vt mens ratióque Patris. Quòd si per intelligentiam, quæ in vobis est præstantißima, contemplandum videtur, qui sibi velit Filius dei, breui dicam. Primùm progeniem esse Patri non quidem factam (à principio enim deus, cùm sit mens sempiterna, habuit ipse in seipso semper verbum aut rationem velut ratione præditus) sed quæ,* vt idea & perfectio progrederetur *rerum materiatarum omnium informi natura terráque constantium, subiectorum interse coëuntium instar craßioribus & leuioribus inuicem confusis.* Hoc autem posteà in diuinorum dogmatum epitome, capite de Filio, sic Theodoritus expreßit, ὁ δὲ λόγος δηλοῖ τὸ ἀπαθὲς τῆς γεννήσεως. ἵνα γὰρ μὴ υἱὸν ἀκούοντες εἰς ἀνθρωπίνας καταπέσωμεν ὑπονοίας, καὶ νομίσωμεν παραπλησίως ἡμῖν γεννηθῆναι τὸν τῶν ὅλων δημιουργόν, λόγον αὐτὸν προσηγόρευσε, ταύτῃ διδάσκων ὡς ἡ γέννησις ἐκείνη πάθους παντὸς ἐλευθέρα. οὐδὲ γὰρ ὁ νοῦς ὁ ἡμέτερος ὠδίνων τὸν λόγον, δεῖται τῆς τοῦ θήλεος κοινωνίας, ἢ τομήν, ἢ ῥεῦσιν ὑπομένει τινά, ἀλλὰ τέλειος ὤν, τέλειον ἀποτελεῖ τὸν λόγον. *Verbum, vt ista Latinè interpretemur, declarat*

Theod. in Epit.

impatibilitatem generationis. Ne enim audito Filij vocabulo in humanas cogitationes decidamus, atque existimemus eodem modo, quo nos gigni Filium dei rerum omnium opificem Verbum siue λόγον ipsum appellauit Euangelista, docens hunc ortum ab omni perpeßione esse liberum. Non enim mens nostra pariens verbum indiget fœminæ coniunctione, aut patitur sectionem vel fluxum aliquem, sed perfecta cùm sit, perfectum conficit verbum.

Differētia 2. eandem numero esse substantiam.

Deinde in humanis vt partem tantùm essentiæ, externis rebus cætera suppeditantibus, sic non eandem numero substantiam genitor genito tribuit. Hîc verò Pater Filio contulit deitatis suæ plenitudinem, virtutisque æqualitatem. Alioqui si Filius partem duntaxat accepisset, neuter esset perfectus. Patri deesset portio, quæ ipsi decessisset amissa sua per actum generationis plenitudine. Nec plenitudo extaret in Filio, qui ex parte solum consisteret, quique nascendo totam Patris essentiam non fuisset consecutus: Totam igitur (dictu, auditu, cogitatu mirabile?) Pater dedit, totā ineffabiliter, totam ad numerum apud se retinuit.

Differēt. 3. quòd generatio dei sit sempiterna.

Præterea Homo ob impotentiam sui viriúmque defectionem non statim vt natus est, generat sibi simile, sed progressu temporis paulatim ad vim procreandæ sobolis confirmatur. Deus autem, quoniam infinitus æternúsque est, ab omníque æuo præpotens, ideo συναϊδίως absque temporis initio, absque virium defectu, absque potentiæ detrimento Filium suum genuit. Quemadmodum, quia erat impatibili, incorporea, nō defluente substantia, ipsum sine defluxu atque decisione genuisse iam aliquoties probauimus.

Differētia

Postremò generatio quidem hominis ad extra con-

ficitur. Sic loquuntur Nostri Scholastici post Haymonem episcopum vocabulis quidem barbaris, sed tamẽ Laconico more breuiter multa eáq; insignia concipientibus. Id est, in rebus humanis generans generatum extra se constituit, sicque aliud & separatum à se procreat. In Deo autem Pater gignens genitum intra se conseruat, adeò vt nunquam à se inuicem diuellantur. Quod facit, vt iustißima sit querimonia D. Hilarij aduersus Arianos, itémque nostra aduersum Trinitarios, qui vinculum arctum sanctæ & indiuiduæ Triadis non dico dissoluere, sed ausu temerario, imò verò nefario dissecare conantur. Nam hinc Filius apud S. Ioannem testatur se esse in sinu Patris, hoc est, in secreto Patris, quo cum illo vel in illo hæret semper, vt ne per carnis quidem οἰκονομίαν ab eius recessu intimo discesserit. Ego, ait, in Patre & Pater in me est, quemadmodum & de S. Spiritu Apostolus alicubi edisserit. Nam etiam ipse extra Patrem non euagatur. Vbi enim extra eum, qui vbique est, subsisteret? Igitur, vt ad Filium redeam, sicuti mens humana ἔννοιαν intrinsecus generat, ita Pater fundit Verbum penitißimum, quo se intra se explicat mirabiliter. Vbi lubet exclamare, Quàm admirabilis domine! Et magnitudinis tuæ non est finis. Generatio & Generatio laudabit opera tua & magnificentiam gloriæ tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt. Si enim paucißima, quæ de ineffabili verbi Dei generatione per ænigma, prælucente Christi & Apostolorum doctrina, accepimus, in tantam admirationem ardorémque nos rapiunt, quid fiet cùm in cælum per Dei gratiam admißi, beata illa contemplatione, quæ aduersa facie nobis promissa est, perfruemur? Intereà in hac animæ peregrinatione

4. generationem dei esse intrinsecam.
Haymo in I. Ioan.
Hilar. lib. 7 de Trinit.
Ioan. I.
Aug. epist. 3. ad Volus.
Ioan. 12. & 14.
Psal. 144.

qualicunque hac reuelatione pascamus nos, contenti nosse, vt vera absolutáque censeatur generatio, satis esse vt quod in externis natalibus perfectionis est, nempe per se ac ex se simile procreare, hoc in mysterio retineatur, quod imperfectionis, vt mutatio, vt seminis decisio, vt temporis longinquitas & spatium, reiiciatur. Hæc enim ad verã ortus rationem nequaquam pertinent, quemadmodum definitio, quam modò attulimus, declarat.

Perfectum agens sine materia p se ac ex se producit.

Generatio in creatura duo includit productionem et mutationẽ.

Sed veniamus ad spiritum sanctum. Illum quoque diuinam esse hypostasim, à cæteris reipsa distinctam, iisdem tamen æqualem, consubstantialem, coæuam, nec verò de rerum procreatarum numero, multis pariter oraculis comprobari potest. Iam inde spiritus domini ab initio fertur super aquas, eis insuper accubat quasi designaturus redacturúsque in ordinem, & speciem quæ erant incomposita. Hæc est illa Mens, quam Anaxagoras, vetustiores secretioresque philosophi digessisse volunt, chaos, rudem molem, quæ primo tempore sine ordine, specie, forma variè turbulẽtéque agitabatur. Hæc est, de qua scribit Moses, Impleuit eum Spiritus Dei. Cui Dauid vim producendi vniuersa attributam canit, Emittes Spiritum tuum & renouabis faciem terræ. Qui etiam præsentiæ eius maiestatem, & efficientiam quoquouersum expandens, Quo ibo, inquit, à Spiritu tuo. Spiritus enim domini impleuit orbem terrarũ & quod complectitur omnia cælum. Atqui ex primis notionibus est, Deum

Testimonia vetera de S. Spiritu.

Gen. 1.

Exod. 35.

Psalm.

Psalm. 139.

Georg. 4.

Neh. 2.

ire per omnes

Terrásque tractúsque maris, cælúmque profundum.

Hunc spiritum non ignorauit Nehemias, qui illi hominum scientiam acceptam fert, Spiritum tuum bonum

dedisti, qui doceret eos. Non Iob, *qui exclamat*, Spi- *Iob.33.*
ritus Dei *fecit me & spiraculum omnipotentis* 32.
aptauit me. Et, Spiritus *omnipotentis dat intelligentiam.* Non *librorum* Regiorum *author, dum deum dicentem facit*, Regnauerũt *non per me, neque per* Spiritum meum. Prophetæ, *vti ipso præcipuè agitaban-* *2.Pet.1.*
tur (per eos enim loquebatur) ita etiam de labiis eum non deponunt. Esaias, Spiritus meus, *qui est in te.* *Esa.59.*
Ipsi ad iracundiam prouocauerunt eum, & exacer- 63.
bauerũt Spiritum sanctum eius. *Et post. Vbi est qui posuit in medio eius* Spiritum sanctum suum. *Ef-* 44.
fundam Spiritum meum *super semen tuum.* Donec 32.
effundatur super nos Spiritus *de excelso.* Ezechiel, Spiritum meum *ponã in medio vestri, & faciam,* *Ezec.36.*
vt in præceptis meis ambuletis. Ioel, *Effundam* Spi- *Ioel.2.*
ritum meum, *super omnem carnem. Sed satius fuerit, ne ingrediamur in immensum, his parcè carptis te ad lectionem & ipsorum & reliquorum prouocare.* Hoc *vnum quæram (sic enim exitum inueniam veterum testimoniorum,) cur apud Dauidem, atque adeò cæteros antiquarum scripturarũ auctores (Nam de recentibus nondum loquor)* Spiritus quidam est prin- *Psal.51.*
cipalis? *Certè nulla eius ratio excogitari potest simplicior, nulla, qua magis animis hominum satisfiat, quàm aliquem esse singularem spiritum, quem* Deus *singulari more sibi ab æterno profuderit, & seiũctum è cæterorum numero atque gradu intimum semper habuerit, quem & à se manãtem rebus creatis, quas præstanti munere affectas cupit mittat, instillet, largiatur.* Hanc *sententiam à Nostris non esse temerè confictam, sed à prima natura haustam, deinde cælesti reuelatione confirmatam, illustratámque abunde testantur tum*

De dei ſpiritu ſiue anima mundi philoſophorum opinio.

philoſophorum, tum veterum Hebræorum ſcripta. Illi quidem Spiritum Dei quendam eſſe dixerũt, ſine quo nihil moueretur & cõſiſteret, qui intus res procreatas aleret, contineret, conſeruaret, tueretur, totámque per artus infuſus agitaret molem magno corpori vniuerſi ſeſe immiſcens, qui tum mens tum anima mundi exiſteret. Affirmabant, inquit Athenagoras, τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ χωρεῖν καὶ διήκειν δι' ὅλου τοῦ κόσμου, *ac vt pluribus Calcidius Platonicus ex Stoicorum ſententia in Timæum Magiſtri ſui expreſſit, non deeſſe materiæ, de qua vniuerſa oriuntur, Spiritum & vigorem ex æternitate, qui moueat eam rationaliter, totam interdum, nonnunquam pro portione, quæ cauſa ſit tam crebræ, támque vehementis vniuerſæ rei conuerſionis. ſpiritum porrò motuum illorum, eſſe non naturam, ſed animã & quidem rationalem, quæ viuificans ſenſilem mundum exornauerit eum ad hanc, qua nunc illuſtratur, venuſtatem. Quem quidem beatum animal & deum appellãt.*

Quid Hebræi de S. ſpiritu.

Hebræi verò Spiritum ſanctum, quem Ruáh haccodes tam crebrò nominant, Eccleſiæ moderatorem præfectúmque confitentur, ac vocant cognomento apud ipſos vulgatiſſimo Sechiná, quòd ipſe cum ea, præſertim cũ Prophetis maneat. Liber Eliæ Iudæi, qui Thiſbi inſcribitur, è quo iſta tranſcripſimus, extat in omnium manibus. Huius verò fidei adumbratio ſupereſt in actis Apoſtolorum, in quibus commemorat B. Lucas ſadducæos à Phariſæis habitos pro hæreticis,

Act. 23.

quòd non tantùm Angelos, verum etiam ſpiritum inficiarentur. ſcilicet ipſum etiam cogebantur de rerum ordine atque natura tollere, vt ſuæ diſciplinæ principiis inſiſtere omninò poſſent. Cùm enim ſemel haberẽt conſtitutum ſolam legem Moſis quaſi diuinam recipe-

ſadducæi ſolùm pen-

re, Prophetas verò de sacrarum scripturarum canone expungerent, sequebatur, vt eos suopte spiritu & ingenio fudisse, quæ ipsorum nomine ferebantur, defenderent, negarent quoque præter instituta Maiorum vllum esse Spiritum S. qui Prophetas aliquando afflauisset, ne si eum admisissent, viderentur resistere spiritui sancto, qui per ipsos locutus tam constanter asseuerabatur. tateuchum Mosis recipiunt.

Hunc postea articulum illustriorem reddiderunt Christus & Apostoli. Quota enim pagina est noui testamenti, quæ non S. spiritũ inculcet? Baptizamur in nomine ipsius perinde atque Patris & Filij. Deinde peccatum quod admittitur in Spiritum S. est grauius, quàm quod contra Patrem vel Filium, quasi tum maximè aliquid perpetratum sit, quod singulariter diuinitatem ipsam afficiat. Alioqui si non esset Deus, quî in eum peccare, tam esset impium & irremisibile? Quî Ioãnes illum cùm Patre & Verbo vnum esse diceret? Quî Paulus pronuntiaret solum Dei *Spiritum ea nosse, quæ sunt* Dei, *perinde ac solius hominis spiritus nouit ea, quæ sunt hominis? Quo pacto Petrus, quem Spiritum sanctum prius nominauerat, Deum deinde appellaret? Reprehendit enim Ananiam, quia mẽtitus erat Spiritui sancto, deinde declarãs quid esset mentiri Spiritui sancto, Non es, inquit, mẽtitus hominibus, sed Deo. In ijsdem Actis quàm piè referretur,* Hæc dicit Spiritus iubens, *Separate mihi Paulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos? Et Apostoli dictarent,* Placuit Spiritui sancto & *Nobis? Si apertiores requiris tabulas Paulus ad Corinthios scribit* dominum esse Spiritum. *Græca carent ambiguitate, perspicuáque sunt, ἡνίκα δ' ἂν ἐπιστρέψῃ*

Scripturæ noui Test. de diuinitate S. spiritus.
Matt. 28.
Act. 11.
Matt. 12.
1. Ioan. 5.
1. Cor. 2.
Act. 5.
Act. 13.
Act. 15.
2. Cor. 3.

πρὸς κύριον, περιαιρεῖται τὸ κάλυμμα. ὁ δὲ κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν. οὗ δὲ τὸ πνεῦμα κυρίου ἐκεῖ ἐλευθερία. Cùm autẽ conuersum fuerit (cor Iudæorum) ad Dominum, auferetur velamen. Ille autem Dominus (de quo loquor) Spiritus sanctus est. Vbi autem Spiritus domini ibi libertas. Qui vim articulorum Græcorum comprehensam habet, hunc esse loci sensum intelligit. Ac ne quis tergiuersetur Filium vel Patrem significatũ esse, & ideò dictum Spiritum ob incorpoream substantiã,

Ioan. 4. vti aliàs apud Ioannem, subiicit Apostolus, Vbi autẽ Spiritus domini ibi libertas. Nam spiritum Domini nemo dubitauerit esse spiritum sanctum. Eodem praetereà quæ sequuntur, pertinent. Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eãdem imaginem transformamur à claritate in claritatem,

Bas. lib. de S. spiritu cap. 21. tanquã à Domino spiritu. Sic enim mihi cũ B. Basilio videtur interpretandũ quod Græcè legitur, καθάπερ ἀπὸ κυρίου πνεύματος. Non à domini Spiritu, vt vulgaris interpres censuit, siue quia repetitio est eius, quod dixerat, Dominus est Spiritus, siue quoniã dictionũ collocatio statim hanc interpretationem offert. Sed cur hoc in loco hæremus, cùm in aliis Domini & Dei titulum clarè Spiritui S. tribuat Apostolus? Domini quidem

2. Thes. 3. dum ad Thessalonicenses scribit. Dominus autem dirigat corda vestra in dilectionẽ Dei & in patiẽtiam Christi. Nam si de Patre id dixisset, subiungendum fuerat, in dilectionem suam, si de Filio, in patientiam suam. Deinde dirigendorum animorum actio, quoniam quædam inspiratio est, solet spiritui S. attribui. Adde eandem esse sequentis literæ sententiam,

1. Thes. 3. Vos Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem vestram in inuicem & in omnes, quẽadmodum & nos in vobis ad confirmãda corda ve-

stra sine querela in sanctitate ante Deum & Patrem,
in aduentu Domini nostri Iesu Christi cùm omnibus
sanctis eius. Amen. Dei verò cùm ad Corinthios ex-
clamat, Nescitis, quia Templum dei estis, cuius autem I.Cor.3.
dei declarat, subiiciēs, Et Spiritus Sanctus habitat
in vobis. Et iterum, Membra vestra Templum sunt I.Cor.6.
Spiritus Sancti, qui habitat in vobis. Hinc continuò,
Glorificate & portate Deum in corpore vestro.
Deum certè per ἐπεξήγησιν Hebræis familiarem vo-
cans Spiritum sanctum. Nam cui Salomon de lapi- 3.Reg.7.
dibus & lignis templum ædificat, Deus est, & cui su-
mus viuum & spirituale templū Deus non est? Aper-
tus est locus de missione Pauli & Barnabæ. Hæc dicit
Spiritus iubens, separate mihi Paulum & Barna Act.13
bam. Et de donis & distributionibus S. spiritus. Hæc I.Cor.12.
omnia (inquit Paulus) operatur vnus atque idem Spi
ritus diuidens singulis prout vult. Si enim spiri-
tus non esset eiusdem potestatis atque Pater, non dice-
ret Apostolus spiritum iubēre aut hæc dare quando
ipse vult, sed quādo Pater præciperet, & quibus præ-
ciperet. Paulò superius, Diuisiones Gratiarū sunt. Idē Ibidem.
autē spiritus. Et diuisiones ministrationū. Idē autē do-
minus. Et diuisiones operationū, idē autē deus, qui ope
ratur oīa in omnibus. Alij quidē spiritus dat sermones
sapiētiæ &c. Quē primo dixit spiritū, vocat deinde
Dominū, tertiò Deū, rursūmq; Spiritū, oratione tātùm
diuersa, eleganti verò verborū congerie, quemadmo-
dum in sacris literis vsu fieri solet, vt idē verbis iden-
tidem submutatis elegantissimè pronuntietur. Vnde,
quod Hieremias tribuerat Deo יהוה, ad Hebræos, Pau
lus addicit spiritui sancto. Contestatur autem nos Hier.31.
& Spiritus sanctus. Postquam enim dixit, hoc est te- Heb.7.

stamentum, quod testabor ad illos, post dies illos dicit dominus יהוה, dabo leges meas in cordibus eorum, &c. Quod ex effectis, quæ eadem illi ac Patri & Filio scriptura attribuit, ut Athanasius, Basilius, cæteri Maiores contra Macedonianos πνευματομάχους aceruis testimoniorũ commonstrarunt, extorqueri potest. Verbi causa, cùm Paulus ait Spiritum omnia scrutari, etiam profunda dei, Et, quæ sunt dei neminem nosse nisi Spiritum, qui de deo, cùm eum Apostoli annumerant Patri & Filio, in rebus, quibus diuina eorum maiestas atque gloria definitur, cùm ipsum omnia sciẽtem, cuncta potentem, uniuersa administrantem faciunt, cùm ubique esse, omnia creasse, seruare, continere, sanctificare, regere prout vult, dicunt, cui dubium esse potest, quin illum ipsum peræquè ac Patrem & Filium deum significent existere?

Athan. lib. de cõmuni essentia Basil ad Amphilochiũ & contra Eunomiũ, Rom. 8. 1. Cor. 2.

Hinc ergò fit, ut cùm multa concionantur de rerum aspectabilium inaspectabiliúmque procreatione, nunquam ne per speciem aut coniecturam quidem recordentur Sp. sancti, imò verò non tantùm ex illarum numero atque gradu semper ipsum eximunt, verum etiã asseuerant sine ipso earum conditionem nequaquam constitisse. Profantur quidem Spiritum esse dei, esse ex deo, procedere à deo, exire à deo, mitti à deo & pluri ma alia, quæ in hanc cadunt faciem, Creatum autem esse, factum esse à deo & si qua sunt huiusmodi nunquam. Non enim per tot sæcula administri Sathanæ id reticuissent. Quid ita? Quoniã certè ab alio esse deo siue diuinæ personæ non repugnat, effectum esse planè in ordinem creaturarũ cogit eum, de quo tale dicitur. Ideo enim inficiamur filium esse creatum factúmve, quãuis sit à Patre, & nihil nisi à Patre obtineat, quia

Gen. 1. 1. Cor. 2. Ioan. 14.

De processione Spiritus S.

creatura non est, & quod habet non ex nihilo, sed de substãtia Patris sempiternè per generationem adeptus est. Quid igitur obest Spiritum, quæcunque obtinet, aliqua emanatione, quam processionem de nomine generis appellamus, cõsecutum esse, & interea quia non existit è nihilo, rerum creatarũ ordinem euadere. Nam quòd omnia, essentiam etiam diuinam acceperit à Patre, puto constare partim ex his, quibus diuinam Filij essentiam à Patre fluxisse astruximus, partim ex sacris oraculis et scriptis Maiorũ, quibus hoc cõceptis verbis olim signauerunt. Manifestum est Pauli testimonium, I. Cor. 2. *quæ dei sunt nemo nouit, nisi* Spiritus dei. *Nos autem non Spiritum huius mundi accepimus, sed* Spiritum qui ex deo est. *Quem proximè spiritum dei nuncupauerat, statim audet appellare spiritum, qui ex deo est. Primùm, vt testatum redderet, quod clarius tradidit Augustinus, sicut naturam præstat Filio sine principio generatio, ita spiritui sancto* præstare essentiam *sine initio processionem. Quódque aliis vocabulis se credere professi sunt* D. Hieronymus *apud Nostros, & apud Græcos* Ioannes Damascenus. *Credimus, inquiunt, in spiritum sanctum verum deum,* qui de Patre propriè est *& procedit, vt eum non magis esse αὐτόθεον, quàm Filium, cuius sanè substantiam à Patre manasse superiore libro docuimus, demonstrarẽt. Deinde vt grauem plagam infligeret Græcis, qui existimaturi erant aliud esse spiritum Christi & spiritum ex Christo, ne à Filio quoque Sp. Sanctũ procedere cogerentur confiteri. Quam persuasionem satis repellit Apostolus, dum spiritum Dei & spiritum ex deo pro eodem citra controuersiam accipit. Vnde si huiusmodi submutandæ orationis ratio atque causa se*

Spiritus S. non est αὐτόθεος.

Aug. lib. 15 de Trinit. cap. 26.

Hier. in expos. Catholic. fidei.

Damascen. cap. de Tri ade lib. 1. orthod.

Damascen. ibid. c. 13.

Rom.8. Gal.4.

et obtulisset sæpius scribēti spiritum sanctum esse spiritum Filij, dubitandum non est, quin locutionem altera illa dicendi formula variasset. Prorsum enim eadem vis est atque notatio harum, Spiritus Patris & Spiritus ex Patre, Spiritus Filij & Spiritus ex Filio, vt è similibus enuntiationibus confirmari potest.

1.Cor.1. Quid dei sapientia & virtus.

Paulus Filium dei appellat dei sapientiam atque virtutem non quidem, qua deus Pater potens sapiensque existit (seipso enim potēs est & sapit, virtute profectò & sapientia sibi insita atque innata) sed quam potentissimus & sapientissimus potētissimam sapientissimámque genuit, adeò vt genitus dici possit sapientia de sapientia, Potentia de Potentia. Quod exprimi potest elegantissimis Pub. Maronis versibus sumptis proculdubio è Sibyllæ alicuius foliis,

Quarto Æneid.

Nate meæ vires, mea magna potentia solus,
Nate Patris summi, qui tela Typhoëa temnis.

Quid spiritus Filij. Ioan.5.

Itaque spiritum sanctum vocat spiritum Filij, non quo spirat viuítque Filius. (Nam per se id facit habens vitam in semetipso, ait Ioannes, æquè ac Pater) sed quem iam ab æterno, modo quodam singulari, siue spirauit siue emisit. Quod quia cum Patre communiter facit, Vtrinsque enim communis est spiratio siue emissio, non dicimus spiritum sanctum genitū, sed procedentem. Etsi enim omnis natiuitas quædam est processio, vnde & Filius à Patre potest dici procedere, quemadmodum etiam exire ab eo legitur, tamen quia non omnis processio natiuitas est, vt apparet ex Eua prima humani generis fœmina, quæ ab Adamo quidē processit, sed id citra generationem, & modus, quo spiritus à Patre & Filio procedit, vacat nomine, nihil habens prorsum commercij cum vsitatis emanandi

Eua non est nata, sed procedens, vnde non Adæ filia.

formis, generis vocẽ ad ſpeciem reſtringimus, ac emanationi spiritus ſancti vocabulum proceſſionis attribuimus, ne eius ab alio originem ignorare penitus videamur. Nam in humanis quoque nihil datur, quod à duobus æqualiter agentibus ſubſtantiam, quæ eiuſdem ſit naturæ, ſortiatur, vt hic emanationis mos, hæc ratio planè ſit Spiritus diuini propria. Apud nos quidem duo Pater & mater ſubſtantiam eiuſdem ſpeciei proli impertiunt, atque hunc actum generationem nominamus, verùm quia Mas rationẽ hîc obtinet agentis & formæ, fœmina patientis potius materiæ non in vtroque æqualem vim atque actionem, nõ idem cauſæ genus atque principij ineſſe cenſemus. Deinde vt in animantibus ad procreationem neceſſaria ſit alterius ſexus tanquam materiæ coniunctio, tamen id in cunctis gignentibus non eſt perpetuum, cùm ſine fœmina arbores & pleraque alia ſurculos, fructus, fœtúſque pariant. Itaque cùm hîc propriè ſit agens vnicum ὁμογενὲς neceſſarium, ac ea gigni verè cenſeantur, quæ hoc modo naturæ ſuæ conſentaneo, cõmunicationẽ eiuſdẽ ſpeciei conſequuntur, mirum nõ eſt ſi Filium Dei abſq; tropo reueraq; genitũ cũ Scripturis prædicemus, ꝙ ab vno Patre adeptus fuerit cõmunitatẽ eiuſdẽ ſubſtãtiæ.

Quæ ſit cauſa continens generationis.

Ariſt. ſub finẽ 1. Phyſ.

Generatio non eſt metaphoricè in Deo.

1. Ioan. 4.

Iã ſpiritũ s. quoniã nõ à ſolo Patre, verùm etiã à filio, idq; æqualiter & ſecũdũ idẽ cauſæ & principij genus nactus eſt ſubſtantiã, inficiamur genitũ, cõfitemur procedentẽ, id eſt, inuſitato naturæ modo à duobus æquè cõmunitérq; ſpirãtibus & tanquã agẽtibus productũ. Ergo quemadmodũ generationẽ definiebamus communicationem eiuſdem naturæ ſecũdũ vſitatũ naturæ modũ, ſic proceſsionẽ deſcribere poſſumus cõmunicationem eiuſdẽ ſubſtãtiæ modo quodã naturæ inu-

Quæ ſit continens cauſa proceſſionis.

Quid proceſſio.

Pater vt Pater non spirat nec Filius vt Filius.

Communis spiratio.

Epiph. in Anchorato & in Pana. hær. 74

sitato, solique Deo, qui naturæ leges infinitè egreditur, per omnia peculiari & proprio. Nam Pater non vt Pater & Filius non vt Filius spiritum emittunt producúntve, sed ambo prorsus vna eadémque spiratione, non quasi duo principia, sed quasi vnum (sicut verè sunt vnum) mirabiliter effundunt. Quod quia non faciunt naturaliter, hoc est, naturæ siue generationis modulo (Modulus enim communis spirationis nihil prorsum habet cum rebus natura constantibus simile; Spiritus neque pro filio neque pro nepote censetur. Atque eam esse rationem quamobrem processionis vocabulum ipsi singulariter assignemus, probari potest testimonio magni Epiphanij, cuius auctoritas piis tantò debet esse acceptior, quantò eum magis intelligunt versatum in Apostolorum Apostolicorumque omnium, qui ipsum per trecentos quinquaginta annos præcesserunt scriptis, vt aduersum Arianos & Macedonianos pro Filij & Spiritus diuinitate grauissimos conflictus, quos eum sustinuisse Historiæ memorant, gereret. Is igitur hunc in modum scribit tum in libro, qui inscribitur ἀγκυρωτός, tum in opere aduersum 80. hæreses quando Pneumatomachos expugnat. Ἀλλ' ἐρεῖ τις ἡμῶν φάσκειν δύο εἶναι υἱούς· καὶ πῶς μονογενής; μὴ γοῦν γε, σὺ τίς εἶ ὁ ἀντιλογιζόμενος τῷ Θεῷ. εἰ υἱὸν καλεῖ τὸν ἐξ αὐτοῦ, τὸ δὲ ἅγιον πνεῦμα τὸ παρ' ἀμφοτέρων; μόνον πίστει νοούμενα ὑπὸ τῶν ἁγίων φωτεινὰ φῶς διδόντα φωτεινὴν τὴν ἐνέργειαν ἔχει. *Dicet, inquit, aliquis nos duos filios dicere: quomodo igitur est vnigenitus? Verum quis tu es, qui contra Deum ratiocinaris? si filium vocat eum qui ex ipso existit, sanctum autem spiritum qui ab vtroque? Quæ solùm fide comprehensa à sanctis, illustria lucem præbentia illustrem efficaciam habent. Huic ar-*

gumento diutius immorarer, nisi apud me constituissem de processione integrum opusculum edere aduersum Ioannem Caʒanouium equitem Polonum, qui in vna epistolarum ad Caluinum non tantùm reuocat ab inferis putrem Græcorum errorem, sed etiam auget. In præsentiarum autem hæc mihi videntur fuisse delibanda, vt doceremus spiritum rem esse per se subsistentem, quæ reipsa & κατὰ προσωπότητα ab illis differret, à quibus produceretur. Non enim potest intelligi vnam & eandem esse hypostasim, quæ producit & quæ producitur.

Cùm ergò Scripturæ nos cogant distinctè cõfiteri Patrem, Verbum & Spiritum Dei, eximãt etiam hos tres è rerum procreatarum ordine, iubeant præterea vnum solum Deum credere, de quo effatum sit, Videte, quòd ego solus & non sit alius Deus præter me, Et, Audi Israël dominus Deus tuus Deus vnus est, in his credẽdis, quòd pugnantia videantur, fide hæsitabimus? Si tres non subsisterent, qui verè & substãtialiter essent Elohim i. dij, putas legeremus, Eduxerunt me dij. si vno Deo plures essent censendi, cedòne scriberetur, Præter me non est Deus? lubet Augustinum ea de re differentem in medium proferre. Iam nunc intuere, quæ scripturarum eloquia nos compellant Vnum dominum Deum confiteri, siue tantùm de Patre, siue tantùm de Filio & S. Spiritu interrogemur. Certè scriptum est, Audi Israël dominus Deus tuus Deus vnus est. De quo dictum putas? Si tantùm de Patre, non est dominus Deus noster Iesus Christus. Et vbi est vox illa clangentis & clamantis, dominus meus, Deus meus, quã Christus ipse non reprehendit, sed approbauit, dicens, Quia vidisti me credidisti. Porrò si & filius dominus Deus

De Dei vnitate.
Deut. 32.
Deut. 6.
Gen. 20.
Aug. epist. 174.
Ioan. 20.
Nota.

est, & ambo iam duo domini & duo dij, quo modo erit verum, dominus Deus *tuus* Deus *vnus est.* Huc facit, *quod veteres tradiderunt in capite de* Deo Ecclesiam, *partim à* Iudæis, *&* Gentilibus *dissidere, partim ab vtrisque aliquid decerpere.* A Iudæis *colligit vnitatem naturæ, à* Gentilibus *distinctionem personarum. Illos execratur, quòd vnitatem essentiæ in vnica hypostasi collocent, hos despuit, quia deorum quandam turbam populúmque constituunt, & eum quidem essentia differentem, ne si nihil differat inter* Deum *&* Deum, Iouem *ab* Apolline *& cæteris discernere non valeant.* Et certè *apprehendi non potest, cur nobis tam obnixè commendent scripturæ, vt & vnitatem* Dei *fortiter teneamus, & in tres hypostases nihilo minus credamus, sine quibus articulis, nihil est vt reliquos profuturos speremus, cùm ab iis prorsum dependeant, nisi enuntiatio,* Tres sunt vnus Deus, *simpliciter vera sit.* Nam *tres reipsa distinctas esse personas, quarum quælibet* Deus *sit absolutè, suprà satis supérque probatum est.* Vnum *verò Deum esse, non plures tot tantísque sacrarum literarum momentis persuademur, vt pluribus & simplicioribus verbis nemo affirmare valeat solem meridie lucere.* Etenim, *vt more nostro præmittamus oracula antiqui testamenti,* Moses *dum decalogum* Dei *digito virtutéve exaratum proponit populo, prima eius verba fuisse refert,* Ego *sum dominus* Deus *tuus,* Non *erunt tibi dij* אחרים *alij, coram me.* Quam *sententiam multis dicendi tropis, diuersis in locis amplificauit.* In Deuteronomio, *Vt scires, quoniam dominus ipse est* Deus, *& non est alius præter vnum.* Et *paulò post,* Scito *ergo hodie & cogitato in corde tuo, quòd dominus est* Deus *in cælo sursum &*

Nyssenus in maiore catechetico cap. 3.

Nazanz. 1 S. pascha

Testimonia veteris test. de vnitate dei.

Deut. 4.

in terra deorsum & non sit alius. Quod itidem repetit capitibus sexto & trigesimo secundo. Dauid non in alia vixit fide. Quis, inquit, deus præter dominum Ps.17.
deum nostrum, aut quis deus, præter deum nostrum. Et, quoniã tu magnus es & facis mirabilia, tu es deus Ps.85.
solus. Et, cognoscant, quod nomen tibi dominus. Tu so Ps.82.
lus altißimus in omni terra. Neque enim est sanctus, vt 1.Reg.2.
est dominus. Non enim est alius extra te, & non est fortis sicut deus noster. Esaias autem hanc religionem Es.44.
prædicauit, apud quem, Ego sum primus & nouißimus, & præter me non est deus. Et, præter me non est seruator. Et, Ego dominus & non amplius, præter me 43.
non est deus. Ego deus & non est alius formans lucem 45.
& creans tenebras. Malachias qui prophetis colophonem adiiciens per spiritum S. iußit, vt recordaremur Mal.4.
eorum, quæ per præcedẽtes fuerant literis consignata, quousque adesset dies domini magnus, Nunquid non Mal.2.
(ait) Pater vnus omniũ nostrũ? Nũquid non deus vnus creauit nos? Qui prophetas sequuti sunt eandem doctrinam posteritati reliquerunt. Ecclesiasticus quidem ab hoc axiomate suum opus ordiri voluit, Vnus, inquit, est altißimus. Auctor verò sapientiæ, non est alius Eccl.1.
deus præter te. Si requiris nostri testamenti locos, A- Sap.12.
postolus ad Corinth. scimus, ait, quòd nullus est deus, 1.Cor.8.
nisi vnus. Et iterum, Siquidem sunt dij multi, nobis au- Ibid.
tem vnus est deus, Et ad Ephesios, Vnus deus & Pa- Eph.4.
ter omnium, qui super omnia & per omnia. Et ad Ga- Gal.3.
latas, Mediator autem vnius non est, deus autem vnus 1.Tim.6.
est. Et ad Timotheum, Qui solus est potens rex regum, & dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessam, cui honor & imperium sempiternum. Amen. Quin etiam Christus Matt.19.

Matt.10. *ipse, sacrorum omnium scriptorum numen, Quid me*
interrogas de bono, Vnus est bonus deus. Et, Patrem no
Matt.23. *lite vobis vocare super terrã. Vnus enim est pater ve-*
Matt.4. *ster, qui in cælis est. Item, Deo soli seruies.*

His accedit naturalis omnium animorum consen-
sus. Hæc vult communis naturæ vox atque religio
Philosophis *quam præter, hoc tantùm habet religio nostra super-*
deus vnus. *naturalis, quod quidem ad diuinitatis caput attinet,*
Dam. lib. *vt agnoscat in Deo personarum ternionem. Ad eũdem*
1.orth. *scopum properant grauissima argumenta grauissimo-*
Thomas.1. *rum philosophorum, à causis præcipuè ducta efficien-*
q.11. & li. *tibus & mouentibus, quibus illi dei monarchiam per-*
1.cõtr. Gẽt. *suadere tentauerunt, collaudato Homeri versu.*
cap.12. Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.
Iliad.2. *Multos haud regnare bonũ est, rex vnicus esto.*
Aristot.8. *Vnum extat octauo Physicorum. In mouentibus*
Phys.cap. *nequit esse progressus in infinitum. Alioqui quænam*
5. & 11. *daretur causa intermedia, cùm vbi nihil est extre-*
Metaph.c. *mum, nihil quoque sit intermedium. In mouentibus*
6.et 7. lib. *igitur primum mobile esse vnum oportet. Alterum*
1.minori *septimo, Vbi omnia in efficientibus ad vnum prin-*
metap.c.2. *cipium sese necessariò colligere probat Aristoteles,*
ne sine ordine semper ab alio effici vniuersa necesse
3.ex motu *sit confiteri. Tertium primo de cælo, cùm docet non*
Arist.1.de *extare vno plures mũdos. Cùm plures mundi nõ exi-*
cælo & 8. *stant, & vnius mundi vnicus sit motus, & vnus mo-*
Phys.c.10. *tus ab vnico motore proficiscatur, necesse est, vt Deus,*
4 ex guber *qui est primus motor, sit tantùm vnus. Quartum in*
natione *Metaphysicis vbi multis ratiocinationibus addicit*
Met.lib.1. *vnam esse summam causam sempiternam, quarum*
minori et 11 *præcipua à gubernatione sumitur. Optima gubernan-*
di ratio est, cùm omnia ab vno principio reguntur,

qua ratione inter omnes Reipub. formas Monarchia omnium maximè celebratur. Si ergò aliqua est rerum moderatio, si ea est omnium præstantissima, vnus est moderator Deus, à quo naturæ administratio dependeat. Quintum est omniũ propè philosophorũ. Omnia referuntur ad aliquod vnum extremũ. Si enim essent multi extremi fines, cuncta in incertum voluerentur, absque constituta destinatione. 5. ab vltimo fine. *Sextum apud eosdem tritissimum est. Pura potestas, quam materiam primã appellamus, vnica tantùm esse potest, quia non nisi formis distinguitur. Ergò non nisi vnus purus actus confitendus est, ne actus purus & potestas pura sibi è regione respondere non videãtur.* 6. à materia. *Septimum non possunt Duo extare potentia, & virtute infinita. Nam si simul extarent, distinguerentur inter se aut duo non existerent. Non possent autem distingui nisi in vno aliquid esset, quod non esset in altero. Hoc autem repugnat naturæ infiniti, quod suo complexu omnia cõtinet.* 7. ab infinito. *Octauum ex communibus notionibus concluditur. Nulla vnquam gens extitit quam opinio Deorum imbuerit, quæ non vnum quasi summum præfecerit reliquis. Testimonio sunt Romani & Græci, qui supremum Deorum fecerunt Iouem, Ægyptij, qui Serapin, Syri & ferè Orientales, qui Belum.* 8. ex gentium iure & consensu. *Nonum ex effectis, signis, oraculis, responsis & cæteris, quæ Clemens Alexandrinus, Iustinus Philosophus, Athenagoras, Aristides, Eusebius, Theophilus, Arnobius, Lactantius, compluresque alij scriptis mandauerunt.* 9. *Decimum ex Gẽtilium libris Ciceronis, Macrobij, Plotini, Porphyrij, Plutarchi, Sexti, Maximi Tyrij, Senecæ & cæterorum, qui deos omnes vel in vnum resolunt, vel alios à supremo esse sentiunt, quasi mini-* 10. Cic. de nat. Mac. lib. 1. satu. c. 17. & seq.

Plutar. lib. 1. de plac. cap. 5.
Plot. æn. 6. libr. 1. ca. 1.
Maximus Tyr initio sermonũ.

stros supremi Dei, quales apud nos habentur Angeli & sancti Dei homines, qui consuetudine etiã nostrarũ scripturarũ Dij solent appellari. Nam quamuis vulgus multos coleret, sapientes tamen & eruditi vnum semper esse existimauerunt, vt constat ex carminibus, quæ etiamnum supersunt, Phocylidis, Pythagoræ, Orphei, Musæi, ex fragmentis veterum poetarum, quorum integra volumina extabant tempore Iustini Martyris, quando præcipuus vigebat æstus Idololatriæ. Testimonia quidem omni exceptione superiora apud eum cælantur in libro illo unico, qui inscribitur de Dei monarchia & apud Eugubinum tertio de perenni Philosophia, sed vehementius impiorum animos vrunt libri Ciceronis de Natura deorum, quibus tam acre bellum πλυθείας erroribus indixit, vt eos olim Pagani authoritate publica, dum à Nostris illius præiudiciis vrgerentur, flammis in medio foro abolendos censuerint. Et certè argumentis firmioribus nostra sententia statui non potest, cõtraria reuelli, quàm quibus ille Deos à Stoicis introductos eneruat, quibus Deos Epicureorum ociosos & prouidentia charitatéque vacuos tollit, quibus denique populares Deos, qui à Plebeis indigetati essent, fictitios, factitios, suppostitios, putatitios demonstrat. Quod genus argumenti ab aliis externis scriptoribus fuisse tractatũ commemorat Eusebius in opere de præparatione Euãgelica, Vbi prodit quosdam dicentes multos quidem esse deos populares, sed vnicum verum, multos esse deos poëticos, sed vnum Philosophicum, multos esse deos artificiosos, sed vnicum physicum. His complures rationes addiderũt nostri partim ex rebus sub sensum cadentibus, partim ex iis, quæ versantur in in-

Arnob. lib. 3. aduersus gentes.

Argumentum librorum Cic. de nat. deor.

telligentia, vt cùm Damascenus Theologus sic ratiocinatur. Omnis multitudo sumit originem ab aliqua simplici vnitate, vti in circulo ab vnico centro ducuntur quàm plurimæ lineæ. In aliquam ergò vnitatem suum ortum hæc mundi vniuersitas refert. Verũ ne hæc in immẽsum proueh antur, reuertor ad institutum. criptura & Natura docent vnicum esse Deum, scriptura & seminaria per naturam, naturaléſq; philosophos sparsa docent hunc Deum ad tres vsque indiuiduas subsistentias progredi, vti satis supérque ostendimus, cur igitur dubitamus de Catholica Christianorum disciplina, cur non assentimur cælesti Christianorum sententiæ, quæ nihil aliud sapit, sentit, loquitur?

Aug. lib. 9. de ciuit. cap. vlt. Iust. quæst. 142. Dam. lib. 1. cap. 5.

At manifesta, inquis, cõtradictio est, Tria re distincta vnum esse numero. Falleris. Nam hîc de eodem affirmatio & negatio non construitur. Affirmatur personarum, negatur substantiæ imparitas. Asseueratur identitas naturæ, refutatur hypostaseon. Mysterij rationem atque consonãtiam ausculta paucis. Longè est aliud tres personas esse tres Deos, quod scriptura & fides nostra inficiatur, aliud tres personas esse Deos, quod à Mose & cæteris sacris scriptoribus literis consignatum recipimus. Quamuis enim profiteamur tres esse personas, id est, tres res indiuiduas per se cohærentes, & easdem concedamus esse Deos, non tamen propterea esse tres Deos inferri patimur. A diuisis quippè ad coniuncta non semper valet argumentum, vt Aristoteles in libro de interpretatione sequenti exemplo illustrat. Ille est citharœdus, ille est bonus, igitur citharœdus bonus. Nam vt duo prima pronuntiata seorsum admittantur, in conclusione tamen

Tria vnum sine cõtradictione.

Quid persona.

captio ex eo existit, quòd Bonitas *in assumptione de homine quâ homo est, in consecutione verò de eodem non vt homo est, sed vt citharœdus enuntietur. Aristotelico adiici potest alterum instituto præsenti longè conuenientius ex fonte, riuo, & fluuio ab illo perenniter manantibus.* Fons & riuus & fluuius sunt aquæ. Fons & riuus & fluuius sunt tres. Fons igitur & riuus & fluuius sunt tres aquæ. *Falsam esse complexionem sensu ipso deprehēdis, partim propter trium istorum perpetuā inseparabilitatem, quam supposuimus, partim quia absolutè & simpliciter vbique eadem substantia emergit ab ipsa scaturigine.*

ἀνταπόδοσις notanda.

Vitiū autem ratiocinationis in eo latet, quòd numerus Triū *in media propositione notet subsistentias, in conclusione verò ad substantiam siue essentiam violentè trahatur. Sic in re proposita, cùm dico de personis,* Dij sunt, *verum quidem aio, quoniam sunt habentes deitatem, similiter & de iisdem verè affirmo,* Tres sunt, *quoniam certè sunt tres personæ. Cæterum cum infero,* Ergo tres sunt Dij, *consequentia inanis est, quia dum semel & diuisim concessi,* sunt tres, *hunc numerum ad personas referebam, dum autem coniunctim colligis,* sunt tres Dij, *iam eundem numerum ad deitatem accommodas, atque multiplicas deitatem, quod grande est nefas.* Vides *perspicuè, vt ad numerum personarum non consequatur essentiæ multiplicatio.* Adde Dei nomen *aliter accipi in his enuntiationibus,* Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus S. est Deus, *aliter in hac* Pater & Filius & Spiritus S. sunt vnus Deus. *Nā in primis* Deus *idem quod* Habens deitatem, *quod quidem personæ congruit, in postrema non simpliciter* Habentem

Deus et habens deitatē, nō prorsus idem.

deitatem *sonat sed ipsam potius deitatem. Illud est, quod Nostri scholastici clamitant, Quamuis Deus & Habens deitatem idem significent, non tamen semper habere eundem modum significandi, quòd alia sæpe existat substantiuorum, alia adiectiuorum notatio. Potest quidem dici de personis,* Tres dij, *verùm si* dij *appositiuè sumatur, oportet, hoc sensu,* Tres qui sunt dij, *vel,* Tres, quorum quisque Deus est. *Quoniã numeralia addita adiectiuis in substantiua transeunt, atque ita non tam personas, quàm substantiam amplificant. Si mauis,* Tres deos, *id est,* tres diuinas personas *possis dicere atque interpretari.* Nam *vocabulum* Deus *aliquando sumitur hypostaticè, ac vltro citróque commeat cum diuina persona siue hypostasi, vt cùm in Niceno symbolo legitur,* Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, *& apud Paulũ Deum fudisse sanguinẽ ad acquirẽdã Ecclesiã. Nec refragatur Athanasius cùm in suo symbolo scribit, Tres deos aut dominos dicere Catholica religione prohiberi. Non enim propterea negat posse dici personas deos aut dominos. (Cur enim hoc modo loquerentur scripturæ, idque admitterent Theologi præsertim scholastici, si hoc esset contra religionem) verùm repellit falsam eorum opinionem, qui non putant aliud,* Tres personas esse tres deos, *quod ipse negat, aliud,* Tres personas esse deos, *quod nec ipsi nec piorum aliquis à Mose & Prophetis enuntiatum, imò verò à ratione & intelligentia dictatum inficiatur. Si enim hoc plurale* dij *significat* habentes deitatem, *& de personis verè pronuntiatur,* Sunt habentes deitatem, *quamobrem de iisdem non dicatur,* Sunt dij? *Quod si postea pro numero personarũ,*

Deus & deitas idẽ interdum sunt vt natura & res naturæ in diuinis.

Tho. 1. q. 3. art. 7.

Viguerius ĩ Instit. cap. 19. §. 4.

Quo sensu, tres dij.

Nominis Deus acceptiones duæ.

Act. 21.

Mag. sent. lib. 1. dist. 2. §. f.

deorum numerum multitudinémq; te rectè putas colligere, recurrendum erit ad circumscriptiones, quas modò præmisimus. nec vnquam simpliciter concedendum propter auctoritatem verbi Dei Tres esse deos, *quippe cùm* Dei *vox sæpius dicat* θείαν οὐσίαν καὶ φύσιν, *atque cum ea reciprocetur. Id apparet ex* Mose *apud quem essentia ponitur tãquam dei definitio,* Domino *à suo esse cognosci cupiente, sicque demonstrante vnã eandémque numero essentiam in tribus personis, vt proinde* Pater, Filius, *&* Spiritus S. *verè ac propriè vnus deus iure habeantur.*

simpliciter non concedendũ tres esse deos.

Exod. 3.

Hîc exclamant sempiterna nocte induci communes notiones, ac fingi spectrum, quod neque re neque intelligentia consistere valeat Nam *(aiunt)* V*nitatem multiplicari in personas nihil aliud videtur esse, quàm diuidere indiuiduum, & sicut ridendus esset, qui vnum diceret non vnum, & trinum non trinum, quòd militet contra communem animorum* ἔννοιαν, *atque etiam principium illud per se notissimum,* De quolibet vno contradictoriorum & de nullo simul, *quod qui negaret ex omni hominum memoria repertus est nemo præter* Heraclitum *&* Epicurum *indoctissimos homines, sic ludibrio (inquiunt) digni existunt, qui* Triadem *copulare audent cum* Vnitate. Non enim Vnitas Trinitas *esse potest, nec* Trinitas Vnitas *magis quàm* Trinitas *non* Trinitas, *&* Vnitas *non* Vnitas. *Quasi verba inania fundamus, cùm articulo de* Deo *ceu fucum aliquem allinentes multa philosophamur de dei vnitate, singularitate, simplicitate, cùm tamen reuera non vnum, non singularem, non simplicem deum constituamus, sed deos complures, ac plicatos, proprietatibúsque & relationibus inuolutos, non se-*

Arist. 4. metaph.

Cic. 1. de natura deor. & lib. de Fato.

ens ac Ericius spinis. Atqui ipsi sumus, qui primas & communes sententias pugnaciter defendimus, ac prorsum abhorremus à prodigiosis imaginationibus. profitentes in nostris libris deum quidem omnia posse, sed tamen cauendum ne contradictio implicetur. Iam hoc in mysterio aliquid inesse repugnantiæ falsissimè dicitur. Etenim, vt liceat magna paruis componere, refert Augustinus & attingit aliquid tale Cicero geminos olim ea vixisse animi itémque corporis constitutione, vt eodem temporis puncto simul famerent. sitirent, lusitarent, otiandi, negotiandi, dormiendi, vigilandi, pernoctandi cupiditate tenerentur, valerẽt denique, ægrotarent & morerentur. Quid si reliqua in illis erant paria facies, forma, decor, ætas, moles, magnitudo, crassities, color, temperamentum, ingenium, sapientia, mores, voluntas, potestas, mutua necessitudo, eædem omnino animi & corporis dotes atq; qualitates? Num de iis, obsecro, aptè, verè & propriè diceretur, Hi duo vnum sunt? Quantò verò citius id prædicandum de Patre, Filio, & s. spiritu, quorum vnitas propter singularitatem substantiæ istam inseparabilitatem atq; immanentiam infinitis numeris transgreditur? Multi philosophi, Platonici præsertim, vt eis attribuit Aristoteles, ideam & rem vniuersam concedebãt reipsa esse plures res singulares & earũ quamlibet. Alexãder Aphrodiseus, itémque Aberrois Arabs vnum duntaxat esse omnium intellectum asseruerũt, ac singulares animos ab illo carptos delibatósque tandem in ipsum resolui, nõ secus ac mixta in sua elementa redire videmus. Nonnulli præterea censuerunt eandem numero humanitatem, si à tribus simul assumeretur, reapse plures futuram homines, & tu infini-

Tho. cõtra gentil. fol. 50.

Cicer. de Fato.

Metaph. 7.

Scotus.

tissimam, singularissimam, simplicissimam dei essentiam intra metas coërcebis, ne tribus cura vllam differentiam, diuersitatem, dissimilitudinem communis & paresse queat? Fons, riuus & fluuius tibi videbuntur vna aqua, quòd sint ὁμούσιοι, itémque inseparabiles à se inuicem, Pater autem & Filius & Spiritus S. qui non modò eandem diuinæ essentiæ aquam & pelagus infinitum possident, verum etiam alteri in alteros permeant admirabili illo nexu, quem περιχώρησιν Theologis Græcis libuit appellare, vnus deus non iudicabuntur? Aqua riui non est eadem numero cum ea, quæ noua in fonte assiduè gignitur sed alia est quodammodo in fonte, alia in riuo propter finitatem & defectionem rerum procreatarum, quarum natura est, vt ad plures subsistentias se extendere nequeant absque multiplicatione numerationéque substantiæ, & tamen nimis curiosè, nimis anxiè aliquis contenderet aquam fontis & riui diuersam existere. Quidni igitur inanius censeatur studium eorum, qui postulant tres diuinas subsistentias, siue personas tres deos prædicari? Nam non spectant eandem essentiæ aquam in tres illas sanctas hypostases prorsus ac ad numerum influere, ita tamen vt eadem numero aqua in Patre dicatur & existat fons, in Filio riuus, in Spiritu sancto fluuius, vt potes, substantiam & attributa à fonte & riuo fluuij instar, recipiente: Nec verò in eis multiplicari, quoniam Patris Filij, & Spiritus sancti vna est diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas.

Dan. 7. Apo. 21.

Aliquot seq. rationes contra R. Ioseph. *Sed fortasse rogabis, cùm tres nulla inter differentes, tres homines pronunciemus. (Hac enim similitudine Maiores ad hoc sacramentum explicandum delectati sunt) quidni tres Patrem, Filium, & Spiritum S. quan-*

tumuis illorum completa, absolutáque ζωῆτης censeatur, tres deos asscueramus, imò verò hoc scripturã inficiari prætendimus? Plurimæ quidem huius rei extant causæ, verùm illarum præcipuas, quæ inuestiganti & versanti sedulo sacros libros in mentem sese offerre possunt, duntaxat attingemus, cæteras nosse olim per dei benignitatẽ dabitur, cùm adiecta facie coràm deum ipsum contemplabimur, ac eius gloriam captum nostrum celsissimè excedentem præsentes intuebimur. Principiò igitur tres deos scriptura & fides prohibent dicere, quòd inter eos nulla substantiæ, attributionũ, qualitatum, conditionum denique sit diuersitas. Sic Cicero scripsit in libris de Natura deorum, si nihil inter Deum & Deum differret, vnum potius fore Deum quàm plures. Sic Euclides, si Laërtio credimus, docuit similia in quibus nihil prorsus inesset dissimilitudinis, non esse similia sed vna, sed eadem. Quod in hoc mysterio verum est maximè, in quo indiuidua siue supposita solis relatis nominibus differunt, non vt indiuidua reliquarum substantiarum, quæ etiam distant accidentibus & insuper materia, vt omittam disputationem de forma numerabili. Hoc facit vt tres deos pronuntiare nec possimus nec debeamus, ne huiusmodi locutio diuersitatis substantiarum vel naturarum suspicionẽ aliquam præbeat, quòd hîc suspicari periculosissimum est & maximè fugiendum. In aliis rebus facilè ferimus tres Angelos, tres homines, tres leones. tametsi naturæ existimetur differentia, quòd vel materia & forma, vel iis, quæ materiæ & formæ proportione respondent, participare dinoscantur. Ob eam nempe participationem indiuidua ceu singulæ partem duntaxat essentiæ obtinent, neque totam ma-

Albo. ante triennium edidimus.

Attendant Trinitarij, qui quærũt causas, cur tres deos esse negemus.

Prima causa.

teriam, neque communem speciem tam propter compositionem quàm similitudinẽ complectuntur. Quare in cæteris talem loquendi formam, etiamsi non naturæ, sed solarum hypostaseων significaret multiplicationem, recipere non dubitamus.

2. ratio cur tres sunt vnus Deus

Essentiæ vnitas numeralis.

Deinde Tres, Abraham puta, Isaac & Iacob *non ita sunt communione naturæ vnus homo, quin numerabili essentia inter se vehemẽter differant, cuius causa tres homines & sint & dicantur. At in* S. Hypost*asibus vna extat & eadem numero essentia, vti sæpius inculcamus. Quo fit vt tres* Pater, Filius & S. Spiritus *sint vna res numero,* Patre *suam deitatem atque essentiam impertiente* Filio, *nec aliam sed ipsissimam eandem naturæ quadam profusione, quam* γονιμότητα D. Dionysius, *fœcunditatem scholastici nominant, tribuente. Quo scilicet modo* Pater & Filius *totam simplicem & indiuisam suam essentiam præbuerunt* spiritui *sancto, non secus atque si calor sese impertiret eundem numero & sine diuisione ligno, aut si idem numero candor se totum superfunderet duabus extremitatibus, aut si lumen lucernæ vnius se sine materiæ distinctione tribueret alteri.* Non *enim forma huius ab illius forma differt, nisi quia recipitur in alia ac alia materiæ parte, cuius quidem expers est diuinitas.* Itaque *quamuis fieri nequeat, vt res finita cuiusmodi est candor, calor, lumen, sit in diuersis subiectis siue suppositis, quod terminatam limitatámque habeant essentiam, diuinitas tamen non inesse non potest pluribus suppositis aut personis, vt potè infinita.* Priores *autem duæ similitudines repetuntur è* Theologia Scholastica. Post*eriorem in quadam epistola* D. Basilius *amplificat.* Quemadmodum, *ait,*

Diony. Gr. pag. 244.

Similia scholastica

Scotus 4. q. *vnica dist.* 7. li. 1. *sent.* M. & N.

ait, lumen vnum atque idem est, quod in nube reflexum efficit, vt nobis appareant tres colores: sic eadem est Essentia, quæ micat ac lucet in tribus hypostasibus. Bas. epist. 43. *Illud est, quod confitetur Damasus pontifex, in Trinitate vnum Deum colimus, quia ex vno Patre quod est, vnius cum Patre naturæ est, vnius substantiæ & vnius potestatis. Neque verò propter hanc ὁμοουσιότητα Deum quendam aggregatum aut tricipitem, vt nonnullis placuit euomere, introducimus, quippe qui non vnitam conglutinatámve triũ essentiam, sed vnam cõfiteamur, ac credamus Filium & Spiritum S. Patri esse ὁμοουσίους, nõ autem συνουσίους, quod Sabelliani, dum non discernunt, miscent personas inter se, ac Trinitatem in vnitatem profanè confundunt.* Consubstãtialitas.

Huic adiuncta est substantiæ ἀμέρεια, qua à Patre in Filium, deinde in Spiritum S. emissa transfusáque intelligitur diuinitas sine vel partitione vel diminutione. Sola etenim diuisio propriè numerum facit. Id apparet è doctrina & fide, quæ cum à præceptore in discipulum tota absque præceptoris detrimento transfunduntur, neque duæ dicuntur doctrinæ, neque duæ fides. Hanc causam acutè quidem, sed tamen valde breuiter de Diuinis nominibus Dionysius Areopagita posuit. Celebramus τὴν θεαρχίαν ὡς μονάδα μὲν καὶ ἑνάδα διὰ τὴν ἁπλότητα καὶ ἑνότητα τῆς ὑπερφυοῦς ἀμερείας. ὡς τριάδα δὲ διὰ τὴν τρισυπόστατον τῆς ὑπερουσίου γονιμότητος ἔκφανσιν. Colimus Deum principem velut vnitatem quidem & singularitatem, quòd simplex ac vna sit supernaturalis impartibilitas, velut Trinitatem autem, quia superessentialis fœcunditatis ostensio in tribus subsistit. siquidem, vt exponit, 3. causa ἀμέρεια. Eph. 3.

interpres Maximus, Pater sine tempore beneuolè progressus motúsque ad distinctionem hypostaseωn sine partitione, sine etiam diminutione mansit in sua integritate vnus & simplex proprio splendore in subsistentiam prodeunte tanquam viua imagine, & S. spiritu excellenti perennitate à Patre egrediente. Quæ vt enucleatius percipiantur, superius exemplum paucis repeto. Quemadmodum fides vt significat rem, quæ creditur (Non enim de ea loquor, quatenus habitum

Eph. 3. *credendi sonat) vna est numero in iis omnibus qui credunt. Apostolis non aliud credentibus, aliud nobis: sic certè diuina essentia, quoniam ipsa est res, quæ in filij generatione & spiritus sancti productione transfunditur, nõ nisi vna numero in tribus personis inesse potest, quòd nihil aliud influat in Filium aut Spiritum, quàm quod inest in Patre: Itaque non sunt tres dij sed Deus vnus, quia substantia diuina vt omnino indiuidua existit, ita indiuiduè communicata, emissáque est.*

4. Causa περιχώρησις. Non enim personæ sunt tãtùm consubstantiales, sed etiam immanentes.

Quartò diuinarũ in se mutuo hypostaseωn immeatio (vt sic vertam περιχώρησιν) & immanentia in causa est, cur tres deos non admittimus. Filius enim & Spiritus non sunt extra Patris sinum & essentiam, vt diuersum externúmve Deum queant cõstituere. Nam cùm Pater sit immensus infinitúsque, tanti etiam sint Filius & Spiritus S. vbicunque eorum vnus est, illic alij consistant non tantùm oportet, sed vt etiam se mutuò capiant atque complectantur. Itaque ob eam Personarum incõfusam adinuicẽ capacitatem aliquoties Filius Dei commemorauit se esse in Patre & Patrem

Ioh. 10. 14. *in se, & Filium Dei Esaias ita affatus est. Tantùm in*

Esa. 45. *te est Deus & non est Deus præter te, verè tu es Deus*

abſconditus. Quibus nõ modò expreſsit ipſos vna eſſe ſubſtantia, verum etiam in ſe inuicem ſic immanêre, hæc vt vnio rectè maior cenſeatur, quàm illa Chriſti hypoſtatica, per quam tamen diuinitas Verbi penitiſſimè animam Chriſti attingit inhabitátque, anima viciſsim pro ſuo modulo Diuinitatem realiter concipiente. Quemadmodum autem Diuinitas & anima Chriſti ſic in ſe inſunt, vt neque confundantur, neq; ſe mutuo eiiciant, ita diuinas perſonas arbitramur ad inuicem quidem adunari, ſed ſine confuſione, ſicuti ab inuicem diſcerni, vt nulla tamen interueniat diſtãtia. Nec verò ſe vltro citróque capiunt per mutuam commixtionem, aut per alterius in alterum, quod ſit capacius, immiſsionem, aut per vnius inſitionem, alternámve conſitionem verùm per eandẽ Deitatis plenitudinem, quæ in immenſum patens in Patre non poteſt non complecti Filium, & Spiritum. Ac è conuerſò infinita in Filio & Spiritu neceſſariò Patrem περιχωρεῖ, circumit & quaſi penetrat. Penuria enim vocabulorum, quæ ad tantum ſacramentum pertineant, iſta corrogare, emendicaréque cogimur. Hoc illud eſt vinculum, quod Ariani teſte Hilario, nefariè conabantur diſrumpere. Hic nexus cuius gratia ſcriptores Noſtri emanationes Filij & ſpiritus ſancti immanentes appellitant. Hæc vnio, quam Græci ſubinde ponũt ob memoriam, dum τὴν ἁγίαν τριάδα ſimul vocant, ὁμοούσιον καὶ ἀδιαίρετον καὶ ἀσύγχυτον.

Nota ſimilitudinem.

Hila li. 7. de Trin.

Περιχωρήσει finitima eſt inſeparabilitas, vt quidem appellat Auguſtinus. Per illam alter in alterum per meat, per hanc alter ab altero non diſcedit, aiente domino, Ego ſolus nõ ſum, ſed ego & qui miſit me. Et rurſum, Qui me miſit mecũ eſt, & nõ reliquit me ſolum,

Quinta inſeparabilitas.

Ioan. 8.

Ioan. 14.

Et, pater in me manens ipse facit opera. Ea ergo *personæ diuinæ neque separantur, neque distant à se inuicem, sed simul absque disiunctione perpetuo conuersantur.* Quamobrem *nos tres quidē homines dicimur, vt tres personæ locis distātes, quæ nec sibi semper præsentes sūnt, nec prorsus inseparabiles.* sancta *verò* Trinitas *vnus* Deus *non tres dij ob personarum indiuiduam inter se societatem, quæ nec virtute differunt, neque distinguuntur negotiis, neque spatiis, locis, temporibus diuiduntur, quasi aliquid sit inter* Patrem, Filium *&* Spiritum S. *aut non sit inter ipsos sempiterna coniunctio atque commercium.* Hæc *quippe locutio* tres dij *non tantùm suspitionem facit differentis naturæ, sed etiam hypostases separat atque diuidit.* Atqui *quemadmodum fons & riuus ab eo iugiter scaturiēs, vt superius meminimus, duo quidem verè & numero existūt, verùm tamen vna aqua, non duæ aquæ, quòd nec vnquam à se diuellantur, nec substantiam vllo modo habeant differentem.* Sic *diuinæ personæ vnus* Deus *non tres, quòd præter admirabilem essentiæ vnitatem neque secessibiles neque diuiduæ à seipsis sint, quasi valeant ab alteris alteræ separari.* Itaque *rectè* Augustinus *nexu duplici eas colligat, dum scribit* Filium *semper esse cum* Patre *& semper in* Patre. Semper *est cum* Patre, *vt comes indiuiduus* καὶ ἀχώριστος. Semper *est in* Patre, *vti verbum siue ratio in animo, vti sapientia in sapiente, vti idea & notio in intelligentia, quod ad* περιχώρησιν *superiori loco tractatam pertinet.* Neutram *connexionem prætermisit* Gregorius Theologus *contra illos ratiocinans, qui* Spiritum S. *habebāt pro creatura,* ἠγνόησαν, *inquit,* ὅτι ὥσπερ μὴ διαιροῦντες τὸν υἱὸν ἀπὸ τοῦ πατρὸς σώζουσι τὸν ἕνα θεὸν εἶναι, οὕτω διαιροῦντες

Aug. Epist. 3. ad Volusianum.

Nazanz. in epist. de spiritu sancto ad Serapionem.

ἀπὸ τοῦ λόγου τὸ πνεῦμα οὐκ ἔτι μίαν τὴν ἐν τριάδι θεότητα σώζουσι, *& longo pòst interuallo*, ἐν χριστῷ ἦν τὸ πνεῦμα ὥσπερ ὁ υἱὸς ἐν τῷ πατρί. *Quemadmodum, qui diuidunt Filium à Patre non seruant vnitatem Dei, sic imprudentes tollunt vnam in triade diuinitatem dum separant à Verbo Spiritum. Et post, In Christo est Spiritus, vt in Patre Filius. Vtramque etiam Basilius attigit*, οὐ γὰρ ἔστιν ἐπινοῆσαι τομὴν ἢ διαίρεσιν, ὡς ἢ υἱὸν χωρὶς πατρὸς ἐπινοηθῆναι, ἢ τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ διαζευχθῆναι. *Non licet, inquit, cogitare sectionem aut diuisionem, quasi aut Filius seorsum à Patre cogitetur, aut Spiritus à Filio disiungatur. Hinc illud crebro sermone vsurpamus Patrem, Filium, & Spiritum S. substantia non esse separatos. Nam id non significat, vt Antitrinitarij & Autotheani cogitare videntur, continuatos esse communi quadam substantia, sed tam arcta, tam necessaria societate inter se coniunctos, vt nunquam à se inuicem secedant.*

Basilius in quadã epistola ad fratrem Gregorium.

Quid sit personas nõ esse substãtia separatas.

Eôdem spectat sempiterna eorum ad se inuicem relatio, qua Pater semper fuit Pater, Filius semper Filius, Spiritus semper spiritus. Cùm ergo ab omni æternitate Patri idem sit hoc aliquid esse & Patrem esse, Filio hoc esse & esse Filium, Spiritui pariter esse hoc & spiritũ. (Nã relationes pro modulo nostro comprehẽdendi, hypostases constituunt, ac alteram ab altera differre faciunt) fieri non potest, quin ille semper Filium, ad quem referatur, habeat, aut Filius Patrem, cum quo perenniter comparetur, aut Spiritus S. Patrem & Filium, quorum perpetuò & existat & dicatur spiritus. substantialis illa indiuiduáque omni ex æuo relatio, quídni hos sempiternè & inseparabiliter vnum faciat? Vnus enim absque alio nulla vi potest cohære-

Sexta relatio mutua.

Nazãz. ad serapionẽ de s. spũ.

re, cùm hæc sit relatorum natura, vt nequeat alterum extare absque altero. Atque hinc, vt probè monet Nazanzenus, λεγομένου πατρὸς πάρεστι καὶ ὁ τούτου λόγος, καὶ τὸ ἐν τῷ υἱῷ πνεῦμα. ἐὰν δὲ καὶ ὁ υἱὸς ὀνομάζηται, ἐν τῷ υἱῷ ἐστὶν ὁ πατήρ, καὶ τὸ πνεῦμα οὐκ ἔστιν ἐκτὸς τοῦ λόγου, enunciato Patre adest & ipsius Filius, & qui in Filio est spiritus. Si nominetur Filius, in Filio est Pater, spiritus extra Verbum haud quaquam posito. Nec verò relatio, quæ vnum non item alterum denominat, vllo modo hanc impedit vnitatem, aut efficit, vt quia Pater non est Filius vel spiritus, nec vicissim Filius vel spiritus Pater, abrumpatur illa singularis vnio, aliquídque maius minúsve in vno, quàm in altero cogitetur, quoniam relatio siue relata prædicatio rei, de qua dicitur, quicquam neque addit, neque detrahit, neque immutat, quippe cùm tota non in eo quod est esse, sed in eo quod est comparatione aliquo modo se habere, consistat.

Boëthius de Trinit.

Præterea, quia singuli quidem singularem habent hypostasim & subsistentiam, vnusquisque distributim est perfectus Deus, non tamen tres dij connumerãtur, sed vnus Deus, quòd Verbum & spiritus vires sint Patris, qui non manat ex aliquo, sed existit fons ac principium totius diuinitatis. Vnde non concedimus tria principia, quoniam vniuersa ad Patrem, vt ad principium sine principio referimus. Non enim sunt duo trésve Patres aut innati siue ingeniti. Nam sic tres deos esse oporteret quòd Vnitas Dei & vna persona non producta, ex eadem causa profectò pendeant. Ac sic certè in nostris literis propter authoritatem principij, siue excellentiam causæ, vt Maiorum nostrorum plerique locuti sunt, Patri, qui est, vti tradidimus, fons

Septima authoritas principij.

Tertull. in lib. de Trinit.

atque origo totius deitatis, vniuersa eminentia ita tribuitur, vt ille vnus solúsque Deus interdum prædicetur. Nam dum etiam Filius & S. spiritus cuncta accepta referunt Patri, totam diuinitatis auctoritatem rursus illi remittunt. Vnde vnus Deus ostenditur, vel hoc pacto verus & æternus Pater, quoniam ab illo solo hæc vis diuinitatis emissa, etiam in Filium & S. spiritum tradita & directa rursum per substantiæ cõmunionem ad Patrem reuoluitur. Deus quidem ostenduntur Filius & Spiritus, quibus diuinitas naturaliter tradita & porrecta conspicitur, nihilo minus tamen vnus Deus Pater probatur, dum gradatim reciproco meatu illa maiestas atque diuinitas ad Patrem, qui dederat eam, rursum ab illo ipso Filio & spiritu missa reuertitur & retorquetur, vt merito Deus Pater omnium Deus existat, & principium Filij, quem dominum genuit, atq; Spiritus sancti, quem Paracletum per Filium produxit. Hæc est Basilij Magni sententia, quam totam, vt perelegantem hîc volui exscribere. Bas. cap. 18 ad Amphilochium.
ἡ τοίνυν ὁδὸς τῆς θεογνωσίας, ἐστὶν ἀπὸ τοῦ ἑνὸς πνεύματος διὰ τοῦ ἑνὸς υἱοῦ ἐπὶ τὸν ἕνα πατέρα, καὶ ἀνάπαλιν ἡ φυσικὴ ἀγαθότης, καὶ ὁ κατὰ φύσιν ἁγιασμὸς, καὶ τὸ βασιλικὸν ἀξίωμα ἐκ τοῦ πατρὸς διὰ τοῦ μονογενοῦς ἐπὶ τὸ πνεῦμα διήκει. οὕτω καὶ αἱ ὑποστάσεις ὁμολογοῦνται, καὶ τὸ εὐσεβὲς δόγμα τῆς μοναρχίας οὐ διαπίπτει. *Via igitur ad Deum cognoscendum, ab vno est Spiritu, per vnum Filium in vnum Patrem. Et è conuerso naturalis bonitas & quæ secundum naturã est sanctificatio, regiáque dignitas ex Patre per vnigenitum in spiritum peruadit. Sic & hypostases confitemur & pium dogma de Dei monarchia singularíque principatu non intercidit.*

Ad hæc expressa similitudo, &, vt ita loquar, pari-

Octaua absoluta æqualitas & similitudo. litas in causa est, cur plures deos nõ nominemus. Qualis enim Pater talis per omnia Filius, talis etiam prorsum Spiritus sanctus. Item, quãtus Pater, tanti pariter, qui ab eo manarunt, Filius & Spiritus. Illud τὸ ἀπαράλλακτον distinctionem deitatis nullo modo patitur. *Athanas.* Alioqui par est, ut audeat aliquis pronuntiare solem eiúsque splendorem plura esse luminaria, aut Regem & eius expressam imaginem ἢ χαρακτῆρα binos esse reges, aut ut fontẽ ipsiúsque riuũ duas aquas nominet.

Nona Monarchia & συνεργία. Idem efficit Monarchia, itémque actionum & negotiorum unitas. Neque enim imperium eorum siue potestas finditur, neque operatio diuiditur. Pater non aliquid molitur solus per sese, quod Filius nõ unà cum eo suscipiat, aut Filius rursum quicquam peculiariter *Operationes Trinitatis indiuiduæ.* exequutur sine Spiritu, sed cũctæ actiones ad nos à deo redundantes, à Patre quidem proficiscuntur, uerùm per Filium progredientes in S. spiritu perficiuntur. Ad hanc agendi unitatem communitatémque declarandam Scripturæ solẽt construere nomen Dei plurale cum *Dionys. ca. 4. de diu. nominib.* uerbo singulari, Dij creauit, dij possedit nos, &c. Hi enim simul nobis unam uitam suppeditant, hi eandem sapientiam, uirtutem, energiam communiter tri- *Gen. I. Deut. 32.* buunt, atque in omnibus procreatis rebus coniunctim, non separatim, per sese inuicem exercent uniuersa. Neque Pater aliis imperat, aliis Filius, aliis Spiritus, sed eorum unus est principatus, unum regnum, una dominatio, dominationis una dispẽsatio atque administratio. Unde rerum non tria, sed unum principium esse asseueramus. Nam quamuis procreatio siue procrean- *Creatio una à tribus.* di actio trium quidem sit hypostaseon, tamen quia id capessunt ac exequuntur, quatenus unum sunt essentiâ, & per eandem uoluntatem potestatémq; & uir-

autem tribus communem creant, non nisi vnus censetur creator, vnus rerum effector, vnum principium, vna causa. Lucem qualemcunq; affert communis triũ eandem nauim trahẽtium actio, nisi quòd Pater solus potest condere, solus similiter Filius condendo sufficit, itidémque Spiritus sanctus. Et quidem tam facile solus Pater id potest, quàm cum Filio & S. Spiritu, per Filium tamen in S. spiritu essentiam rebus impertit, quòd naturali quadam necessitudine cuncta cum eis communicet, non his ad res gerendas ceu instrumentis vtens, sed ad id eos velut vires naturales ac apud se perpetuo consistentes adhibens. Quod pariter sentiendum de duobus reliquis. siquidem Filius & spiritus imbecilli non sunt, quin per se singuli queant architectari aliquid absque Patre, verùm haud potest operatio separari, vbi non solum æqualis, sed etiam indiuidua natura est atque societas. Vnus interim creator, non tres creatores, quòd in agendo, vti pridem monui, simul conueniant, neque sint separati. Distinguuntur quidẽ cùm diuinitas intra se describitur, verùm quando creaturis opponitur, vnus semper Deus, vnus dominus, vnus opifex summus, vna causa, vnum principium. Tantùm autem pertinet ad ordinem gradúmque personarum, id, quod Græci aiunt principalem causam, cur mundus fabricatus sit, esse Patrem, conditricem verò Filium, consummatricem autem spiritum. Nihil enim significant aliud, nisi Patrem auctorem esse rerum primum quodam originis naturæque ordine, deinde Filium, mox spiritum. Patrem, vt principium sine principio, reliquos, vt principia de principio. Ex quo Gregorius Theologus, inuocemus, inquit, Patrem, Filium & S. spiritum, de quibus nobis est sermo, ὧν

Damas. lib. I. cap. 10.

Dam. ibid. Nazanz. initio orat. 2. de Theolog.

τὸν μὲν εὐδοκεῖν, τὸν δὲ συνεργεῖν, τὸ δὲ ἐμπνεῖν, μᾶλλον δὲ μίαν ἐκ τῆς μιᾶς θεότητος γενέσθαι τὴν ἔλλαμψιν ἑνικῶς διαιρουμένην καὶ συναπτομένην διαιρετῶς, ὃ καὶ παράδοξον, ita vt, ille quidem bene velit, hic cooperetur, iste verò inspiret, imò verò vna ex vna deitate prodeat illuminatio vnice distincta & distinctè coniuncta, quod omnem opinionem mirabiliter excedit.

10. Eadem voluntatis propensio.

Par momentum habet inter eos indiuidua cùm vitæ tum amoris societas, quæ tam arcta est, tam cõiuncta, vt absque vlla voluntatis animíque dissonantia singuli semper ad idem propendeant, & quod optimum est vnà & communiter velint, omnia vnanimi consensione moderantes. Hinc Hilarius rectè scripsit tres s. hypostases per substantiam quidem (sic Græco more personam appellat) tria existere, per consonãtiam verò vnum.

Vndecima rerum omnium communitas.

Postremò omnium rerum ad diuinitatis naturã pertinentium plenissima effusissimáque communitas deorum trium opinationem adimit. Nam vt trium personarum vna omnino existit deitas, ita & felicitas, potentia, gloria, sapientia, magnitudo, æternitas, immensitas, infinitas, quæcunque denique recenseri cogitarique possunt ad summi boni naturam conferentia, absque vlla aut quantitatis, aut qualitatis, aut temporis, aut loci, aut faciendi, aut patiendi, aut situs, aut habendi diuersitate.

Rupert. li. 11. de diu. off. cap. 5.

Quorsum similitudines multæ in hoc mysterio.

Ruffin. in Symb.

Relinquitur iam, vt explicemus, quodnam Nostrorum institutum sit in afferẽdis de hoc arcano variis similibus, ne huiusmodi in omnem partem versata errandi præbeant alicubi occasionem. Ad hæc primùm omnium illud dicimus cum Ruffino Aquileensi presbytero cùm etiam in cæteris exempla proferantur, non

per omnia tamen similitudinem seruare rei illius, cui putantur præbêre exemplum, sed vnius alicuius partis, pro qua assumpta sunt, tenêre similitudinem. Exempla, *quæ ille commemorat afferam. Cùm dicitur simile esse regnum cælorum reti missò in mare, non est putãdum naturæ lini, quo rete operamur, ac nodis, quibus maculæ nectuntur, regni cælorũ substãtiã per omnia conferri. sed ad hoc solùm videtur assumpta comparatio, vt ostenderetur, quia sicut rete de pro fundo maris pisces adducit ad littus, ita de profundo sæculi huius errore humanæ animæ regni cælorum prædicatione liberantur.* Ex quo *constat exempla non in omnibus his, quorum exempla sunt, esse similia.* Alioqui *si eadem essent omnia, iam non exempla, sed ipsæ potius res, de quibus agitur, dicerētur.* Deinde *monemus hãc dissimilitudinis rationem in hoc* Trinitatis *sacramento elucêre maximè, adeò vt similitudinũ, quibus illa adumbratur, nulla possit inueniri, nulla excogitari consentanea, quippe cùm nulli rei procreatæ* Deus *sit similis.* Rectè *igitur* Nazanzenus Episcopus *præfatur se non audere præsidium in eo illustrando à similibus petere. formidaui, ait, si nescio quam scaturiginem, fontem & fluuium animo conciperem, ne quendam per hanc imaginem diuinitatis fluxum, cuius status non esset, reciperem. Deinde ne vnum numero sine continuitate introduceretur* Scaturigo *enim & fons & fluuius vnum numero cùm sint. tantùm diuersa figura exprimuntur.* Rursum *cogitaui solem, radium, & lucem.* Verùm *& hîc metus, primùm ne in simplici natura oboriretur suspitio compositionis talis, qualis est* Solis *& eorum, quæ soli insunt.* Deinde *ne* Patri *essentiam tribueremus, cætera verò subsistere negaremus,*

Grego. Nazanz. lib. 5 de Theolog.

» *vti neque radius, neque lux per se subsistunt, sed alte-*
» *ri innituntur inhæréntque velut solares riui ac essen-*
» *tiales qualitates, atque ita faceremus quasdam Dei*
» *facultates, quæ per se non consistunt. Quòd si alia mi-*
» *hi exempla quæram, & hîc eorumdem incommodorũ*
» *mihi obrepit suspitio, compositionis scilicet, fusionis in-*
» *stabilis, & parum fixæ naturæ, quorum nihil de deita-*
» *te cogitandum est. Itaque, vt summatim dicam, nihil*
» *est, in quo cogitationes meæ sistant, si Dei naturam,*
» *quam imaginor, ad conceptas similitudines exegero.*
» *Nisi quis vno aliquo ex vniuersa imagine desumpto,*
» *cætera pro candore negligat, abiiciátque. Videbor er-*
» *gò optimo fine conclusisse hanc disputationem, si sua-*
» *sero, vt pro se quisque huiusmodi imagines & vm-*
» *bras tanquam deceptrices & à veritate ferè distantes*
» *valere sinat. Igitur cùm Patres hinc illinc exempla excerpunt, id non eo instituto agunt, vt S. Trinitatem velint his omninò comparare, sed potius vt in qualicunque similitudine magnam simul notent dissimilitudinem. Itaque afferũt in commune multiplicia, quò ex illa varietate, quod ex vnoquoque, pro modulo ad illam transferri debeat, aliqua proportione assumant. Opus enim est multis, quò res tanta, vel ex parte quidem, possit intelligi. Exempli gratia, Ex sole & radio ostendunt coæternitatem Patris & Filij, itémque immanentiam inseparabilem, exemplo autem generationis humanæ parem vtcunque & communem substãtiam, fœcunditatem verò naturæ ac θεογονίαν ex animo nostro demonstrant, in quo mens agens & veluti vigilans non vi aut necessitate aliqua, sed naturæ consequẽtia statim generat cogitationem ἢ ἔννοιαν, quæ propter generationis similitudinem vicem nati obtinet, ac*

Quorsum multæ similitudines ad Trinitatẽ declarandã.

pòsteà ex his omnibus, quòd hîc simile est, declarant, Verbum Patri ὁμοούσιον esse, coæternum, inseparabiliter adhærens, statim & ab æterno genitum. Nec verò per omnia analogiam, vt ex D. Gregorio Nazanzeno docui, conuertunt, imò verò infinities plus in illis diuersitatis esse confitētur. soli radius & lux non sunt consubstātiales cùm accidentia sint, non corpora. Vt ergò Pater Filium ex seipso, inquit Cyrillus Alexandrinus, tāquam lucem splendorémque indiuisibiliter & absque vllo spatio emittat, sicut sol ex se fundit lucem atque splendorem, in eo tamen differt, quòd solis splendor non habet propriam hypostasim, nec perfectè ipse in seipso essentia sit, sed esse in sole habeat. Filius autē Dei non solum ex Patre indiuisibiliter, sinéque vlla temporis intercapedine emanat, verùm etiā propriam obtinet hypostasim, quamuis nō sepositam à Patre, sed in Patre & cum Patre intellectam. Nam cùm Deus nec sit nec esse poßit in loco, quomodo sepositionem, separationémve suscipiet? aut quò ibit, quod separatur? aut vnde separabitur? sic in generatione cogitationis animi nostri, intelligere non est ipsa mentis substantia, vt in Deo, nec in verbo mentis reperitur substantiæ identitas, quòd sit accidens. In humana verò procreatione Filius non nanciscitur eandem substantiam numero atque Pater, quippe cùm ea ab extrinseco etiam pariatur: neq; generatur intrinsecus, cùm genitor prolem extrà ponat, sicque aliud & separatum procreet. Quare hîc tantùm conspicitur vmbra, eáque tenuis consubstantialitatis Filij cum Patre, æqualitatis & naturæ similitudinis, quemadmodum illic sine vnius substantiæ repræsentatione sola mansio eiusdémque æui species atque forma. Intereà tamen confiteri

Cyril. lib. 1. Thesauri cap. 7.

Quæ similitudo magis propria.

Nyssenus ad Ablabium.

Nazä.orat. 5. de Theolo.

Aug. de Trinit.

Damascen. lib. 1. & 3. de fide orthod.

Rich lib. 5. de Trinit. c. 1. & seq. cap 7.

Heb. 1.

dum similitudinum expreßißimam esse eam, quæ sumitur ex tribus hominibus ea necessitudine inter se coniunctis qua Adam, Eua, Seth, aut etiam quá Abraham Isaac, & Iacob. Proinde enim à maioribus vsurpatur creberrimè, & certè hîc præcipua ratio habetur trium ὁμοουσιότητος, insupérque cognationis, quæ alteri cum altero, quodam emanationis & propagationis ordine intercedit, adhæc cohærentiæ per se quam existentiam incommunicabilem appellat Richardus Victorinus, quorum omnium vmbram istic vtcunque intuemur. Proxima est, quæ facit Verbum Dei deradiationem paternæ gloriæ, Spiritum autem vtriusque lucem, secundum quam Patres Niceni in Symbolo tradiderunt Christum lumen esse de lumine. In primis enim micanti corpori nihilo minus lucet cùm radium genuerit, quin potius sine ipsius detrimento & diminutione radio splendor tribuitur. Deinde corpus illud splendidum continuato quodam fluxu radium generat quod eius natura non solùm in eo quod fit, sed etiam in eo quod factum est, sit posita. Præterea eo ipso momento, quo consistit, radij vibrationem sibi supparem æuóque æqualem fundit. Postremo tam clarum lumen gignit quàm poßidet, quod etiam æque cernitur oculorum aciem perstringere. Quidni igitur cogitemus Verbum Dei æquale eiusdem æternitatis maiestatis, gloriæ à Patre perenniter, sine eius diminutione manare? Ac per illud, quemadmodum per radium lucem, spiritum sanctum eadem omnino essentia profluere? Vtrobique enim similis est emanationum ordo, similis modus. Neque verò vltrà commeat exemplum, quasi prætereà Personæ nec consistant per sese, nec inter se reipsa & verè distinguantur: aut quasi tribuendum

sit aliquid ratiocinationi impij cuiusdam Hierarchæ, *qui apud* Hilarium, *contra* Nicenos *patres infert lumẽ diuidi in geminas lucernas aut faces.* Nam, *vt probè respõdet* Hilarius, *similitudo nõ in diuisione est posita, sed in eo, quod* Deus Verbum *genitus est de* Deo Patre, *vti lumen de lumine, quod sine diminutione, siue detrimento sui tribuit substantiam suam alteri, impertiens quod habet, ac habens retinensque quod impertit.* Quod *illustratur à* Theodorito *in diuinorum dogmatum epitome præclara oratione.* Vbi *commonstrauit* Filium Dei *genitum quidem ex* Patre, *simul autem ab omni æuo cum ipso versatum, perinde atq; cernimus radium æqueuum esse soli, fulgorem igni, verbum siue cogitationem menti,* ἀλλὰ τούτων, *inquit,* ἕκαστον οὐχ ὑφέστηκεν αὐτὸ καθ' ἑαυτὸ, ἀλλ' ἐν ἐκείνῳ ἐξ οὗπερ ἔφυ, τὴν ὑπόστασιν ἔχει. ὁ δὲ θεὸς λόγος, τὸ ἀπαύγασμα τῆς δόξης, οὐκ ἐνέργειά τίς ἐστιν ἀνυπόστατος τοῦ πατρὸς, ἀλλὰ ὑπόστασις ζῶσα, καὶ καθ' ἑαυτὴν ὑφεστῶσα. οὐ γὰρ ἁπλῶς λόγος ὠνόμασται, ἀλλὰ θεὸς λόγος. οὐδὲ μόνον ἀπαύγασμα δόξης, ἀλλὰ καὶ χαρακτὴρ ὑποστάσεως. ἐπειδὴ γὰρ οὐχ οἷόν τε ἦν εἰκόνι μιᾷ σαφῶς διδάξαι τὰ θεῖα, διὰ πλειόνων εἰκόνων οὕτω πως ταῦτα μανθάνομεν, καὶ τὸ μὲν ἀπαύγασμα τῆς δόξης διδάσκει τὸ συναΐδιον. ὁ δὲ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως καὶ τὸ ἀκριβὲς τῆς ὁμοιότητος δείκνυσι, καὶ τὸ τῶν ὑποστάσεων διδάσκει διάφορον. Sed *istorum vnumquodque non per se subsistit, quin imò in eo, ex quo prognatum est, subsistentiam habet* Deus *autem* Verbum *splendor gloriæ, non efficientia quædam est* Patris, *subsistentiæ expers, sed subsistentia viuens per seque consistens.* Nam *non simpliciter* Verbum *nominatus est, sed* Deus Verbum, *non simpliciter splendor gloriæ, sed & character siue expressa forma subsistentiæ.* Quandoquidem *enim*

Hila. lib. 6. de Trinit.

Theod. de diuin. dogmat. pag. 114.

non vna imago potest dilucidè declarare diuina, per plures ideò imagines quoquomodo ea perdiscimus. Ac splendor quidem gloriæ docet coæternitatem. Character verò subsistentiæ etiam exactam similitudinem demonstrat, prætereáque docet hypostaseon siue subsistentiarum differentiam.

Remotissimæ autem similitudines censendæ sunt, quas hoc triennio SKeKius philosophus & medicus versus Trinitarios peregrinans confinxit. Ait Patrem, Filium & Spiritum S. se eodem modo habere, ac animam intelligentem, sentientem & vegetantem. Præterea Deum esse tãquam saccharum, in quo tria reipsa distincta spectantur, substantia, candor, & sapor dulcis, vt reliqua eius simulachra καὶ εἴδωλα, quibus de Deo ludos impiè agit, silentij profundo mergam. Quanta hæc sint absurditate per te ipse intelligis. In illis nihil prorsum vides, quod non sit sabellianum, ne quid peius ominari videar. Nõ tres res per se subsistentes, nõ triũ eandẽ essentiã, nisi fatuè existimes accidentiũ & substãtiarũ eandem esse naturam, non ordinem emanationũ, nõ æqualitatẽ, nõ easdẽ vires, nõ similes facultates, nihil denique eorum, quibus vel à sabellianis, vel ab affinibus monstris nos distare percipere valeas. Quare aut nullæ ei fuerant adumbrandæ sine verbo dei, sine exemplo maiorum, siue Ecclesiæ conscientia imagines diuinæ maiestatis, ne eius gloria absorberetur, vt accidere iis solet, qui eam alia via scrutantur, sicuti prædixit Salomon dei ipsissimo oraculo iudicatus mortalium sapientissimus, aut prius probè apud se agitãda erat totius negotij summa, quam profectò nunquam percepit, si libri ipsius de Trinitate nõ mentiuntur.

Antitrinitariorũ similia alienissima.

Prou. 18.

mentiuntur. Deinde cauendum fuerat, ne nouis simi- 2.Thes.2.
libus quicquam Catholicæ *veritati decerperetur.* sed
hæc eorum, qui præfidunt ingeniis suis merces, hoc er-
ga eos domini iudicium, hæc prouidentia, vt qui non
credunt veritati, quam per Ecclesiam *suam de arce*
sionis Spiritus *sanctus denũtiat, fidem mendacio ac-*
commodent. Quantò *satius salutique tuæ consultius*
fuerat, mi SKeKi, *coërcere tuã scribẽdi de re ignota te-*
merariã iuuenileq; libidinẽ, intra metas philosophiæ
& medicinæ, quarum magistrum te esse profiteris, &
Ecclesiam *audire detonantem* Deum *Vnum esse, cuius*
uera ac propria definitio sit Pater, Filius *&* Spiritus
Sanctus? Tres *per se subsistentes, quorum nullus ex-* Definitio
tet diuinæ essentiæ, vt tu improbè censes, δυνάμεις *&* dei ex Ru-
facultas, sed vera persona & hypostasis? Tres *non in* pert. lib. 1.
vnam substantiã conflati vt tu imaginaris, sed reipsa de diu. of-
seorsim cohærentes, seséque verè substinentes, atque, ficiis.
vt summatim dicã, tres qui ita coniũgũtur distinctio-
ne, vt coniunctione verè reipsa, & propriè distin-
guantur? Neque *nobis obtrudas tua somnia, quibus*
tantas hypostases in vnum prodigiosè contrahis. Paris
enim impietatis est cum Sabellio *personas confundere*
atque cum Ario *distinguere naturas.* Videbor *igitur*
mihi optimè huic disputationi dedisse finẽ, si tibi per-
suasero, aut etiam pro me Gregorius Nazanzenus
" *(quantus vir,* Deus *immortalis,) vt tuas vmbras tan-*
" *quam fallaces ac à veritate alienas valêre iubeas.* Ac
" *cum eo pia mente imbutus, & paucis scripturæ ver-* Nazanz.
" *bis insistens, duce spiritu sancto vtare, & illumina* sub finem
" *tionem, quam inde accipere potes, ceu germanum* libr. 5. de
" *quendam sodalem & fidum congerronem perpetuò* Theol.

» conseruans, per sæculi istius medium peragres, ac de-
» nique pro tua virili alius suadeas, vt adorent &
» Patrem & Filium & Spiritum sãctum vnam
» tum deitatem tum potentiam, cui gloria,
» honor, benedictio & maiestas omnis
» debetur in sæculorum sæcula.
Amen.

De sancta Trinitate libri secundi Finis.

Deo laus, honor & gloria.

DE S. TRINITATE LIBER TERTIVS, QVO SYMBOLVM Athanasij exponitur, & à contumeliis Trinitariorum vindicatur.

Sitne Symbolum, Quicunque vult saluus esse, *Athanasij Alexandriæ Episcopi.*



CVRIOSAM *quæstionem atque adeò doli plenam, vt probauit exitus, Valentinus quidam Gẽtilis, impietatis æquè ac nominis Gentilium hæres, his annis in Ecclesia Dei proposuit, eiúsne sit istud Symbolũ, cuius titulum præ se fert. i. D. Athanasii. Ego certè nunquam credideram Sathanam tantum habere in sua membra virium, vt ipsa posset in tam proiectum, impudénsq; facinus vertere. Quemadmodum nemo tum cogitasset hæreses Arianorum tot ætatibus sepultas, & tam crebris támque lethalibus victoriis cæsas denuò sub hoc mundi senium emersuras fuisse. Putabã enim præscriptione tot sæculorum satis apud omnes constitutum esse, Athanasium, dum Arianorum persecutiones quadraginta totis annis per vniuersum Romani imperij orbem euaderet, fidei suæ confeßionẽ & quasi tesseram alicubi edidisse, vt Orthodoxis suæ communionis hominibus patêret causa, cur eius iugulum, tanta pertinacia, diuinitatis domini perduelles peterent. Meditanti autem mihi postea variè, memoriáq; repetenti, quæ olim de Athanasio legisse potueram, ec-*

ce succurrit, quod ex peruetusto Cœnobitarum Germanensium (quorum Lutetiæ haud contemnenda extat Bibliotheca exemplari de Synodis quidem, sed tamen auctore anonymo, quod esset primis membranis mutilum, pridem sicnotaueram. Fertur autem Athanasius Patriarcha symbolum prædictum edidisse apud Treuerim, in quodam puteo latitans, propter grauissimam persecutionem Arianorum, & præcipuè Constantij Imp. Ariani, qui eam vbiq; perquiri faciebat ad mortem, quia nolebat hæresi Arianæ consentire. Idem deinde, alius tamen verbis, reperi Nauclerum in suam Chronologiam, dum res duodecimæ ætatis exponeret, retulisse. Cùm autem hæc aduersus præfractos & peruicaces hæreticos satis firma mihi non viderentur, en (commodùm) in manus meas peruenit liber quidam Græcus de processione spiritus sancti oblatus Lazaro Bayffio claro regis nostri Francisci primi apud Venetos oratori, anno Christi 1533. quem manu sua elegantissimè pinxerat Nicolaus Sophianus Patrum nostrorũ æuo vir valde doctus. In eo non solùm Athanasius auctor huius symboli affirmatur, verùm etiam ad id testis omni exceptione maior profertur Gregorius Nazanzenus è funebri oratione, quã de ipsius laudibus habuit. Nam vbi operis auctor (quisquis ille est, sanè incidit in tempora, quibus Græci & Latini implacabili rixa de spiritus sancti processione dimicabant) constituisset producere loca aliquot ex Athanasio, quæ ad suum institutum pertinerent, illi libri parti titulum fecit,

Liber de Synodis manuscriptus apud Germanenses monachos.

Liber Græcus de processiõe spiritus sancti agnoscit symbolum Athanasij.

Ὁμολογία τοῦ ἁγίου Ἀθανασίου.

sic enim illic symbolum nostrum solet appellare. Mox priusquam illud iisdem verbis, quibus paulò

pòst sumus publicaturi, subiiceret, ad eius αὐθεντίαν *communiendam, quæ sequuntur, interposuit* ταύτης τῆς ὁμολογίας μέμνηται καὶ ὁ θεόλογος Γρηγόριος ἐν τῷ λόγῳ εἰς τὸν Ἀθανάσιον ἐπαινῶν. φησὶ γάρ. Πρῶτος καὶ μόνος, ἢ κομιδῆ σὺν ὀλίγοις ἀποτολμᾷ τὴν ἀλήθειαν σαφῶς οὑτωσὶ καὶ διαρρήδην, τῶν τριῶν μίαν θεότητα καὶ οὐσίαν ἐγγράφως ὁμολογήσας, καὶ ὃ τοῖς πολλοῖς τῶν πατέρων ἀριθμῷ περὶ τὸν υἱὸν ἐχαρίσθη πρότερον, τοῦτο περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος αὐτὸς ἐμπνευσθείς. ὕστερον. καὶ μετ' ὀλίγα. Ταύτην μοι δοκοῦσιν αἱ δυτικοὶ τὴν ὁμολογίαν, ὅτι τῆς ἑσπέρας καὶ τῆς ἑώας, καὶ τὰ ἑξῆς. *Huius inquit, confeßionis meminit etiam Gregorius Theologus in oratione de Athanasii laudibus: Ait enim. Primus & solus aut cum paucis admodum audacter veritatem adeò perspicuè & palam de Trium vna deitate & essentia scripto confessus est, ac quod multo patrum numero antea (in Nicena synodo) gratificatus fuerat, istud postea de spiritu sancto fecit inspiratus. Et paulò pòst. Hanc confeßionem mihi videntur venerari & ij qui in Occidente. (Audi) & ij qui in Oriente incolunt, &c. Potuitne, cedo, D. Gregorius, nisi eadẽ opera verba ipsamet confeßionis attulisset, id quod quæritur clarius explicare, q̃ cũ eius summã non modò tradidit, sed etiã apud omnes Ecclesias in veneratione fuisse testatus est. Nã quod addit in illa oratione Confeßionem de qua loquitur, oblatam Imperatori (Iouiano) vt Imperator (Constantius, Nam* βασιλεὺς *illic Imperatorẽ significat) cum Imperatore (Iouiniano) & sermo verus hac confeßione comprehensus, cum sermone, Ariano scilicet, quem scriptis contra veram fidem publicauerant, decertaret, minimè pugnat, cum eo, quod hodie Titulus Græcus oblatam fuisse meminit Iulio Rom. pontifici. Quid enim vetat*

Græci docẽt symbolũ Athanasij cõfeßionẽ illã esse, cuius meminit Nazanzenus in oratione de Athanasio.

Verba Gregorij Nazãze. de hoc Symbolo.

Athanasium post defunctos Constantium & Iulianũ Impp. qui ipsius persecuti fuerant sanguinẽ, pio principi Ioviano, à quo fuerat in suam Ecclesiam restitutus, eam ipsam tandem obtulisse, quàm Romam antea ad Iulium Treuiris misisset, propter aduersarios, qui ipsum aliquot concilijs iustè damnatum videri cupiebant.

Traditione Ecclesiæ Symbolum est Athanasij.

His accedit traditio Ecclesiæ, quam nemo probare posit ire in contrarium, imò verò ex eo, quòd in vetustissimis Romanæ Ecclesiæ ὡρολογίοις sub Athanasij nomine eius ad primam recitatio vsu recepta est, dubitari non potest, quin Ecclesia à principio semper id pro persuaso habuerit. Quo fit vt Maiores, qui Romanum officium scriptis mandauêre, hoc simul testimonio suo comprobauerint. Extat liber Gulielmi Durãdi non extremæ ætatis Episcopi de diuinis Officijs, in quo apertè testatur ex primaria Ecclesiæ institutione fieri, vt ad Primã Athanasianũ aliquãdo cãtetur, nẽpe dominicis aliquando minimè.i.reliquis diebus. Abhinc etiam quadringentis annis de eadem re Ioannes Belethius Theologus Parisiensis libellum conscripsit, qui, vbi narrasset quatuor probari Symbola, Secundum, » inquit, est quod in Prima recitatur, Quicunque vult » saluus esse, quod ab Athanasio Patriarcha Alexan- » drino contra Arianos hæreticos compositum est, licet » plerique eum Anastasiũ fuisse falsò arbitrentur. Quod doctrina, quam continet, reddit testatissimum. Mirè enim cõgruit cum iis, quæ plenissimis & prolixissimis commentariis contra Arianos & contra exorientes de incarnatione verbi hæreses alibi disputauerat. Quinimo, quæ prolixitate aliquanto obscuriora reddiderat, incredibili tum breuitate tum perspicuitate,

Dura. in rationali diuinorum Offic. lib. 5. cap. 5. Num. 3.

Ioh. Belethius in explicatione diuin. Off. cap. 40.

Quæ continẽtur Symbolo hoc monstrant auctorem.

ita nunc explicat, vt ingentes gratiæ agendæ sint Deo, quòd nobis in Ecclesia tantum doctorem exsuscitauerit atque per eum tam illustria documenta de Sancta Trinitate & Verbi οἰκονομία in Epitomen, vt rudiorum animis hærerent tenacius, contraxerit. Postremò quo pacto Antiqui scriptores integra fragmenta his citra diuersitatẽ similia subinde inter se sonarẽt nisi ex communi aliquo prædio mutuarentur & ad verba, quæ publicè recepta esse sciebant, communiter alluderẽt. Augustinus ad verbum habet versum Symboli, Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus & tamen nõ tres omnipotentes, sed vnus omnipotens, *Itẽ,* Deus Pater, Deus filius, Deus Spiritus S. & tamen non tres dij, sed vnus est Deus. *Quam extremam clausulam αὐτολεξεὶ etiam ad Pascentium repetit. Et in Enchiridio vsurpat simile Athanasianum.* Nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus. *Quæ certè fragmenta sunt, quorum causa authenticum esse maximè negant. Nam ad alia non tam facilè expallescunt, vt nihil mihi necesse sit per reliquos flosculos quos quilibet sibi legendis patribus annotare potest, circumagi. Veluti cum idem Aug. soliloquiorum opus claudit hac oratione.* O tres coëquales & coæternæ personæ Deus vnus, &c. *Verbis profectò Athanasij,* Tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales. *Sed quid opus est adduci hominum potius quàm rerum momentis? Quòd si personis, ad credendum commoueri debemus, anteponamus iudicium Ecclesiæ, quæ hoc symbolum semper habuit pro Catholico, paucorum eorúmque tumentium opinione*

Veteres vsurpasse flosculos Athanasianos.
Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 8. ibid. Epist. 174. ad Pascen. In Enchi. cap. 36.

scientiæ temeritati atque insaniis. si res notas satis sit in controuersiam vocare, quæram vt mihi probetur Mosem scriptorem esse legis, Paulum suarum Epistolarum omnium, quod mihi non puto alio argumento liquidò demonstrare possint, quàm quia hæc est sanorum hominum constans continuatáque traditio, quæ veluti per manus ad nos demanauerit. Quid angar Athanasiúsne istud scripserit, an Alius modo pro certo habeam eo concipi, quæ non solùm vera sint, verum etiam, vt credantur, ad salutem planè necessaria. Quamuis igitur non esset in hanc formam redactum ab Athanasio, tamen manifestum est continere doctrinæ eius corpus vniuersum, quam tot periculis per totum orbem ad extremum vsque flatum aduersus Arianos solus propemodum Episcoporum illa tempestate defendit, vt iam rectè nomen propugnatoris Athanasij, vel hac vna de causa obtinere debeat.

Conuelluntur rationes Trinitariorum quibus cōtendūt hoc Symb. pugnare cum doctrina Athanasij & proinde ei' nō esse. Liber extat inter opera Athanasii.

Ea enim, quorum causa eius negatur, totidem verbis in ipsius operibus disertè supersunt. Extat in eius libro de communi Essentia Patris & Filij & Spiritus S. præter infinita alia loca, caput integrum, quod inscribitur, Quòd non Tres dij, *vbi indicat tres essè causas, quamobrem ternionem Deorum inficiemur. Primam ponit in Personarum* ὁμοουσιότητι, *alteram in earundem* ἀδιαχωρίστῳ *& inseparabilitate. Tertia ab eo constituitur idemtitas numerabilis, per quam nullū discrimen inter se Hypostases habeant formæ, roboris, voluntatis, efficaciæ, &c. Quam sententiam Athanasij esse, & quidem Arius fatetur in disputatione, quam cum ipso habuit apud Probum iudicem. Velim, inquit, optime Iudex, si tamen possibile sit deprehendere*

nouum istum suæ artis magistrum (Aures arrige) solutis præstigiorum fraudibus conniuentium oculos illudentem, vt enim trium deorum confessionis periculum euadat, subitò eos, vti tres vnus appareant, incomprehensibili phantasmate conflat, dicens, sed hi tres vnus Deus. *Rursus nescio qua cõglutinatione permixtos & counitos in vnum* Deum *redegerat, & ecce iterum eos separatos ac triformes ostendit dicens,* Et hic vnus deus Trinitas est. *Quo fit vt sulpitius seuerus eum in quodam concilio ab Arianis sabellianismi damnatum fuisse commemoret. Nec minore impudentia vellicant, quod ex Filio hic dicatur spiritus s. procedere, quasi cum Græcis de spiritus processione Athanasius senserit. In quo se procedunt antiquæ lectionis prorsum ignaros, quòd nesciant disputationem,* A Filióne procedat Spiritus S. *multò post tempora Athanasij non tantùm emersisse, verùm etiam veteres omnes Græcos ante Photij Patriarchæ Constantinopolitani Nomocanonis authoris, qui huic disceptationi solennem auctoritatem primus dedit (fuerat enim repressa in Theodorito Cyri Episcopo, vt apparet ex Cyrilli Alexandrini Patriarchæ capitibus & actis Ephesini Concilij) omnes, inquam, Græcos veteres palam scriptis approbasse, quod isti rodunt. Id signatis tabulis, domino misericordiã suam nobis prætendente, aliquando demonstraturi sumus. Intereà doceo Athanasium in ea quoque fuisse sententia. Is in Epistola ad Serapionem, de s. spiritu, cuius initium, literæ tuæ sacræ dispositionis redditæ mihi sunt in Eremo, perspicuè ait* παρὰ τοῦ λόγου τὸ πνεῦμα ἐκλάμπειν, *Quod deinde oratione quarta contra Arianos pagina operum 233 declarans, Non enim, inquit, tria principia introduci-*

Nota magistrum huius doctrinæ Athanasiũ nominari ab Ario.

Sulp. lib. 2. Epito.

Secũdus locus quem negant esse Athanasij de processione s. Spiritus ex Filio.

Quo tempore hæc quæstio orta sit in Ecclesia.

Athanasius credidit spiritũ s. à Filio esse.

mus, cùm nō tres soles ad comparationem adducimus, sed vnicum solem eiúsque splendorem, Vnicámque ex ambobus lucem. *Et oratione secunda contra eosdem.* De eo accipit Spiritus *sanctus, nō cōtrà.* Item *sub extremū libri de vnitate fidei ad* Theophilum. *Quemadmodum ergò duo ligna coniuncta, missa in fornacem ignis, & de duobus lignis procedit flamma inseparabilis, sic de* Patre *&* Filij *virtute procedit* Spiritus *sanctus ipsam virtutem deitatis habens. Quod in vna* Epistolarum *ad* Serapionem *sæpius testatur.* De *sua, inquit, essentia* spiritum *sanctum existentem* Deum *de se essentialiter, suis* Apostolis *& suæ sponsæ* Ecclesiæ *demonstrādo,* Christus *affirmauit dicens,* De *meo accipiet i. de mea essentia.* Et spiritus *sanctus est coëssentialis* Filio, *à quo habet omnia, quæcunque habet.* Et, *ille (spiritum s. intelligit) me glorificabit. i. in se meam, vt habet à me deitatem, me gloriosum* Deum *demonstrabit, sicut & ego glorifico deum* Patrem *meum. i. sicut in me ab ipsó eius habeo deitatem.* Et, *Christus de suo* spiritu *dixit,* Non *loquitur à semetipso, sed quæcunque audit loquitur, i. non est, vt sit expers principij* spiritus, *quod est proprium* Patris *sed maximè & propriè est ab ipsò* Filio, *à quo accipit, vt sit deus essentialiter, ab eo etiam audit, quæ & loquitur.* Hoc *repetit in oratione de concilio* Niceno, spiritus *sanctus, ait, quicquid habet, habet à* Verbo *dei.* Et, *damnat* Ecclesia *hîc congregata inuentores huius hæreseos (*Arianæ*) &* Spiritus *s. increatum deum verum, hypostasim de* Patris *&* Filij *hypostasibus eisdem coëssentialem confitetur.*

Tertia impugnatio Trinitariorum.

Quod autem Cazanouius *in priore ad* Caluinum Epistola *addit ex eo argui suppositititum, quòd nusquā*

apud Græcos habeatur, si velit dicere nusquam Græcè extare, singularis certe & digna hæretico frons negare id, cuius ad manum portetur probatio. Græca enim exemplaria pridem in totam Europam diuulgata sunt, Parisiis, Basileæ, aliisque ex locis multis, deinde verò cum Latino collata per Georgium Vuicelium. Præterea eodem argumēto opera eiusdem Athanasij ferè omnia reticeremus, quòd nondum Græcè vspiam, typis quidem expressa, inueniantur. Sin à Græcis non recipi significare cupit, concedo recentiores fortasse Græcos propter controuersias, quæ inter eos & Latinos de Spiritu sancto olim natæ sunt, nonnulla immutare potuisse aut etiam pro Catholico non habere odio Latini nominis. Verùm quod ad Priscos attinet, vti ego inficior, sic mecum Gregorius Nazanzenus, quemadmodum paulò superius confirmaui, pernegat. Quinimò tu Cazanoui satanæ eques perdite postrema tua ratiocinatione de recentioribus Græcis pernegas, dum subiicis. Si, inquam, Athanasij est, cuiusnam illud erit, quod nunc Græcorum, seruiorum, Bulgarorum, Russorum & Moscorum Ecclesiæ sub eiusdem Athanasij titulo retinent ac pro genuino agnoscunt? Omnes igitur has Ecclesias imbuit opinio eius quod contra te quærimus, ac habent tua confessione etiam hodie Græci Symbolum nomine Athanasij, aliquantò quidem, quando tu id vis, à Nostro diuersum, sed tamen Athanasianum. Nam alia in re à nostro distare, quàm vbi spiritus sancti ex Filio progressio tangitur, nunquam crede mihi, ostendes. Quare tui sæpius etiam atque etiam rogati, vt illud tantopere, quemadmodum vociferantur, diuersum proferrent, non dico noluerunt, sed non potuerunt. Quæ est hæc impudens audacia? Quæ hæc au-

Postrema ratio Trinitariorum contra auctorem Symb.

dax impudentia obsecro, mendacio, imò verò falsò testimonio suam impietatem propagare? Perinde enim agitis, atque si docere cuperetis Nicenum nostrum symbolum à Græco planè esse diuersum, quia in eo, quod Græci retinent, particula Filióque *non sit addita? Vobis ita turpiter profligatis tempus est, vt non solùm exemplar Græcum è Baïffij manuscripto codice proferamus, sed etiam illud nostris commentariis à ructibus vestris repurgemus.*

Hoc Symbolum reperi in libro Græco manuscripto de processione Spiritus sancti, quē Lazaro Baiffio oratori Regis Francisci I. apud Venetos, obtulit Dionysius Græcus Episcopus Zienēsis & Firmiensis an. 1533. Cui affine est quod olim euulgauit Basileæ Nicolaus Bryling. deinde in Galliā an 1555. Henricus Stephanus. Diuersitatem ad hanc marginem adiiciam, vt quæ extant exempla fideliter conseruentur, sicque transmittantur ad posteros, donec alicunde Athanasianæ confessionis exemplar germanum prodeat, ad quod ista possint emendari. Primum autem obserua loco prolixæ inscriptionis, quæ Græcè sequitur, impressa, quarum modò memini, Exemp. simpliciter legere,

ΣΥΜΒΟΛΟΝ ΤΟΥ
ἁγίου Ἀθανασίου.

ΕΚΘΕΣΙΣ ΟΜΟΛΟΓΙΑΣ

τῆς καθολικῆς πίστεως τοῦ μεγάλου Ἀθανασίου πατριάρχου Ἀλεξανδρείας παρὸς Ἰούλιον πάπαν.

1 Ὅστις[1] ἂν βούληται σωθῆναι, πρὸ πάντων χρὴ κρατεῖν τὴν καθολικὴν πίστιν· ἣν εἰ μὴ εἷς ἕκαστος σώαν καὶ ἀμώμητον τηρήσῃ, ἄνευ δισταγμοῦ, εἰς τὸν αἰῶνα ἀπολεῖται. 1. In impreß. excep. ὅστις βούλεται.

2 πίστις δὲ ἡ καθολικὴ αὕτη ἐστὶν, ἵνα ἕνα θεὸν ἐν τριάδι, καὶ τριάδα ἐν μονάδι σεβώμεθα· μήτε συγχέοντες τὰς ὑποστάσεις, μήτε τὴν οὐσίαν[2] διαχωρίζοντες.

3. Ἄλλη γάρ ἐστιν ἡ ὑπόστασις τοῦ πατρὸς, ἄλλη τοῦ υἱοῦ, ἄλλη τοῦ ἁγίου πνεύματος. 2. μερίζοντες.

4. Ἀλλὰ πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος μία ἐστὶν ἡ θεότης,[3] μία ἐστὶν ἡ δόξα, συναΐδιος ἡ μεγαλειότης. 3. ἴση ἡ δόξα.

5. Οἷος ὁ πατὴρ, τοιοῦτος ὁ υἱὸς, τοιοῦτο[4] τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. 4. καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα.

6. Ἄκτιστος ὁ πατὴρ, ἄκτιστος ὁ υἱὸς, ἄκτιστον καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

7. Ἀκατάληπτος ὁ πατὴρ, ἀκατάληπτος ὁ υἱός.

ἀκατάληπτον καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. αἰώνιος ὁ πατὴρ, αἰώνιος ὁ υἱός, αἰώνιον καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

8. Πλὴν οὐ τρεῖς αἰώνιοι, ἀλλ᾽ εἷς αἰώνιος· ὥσπερ [5] οὐδὲ τρεῖς ἄκτιστοι, οὐδὲ τρεῖς ἀκατάληπτοι, ἀλλ᾽ εἷς ἄκτιστος, καὶ εἷς ἀκατάληπτος.

5. In iisdē imp. exem. l. hæc trāsponuntur, οὐδὲ τρεῖς ἀκατάληπτοι, οὐδὲ τρεῖς ἄκτιστοι.

9. Ὁμοίως παντοδύναμος ὁ πατήρ, παντοδύναμος ὁ υἱός, παντοδύναμον καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. πλὴν οὐ τρεῖς παντοδύναμοι, ἀλλ᾽ εἷς παντοδύναμος.

10. Οὕτω θεὸς ὁ πατήρ, θεὸς ὁ υἱός, θεὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. πλὴν οὐ τρεῖς θεοί, ἀλλ᾽ εἷς θεός.

11. Ὁμοίως κύριος ὁ πατὴρ, κύριος ὁ υἱός, [6] κύριον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. πλὴν οὐ τρεῖς κύριοι ἀλλ᾽ εἷς ἐστὶ κύριος.

6. Κύριος.

12. Ὅτι ὡς [7] ἰδίαν μίαν ἕκαστον ὑπόστασιν θεὸν καὶ κύριον ὁμολογεῖν τῇ χριστιανικῇ ἀληθείᾳ βιαζόμεθα· οὕτω τρεῖς θεοὺς ἢ τρεῖς κυρίους λέγειν τῇ καθολικῇ εὐσεβείᾳ κωλυόμεθα.

7. Ἰδίᾳ.

13. Ὁ πατὴρ ἀπ᾽ οὐδενός ἐστι, * οὔτε μὴν

* ποιητός.

κτιστὸς οὐδὲ γεννητός.

14. Ὁ υἱὸς ἀπὸ τοῦ πατρὸς μόνου ἐστὶν, οὐ ποιητὸς οὐκ κτιστὸς, ἀλλὰ γεννητός.

15. Τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀπὸ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ, οὐ ποιητὸν, οὐ κτιστὸν, οὐδὲ γεννητὸν, ἀλλ' ἐκπορευτόν.

16. Εἷς οὖν ὁ πατὴρ, οὐ τρεῖς πατέρες, εἷς υἱὸς οὐ τρεῖς υἱοί. ἓν πνεῦμα ἅγιον, οὐ τρία πνεύματα ἅγια.

17. Καὶ ἐν ταύτῃ τῇ τριάδι οὐδὲν πρότερον, ἢ ὕστερον, οὐδὲν μεῖζον ἢ ἔλαττον, ἀλλὰ ὅλαι αἱ τρεῖς ὑποστάσεις καὶ συναΐδιαι εἰσὶν ἑαυταῖς καὶ ἴσαι.

18. Ὥστε κατὰ πάντα (καθὼς εἴρηται) καὶ τὴν μονάδα ἐν τριάδι καὶ τὴν τριάδα ἐν μονάδι σέβεσθαι δεῖ. Ὁ γοῦν βουλόμενος σωθῆναι, οὕτω περὶ τριάδος φρονείτω.

19. Πλὴν ἀναγκαῖόν ἐστι πρὸς αἰώνιον σωτηρίαν, ὅπως καὶ τὴν ἐνσάρκωσιν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ, ἔτι ὀρθῶς πιστεύσῃ.

20. Ἔστι γὰρ πίστις ὀρθὴ, ἵνα πιστεύωμεν καὶ ὁμολογῶμεν, ὅτι ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς χρι-

σὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ θεὸς καὶ ἄνθρωπός ἐστι.

21. Θεὸς ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς πρὸ αἰώνων γεννηθεὶς, καὶ ἄνθρωπος ἐκ τῆς οὐσίας τῆς μητρὸς ἐν τῷ αἰῶνι τεχθείς.

22. Τέλειος θεὸς καὶ τέλειος ἄνθρωπος, ἐκ ψυχῆς λογικῆς καὶ ἀνθρωπίνης σαρκὸς ὑφιστάμενος.

23. Ισος τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, ἐλάττων τοῦ πατρὸς κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα. ὃς εἰ καὶ θεὸς καὶ ἄνθρωπός ἐστιν, οὐ δύο ὅμως, ἀλλ᾽ εἷς ἐστὶ χριστός.

24. Εἷς δὲ οὐ τροπῇ τῆς θεότητος εἰς σάρκα, ἀλλὰ προσλήψει τῆς ἀνθρωπότητος εἰς θεόν.

25. Εἷς πάντως, οὐ συγχύσει τῆς οὐσίας, ἀλλ᾽ ἑνότητι τῆς ὑποστάσεως.

26. Καὶ γὰρ ὡς ἡ ψυχὴ λογικὴ, καὶ ἡ σὰρξ εἷς ἐστιν ἄνθρωπος, οὕτω καὶ ὁ θεάνθρωπος, εἷς ἐστὶ χριστός.

27. Ος ἔπαθε διὰ τὴν σωτηρίαν ἡμῶν, καὶ κατῆλθεν εἰς ᾅδου, ἀνέστη ἐν τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐκ τῶν νεκρῶν.

28. ἀνῆλθεν

28. ἀνῆλθεν εἰς τοὺς οὐρανούς, κάθηται ἐκ δεξιῶν τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς παντοκράτορος, ὅθεν ἥξει κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς.

29. Οὗ τῇ παρουσίᾳ πάντες οἱ ἄνθρωποι ἀναστήσονται μετὰ τῶν σωμάτων αὐτῶν, καὶ ἀποδώσουσι ἐξ ἰδίων ἔργων τὴν ἀπολογίαν.

30. καὶ οἱ τὰ ἀγαθὰ πράξαντες πορεύσονται εἰς ζωὴν αἰώνιον, οἱ δὲ φαῦλα, εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον.

31. Αὕτη ἐστὶν ἡ καθολικὴ πίστις, ἣν ἐὰν μή τις πιστῶς πιστεύσῃ σωθῆναι οὐ δυνήσεται.

[1] SYMBOLVM SANCTI ATHANASII.

QVicunque vult ſaluus eſſe, ante omnia opus eſt vt teneat [2] Catholicam [3] fidem.

[4] Quam niſi quiſque [a] integram inuiolatámque ſeruauerit, abſque dubio in æternum peribit. *a. ſaluam ſeu irreprehenſam.*

Fides autē Catholica hæc eſt, vt [5] vnū Deum in trinitate & trinitatem in vnitate veneremur. τριὰς ἢ μονάς.

[6] Neque confundentes perſonas, ne- ὑποστάσεις.

b. οὐσίαν. que *b* substantiam separantes.

[7] Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti.

Sed Patris & Filij & Spiritus sancti,[8] vna est diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas.

[9] Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus.

c. ἄκτιστος. [10] *c* Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus.

d. ἀκατάληπτος, incomprehensibilis. [10] *d* Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus.

[11] AEternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus

Et tamen non tres æterni, sed vnus æternus.

Sicut non tres increati, nec tres immensi, sed vnus increatus & vnus immensus.

e. παντοδύναμος. Similiter *e* omnipotens [12] Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus.

Et [13] tamen non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens.

Ita [15] Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres dij, sed vnus est Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus.

Et [14] tamen non tres Domini, sed vnus est Dominus.

[16] Quia sicut *f* sigillatim vnamquamque personam Deum & Dominum cõfiteri Christiana veritate compellimur: [17] ita tres Deos aut Dominos dicere Catholica religione prohibemur.

f. seu ꝓpriè

[18] Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus.

[19] Filius à Patre solo est, [20] non factus nec creatus, sed [21] genitus.

[22] Spiritus sanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed [23] *g* procedens.

g. ἐκπορευτόν.

[24] Vnus ergo Pater non tres Patres, vnus Filius non tres Filij, [25] vnus Spiritus sanctus non tres Spiritus sancti.

[26] Et in hac trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus: [27] Sed *h* totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales.

h. σῶαι, saluæ, integræ.

[28] Ita vt per omnia, sicut iam dictum est, & vnitas in trinitate: & trinitas in vnitate *i* veneranda sit.

i. colenda.

Qui vult ergo saluus esse, ita de Trinitate *k* sentiat.

k. sapiat.

SEd neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, vt incarnationem quoque Domini noſtri Ieſu Chriſti fideliter credat.

Eſt ergo fides recta, vt credamus & confiteamur, [29] quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei Filius Deus & homo eſt.

l. οὐσίας.

[30] Deus eſt ex *l* ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus, & [31] homo eſt ex ſubſtantia matris in ſæculo natus.

m. ὑφιστάμενος constitutus.

[32] Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali & carne humana *m* ſubſiſtens.

AEqualis Patri ſecundum diuinitatẽ, [33] minor Patre ſecundum humanitatem.

Qui licet Deus ſit & homo, [34] nõ duo tamen, ſed vnus eſt Chriſtus.

[35] Vnus autem, non conuerſione diuinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum.

n. ὑποστάσεως.

[36] Vnus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed vnitate *n* perſonæ.

o. ὁ θεάνθρωπος vno vocabulo.

[37] Nam ſicut anima rationalis & caro vnus eſt homo: ita *o* Deus & homo vnus eſt Chriſtus.

Qui passus est pro salute nostra, [38] descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.

[39] Ascendit ad Cælos, [40] sedet ad dexteram Dei *p* Patris omnipotentis: [41] inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

Ad cuius aduentum omnes homines [42] resurgere habēt cum corporibus suis, & [43] reddituri sunt de factis ꝓpriis *q* rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in [44] vitam æternam, qui verò mala in ignem [45] æternum.

[46] Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter *r* firmitérque crediderit, saluus esse non poterit.

p. καὶ πατρὸς παντοκράτορος, *et Patris omnitenentis, in omnia habentis imperium.*

q. ἀπολογίας *defensionem.*

r. πιστῶς.

Superius Symbolum Athanasij verbis aliquantulum immutatis Constantinopolitani sic Græcè legunt & recitant.

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑ-
τρὸς ἡμῶν Ἀθανασίου τοῦ μεγάλου ὁμολογία τῆς καθολικῆς πίστεως, ἣν ἔδωκε πρὸς Ἰούλιον πάπαν Ῥώμης.

1. Τῷ θέλοντι σωθῆναι πρὸ πάντων, ἀνάγκη τὴν καθολικὴν πίστιν κατέχειν· ἣν εἰ μή τις ἀκεραίαν καὶ ἀπαράθραυστον συντηρήσειεν, ἀναμφιβόλως εἰς τὸν αἰῶνα ἀπολεῖται.

2. Αὕτη δέ ἐστιν ἡ καθολικὴ πίστις, ἕνα θεὸν ἐν τριάδι, καὶ τριάδα ἐν μονάδι σέβειν ἡμᾶς, μήτε τὰ πρόσωπα συγχέοντας, μήτε τὴν οὐσίαν διαιροῦντας.

3. Ἄλλο γάρ ἐστι τὸ τοῦ πατρὸς πρόσωπον, ἄλλο τὸ τοῦ υἱοῦ, ἄλλο τὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος. ἀλλὰ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος μία ἐστὶ θεότης, ἴση δόξα, συναΐδιος μεγαλειότης.

5. Οἷος ὁ πατὴρ τοιοῦτος ὁ υἱὸς, τοιοῦτον τὸ ἅγιον πνεῦμα.

6. ἄκτιστος ὁ πατὴρ, ἄκτιστος ὁ υἱὸς, ἄκτι-

στον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

7. Ἄπειρος ὁ πατὴρ, ἄπειρος ὁ υἱὸς, ἄπειρον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

8. Οὐ μὴν τρεῖς ἀΐδιοι, ἀλλ' εἷς ἀΐδιος· οὕτως οὐδὲ τρεῖς ἄκτιστοι, οὔτε τρεῖς ἄπειροι, ἀλλ' εἷς ἄκτιστος, εἷς ἄπειρος.

9. Ὁμοίως παντοδύναμος ὁ πατὴρ, παντοδύναμος ὁ υἱὸς, παντοδύναμον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. οὐ μὴν τρεῖς παντοδύναμοι, ἀλλ' εἷς παντοδύναμος.

10. Οὕτω καὶ θεὸς ὁ πατὴρ, θεὸς ὁ υἱὸς, θεὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, οὐ μὴν τρεῖς θεοὶ, ἀλλ' εἷς θεός.

11. Οὕτω κύριος ὁ πατὴρ, κύριος ὁ υἱὸς, κύριος τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, οὐ μὴν τρεῖς κύριοι, ἀλλ' εἷς κύριος.

12. Ἐπεὶ καθὼς ἕκαστον τῶν προσώπων θεὸν ἢ κύριον ὁμολογεῖν ὑπὸ τῆς χριστιανικῆς ἀληθείας ἀναγκαζόμεθα, οὕτω καὶ τρεῖς θεοὺς ἢ κυρίους λέγειν ἡ καθολικὴ θρησκεία κωλύει.

13. Ὁ πατὴρ ἀπ' οὐδενός ἐστιν, οὔτε πεποίηται, οὔτε ἔκτισται, οὔτε γεγέννηται.

14. Ὁ υἱὸς ἀπὸ τοῦ πατρὸς μόνου ἐστὶν, οὐ ποιηθεὶς, οὐ κτισθεὶς, ἀλλὰ γεννηθείς.

15. Τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀπὸ πατρὸς καὶ υἱοῦ, οὐ ποιητὸν, οὐ κτιστὸν, οὐ γεννητὸν, ἀλλ' ἐκπορευόμενον.

16. Εἷς τοίνυν πατὴρ, οὐ τρεῖς πατέρες. εἷς υἱὸς οὐ τρεῖς υἱοί· ἓν πνεῦμα ἅγιον, οὐ τρία πνεύματα ἅγια.

17. Ἀλλ' ἐν ταύτῃ τῇ τριάδι οὐδὲν πρότερον ἢ ὕστερον. οὐδὲν μεῖζον ἢ ἔλαττον, ἀλλὰ τὰ τρία πρόσωπα συναΐδια ἑαυτοῖς ἐστὶ, καὶ διὰ πάντων ἴσα.

18. Οὕτως ὡς κατὰ πάντα, καθὼς ἤδη εἴπομεν, καὶ τὴν τριάδα ἐν τῇ μονάδι, καὶ τὴν μονάδα ἐν τῇ τριάδι σέβειν ἡμᾶς.

Ὁ βουλόμενος τοίνυν σωθῆναι, οὕτω περὶ τῆς τριάδος φρονείτω.

19. Ἀναγκαῖον δὲ πρὸς τὴν αἰώνιον σωτηρίαν, καὶ τὴν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ σάρκωσιν πιστῶς κατέχειν.

20. Ἔστι τοίνυν βεβαία πίστις, ἵνα πιστεύωμεν, καὶ ὁμολογῶμεν τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν

χριστὸς τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, θεὸν τε ἄνθρωπον εἶ[ναι].
21. Θεὸν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς πρὸ τῶν αἰώνων γεννηθέντα, καὶ ἄνθρωπον ἐκ τῆς οὐσίας τῆς μητρὸς, ἐν χρόνῳ γεννηθέντα.
22. Τέλειον θεὸν καὶ τέλειον ἄνθρωπον, ἐκ ψυχῆς λογικῆς καὶ ἀνθρωπίνης σαρκὸς ὑφεστῶτα· ἴσον τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, ἐλάττονα τοῦ πατρὸς κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα.
23. Ος εἰ καὶ θεός ἐστι καὶ ἄνθρωπος, οὐ μὴν δύο, ἀλλ' εἷς ἐστὶ χριστός.
24. Εἷς δὲ οὐ τῆς θεότητος μεταβληθείσης εἰς σάρκα, ἀλλὰ τῆς ἀνθρωπότητος ἀπὸ τοῦ θεοῦ προσληφθείσης.
25. Εἷς πάντελῶς οὐ φυρμῷ τῆς οὐσίας, ἀλλὰ τῇ τοῦ προσώπου ἑνότητι.
26. Ωσπερ γὰρ ἡ λογικὴ ψυχὴ καὶ ἡ σὰρξ εἷς ἐστὶν ἄνθρωπος· οὕτω καὶ ὁ θεὸς καὶ ἄνθρωπος εἷς ἐστὶ χριστός.
27. Παθὼν ὑπὲρ τῆς σωτηρίας ἡμῶν, κατελθὼν εἰς τὸν ᾅδην, τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐκ τῶν νεκρῶν ἀνάστας.
28. Καὶ ἀνελθὼν εἰς τοὺς οὐρανοὺς, καὶ κα-

θήμενος ἐκ δεξιῶν τοῦ παντοδυνάμου θεοῦ καὶ πατρὸς, ἐκεῖθεν ἥξων κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς.

29. Οὗ πρὸς τὴν παρουσίαν πάντες οἱ ἄνθρωποι ἀναστήσονται μετὰ τῶν ἰδίων σωμάτων, ἀποδώσοντες λόγον περὶ τῶν ἔργων αὐτῶν.

30. οἱ μὲν οὖν ἀγαθὰ πράξαντες, εἰς τὴν αἰώνιον ἀπελεύσονται ζωήν· οἱ δὲ τὰ φαῦλα, εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον.

31. Αὕτη ἐστὶν ἡ καθολικὴ πίστις· ἣν εἰ μή τις πιστῶς καὶ βεβαίως πιστεύσει, οὐχ οἷός τε ἔσται σωθῆναι.

SYMBOLVM ATHANASII COMMENTARIIS huic æuo accommodatis illuſtratum.

1 Symbolum. *De nomine Symboli nihil videtur dicendum, quàm quod ſcripſit Pachymeres Dionyſii interpres in tertium caput Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, ſignificare* τὸν ἔρανον *collectam,* καὶ τὸ διδόμενον εἰς δεῖπνον, *& id quod confertur pro cœna, vt apud Terentium in Andria, Symbolũ dedit, Et, Te ad Symbolum venire vnctum, & hic cura & ſumptu abſumitur, non pudet? id eſt, ad cœnam, ad quam paran-*

dam multi contulerunt. Inde enim ἀσύμβολος dicebatur, qui gratis cœnam sumpserat. Hac ex significatione plerique breuem illam fidei articulorum enumerationem Symbolum appellatam censuerunt, quòd quisque Apostolorum aliquid in commune ad regulam, tanquam mensam credentibus instruendam, contulisset. Quoniam autem sonat etiam signum ac quasi tesserã, maluerunt alij ducta à tessera militari similitudine, quæ militibus, vt se agnoscant mutuo, datur, symbolum fidei vocari, quasi indicium & signum, per quod milites Christi à falsis fratribus Sathanæ merentibus discernantur. Interea verò putauerim, vt aliquid de meo afferam, quadrare huc tertiam quandam acceptionem, cuius gratia Aristoteles pulchrè dixit Elementa, quæ inter se qualitate vna communicant συμβολίζειν. Solebant Græci in pactis conuentis vti quibusdam tesseris, quæ loco tabularum, syngrapharúmque essent ex quibus ius diceretur, quæ & vocarentur Symbola. Ergò summa fidei compendio verborum concepta siue ab Apostolis, siue ab Ecclesia, verè existit Symbolum, quòd ea in iudicium Ecclesiæ relata declaret penes eum religionis veritatem esse, qui ipsam in suæ fidei probationem confert. Nam certè penes illum consistit religionis veritas, cui bene credulitate conuenit cum doctrina Apostolica, cuius Symbolum est consensionis conuentíque nota certissima. Talia autem Vuicelius in suo Euchologio duodecim pro temporibus aduersum hæreses varias edita commemorat. Quanquã autem his multo plura accẽseri possunt ex Epiphanij Anchorato, Hieronymi confessionibus, Ignatij Epistolis, Iustini martyris libro de Fide, aliis denique veterum monumentis: tamen quatuor

Aug. i sym. & Serm. 181. de Temp.

Ruff. in symbolo.

Tertia symboli acceptio

Arist. 1. de ortu.

duntaxat pro authenticis habet Ecclesia. *Primum* Apostolorũ, *quod conditum ab* Apostolis *itémque receptum fuisse sua tempestate testantur* Clemens Romanus *in* Epistola *ad* Iacobum *Episcopum* Hierosolymorum, Tertullianus *contra* Praxeam, *& in libro de velandis virginibus*, Irenæus *lib. 3. contra hæreses cap. 4. & lib. 1. cap. 2.* Cyprianus *aut potius* Ruffinus *in commentariis in symbolum, quæ extant inter* Hieronymi *opera*, Hieronymus *ipse in quadam* Epistola *ad* Pammachium. Ambros. *epist. 81.* Origenes *in proœmio librorum de principiis*, Aug *sermone 2.* Dominicæ *in* Ramis *palmarum, & in vigilia* Pentecostes *ad* Catechumenos, Leo Magnus *epist. 13. ad* Pulcheriam Augustam, Isidorus Hispalensis *Etymol. lib. 6. cap. vlt. & de* Eccles. *officiis lib. 2. cap. 23.* Nec *dubito multò plures extare, qui idem tradant, sed hos interim enumerare tam diligenter libuit, vt indicarem præfractam temeritatem* Erasmi *&* Caluini *qui primi ausi sunt vertere in quæstionem, num* Apostoli *verè essent authores symboli, quod circunfertur ipsorum nomine, ne, vt interpretor, arguerentur discedere à decretis* Apostolorum, *sicubi deprehẽderentur à* Symbolo *deerrare.* Quod *certè contigit* Caluinitis, *qui articulum de descensu Christi ad inferos non putant esse γνήσιον.* Sequitur Nicenum. Sic *autem appellatur, quod* Niceni Patres *eius primam & præcipuam partem, vsque ad*, Et in Spiritum sanctum, *conflarint, vt* Ruffinus *docet in historia* Ecclesiastica. *Sequentia enim*, Dominum & viuificantem qui ex Patre procedit, *ad ipsum vsque*, Amen, *à* Patribus *in* Constantinopolitano *addita sunt, vt post* Isidorum *significat* Gratianus *distinctione decima quinta.* Par-

Hiero. to. 2

Aug. serm. 115. & 121. tom. 10.

Erasmus in præf. Paraphr. *i* Matt.

Ruff. lib. 1. hist. Eccl. *cap. 6.*

ticula autem, Filióque,*à Latinis consita est,cum hoc capite,* Qui ex Patre procedit,*vt apparet ex* Con*stantinopolitani concilij actis, & ὡρολογίῳ* Græco*rum, quod ne Petrus quidem Lombardus negat.* Lib. I. sent. dist. II. Hi*storici illam insitionem factam dictitant in Lateranensi tertio, sed si non fallit Alexius Aristinus diaconus Constantinopolitanus in fragmentis, quæ penes me habeo ex ipsius libro qui inscribitur* συνοπτικὸς τῶν ὅλων κανόνων τῶν ἐκτεθέντων παρὰ τῶν οἰκουμενικῶν ἁγίων ἐξ συνόδων, καὶ τῶν μεταξὺ τῶν αὐτῶν τοπικῶν, *ea fuit multo antiquior.* Nempe *in Romano concilio, quod Damasus pontifex sub tempora Constantinopolitani primi collegit aduersus* τῆς ὑποταγείας αἵρεσιν, *vt ipse loquitur, sed de eo aliàs, aduersus* Bezam, *qui in nouo* Te*stamento apud* Henricum stephanum *an.* 1565 *typis excusô hanc particulam reposuit inter eas, quæ à* synodo Constãtinopolitana Niceno symbolo *adiectæ sunt, magna profectò antiquitatis ignoratione.* Ter*tium fuit* Athana*sii, de cuius authoritate in tertij huius libri ingressu fusè disseruimus.* Hoc quidem non*nulli olim* Anastasio Patriarchæ Antiocheno *viro sanctißimo iuxtà ac eruditißimo, cuius opus* περὶ πίστεως *in* Bibliotheca regia *saluus est, tribuerunt.* sed hi *videntur delusi vicinitate non solùm nominis, verùm & fidei, quæ in vtroque, vt* Historiæ Ecclesiasticæ *produnt, eximia micuit.* In eo autem tractat Athana*sius, quæ de* S. Trinitate *& beata incarnatione nobis sentiẽda sunt, quòd sua tempestate præcipuè cum hæresibus hæc duo mysteria reuellentibus* Ecclesia *conflictaretur.* Quartum *tribuitur* D. Gregorio Magno, *ac in plerisque exemplaribus principio* Registri *ipsius ascribitur.* Arg. symboli Athanasiani.

2 Ante omnia vt teneat Catholicam fidem.

Vnde Catholicæ nomen.

Quod ad Catholicæ titulum attinet puto eam vocem ab Apostolis inuentam & in ipsorum symbolum relatam esse primò, vt eam opponerẽt Iudaïcæ fidei atque religioni, quæ tantùm in Israële minima orbis portione recepta erat. Deinde vt perfringerent Iudæorum obduratam opinionem de non recipiendis in societatem & communionem gentibus, cuius causa etiam ipsos concilium inire, Act. 15. oportuit. Ecclesia ergò & fides erat olim Iudaïca, certæque nationi addicta, post Christum Catholica & vniuersalis effecta est, id est, vt Optatus & Augustinus aduersus Donatistas contendunt, qui eam meridianæ suæ plagæ alligare conabantur, vbique & toto orbe diffusa. Quod aliquantò prius Athanasius noster docuerat in quæstionibus ad Antiochum principem. Vbi enim tradidisset Ecclesiam nomen sortiri à vocatione & electione domini, Catholica autem, inquit, vocatur, quòd per totum mundum diffusa sit. Nempe, vt Origines scripsit, non est vna gens, quemadmodum Assyrij, Scythæ, Chaldæi, quippe quæ coalescat ex omnibus gentibus, nec speciatim sit gẽs aliqua, sed ipsemet orbis & οἰκουμένην (ait Hieronym.) ex vniuersitate gentium constans. Vnde Augustinus rectè culpat Donatistas, qui nomen Catholicæ non vniuersitate gentium, sed plenitudine sacramẽtorum definirent. Cùm igitur locus Ecclesiæ non iam sit Iudæa, sed totus quàm amplè patet orbis, tam rectè ei nomen istud conuenit, quàm quod Patres ad idem declarandum vsurpauerunt. Ecclesiam appellauerunt οἰκουμενικήν, itémque concilium Oecumenicum, quia cùm est indictum, vniuersi orbis pastoribus interesse, sententiam etiam dicere liceat. In eo quippe de-

Opt. lib. 2. cōtra Par. Aug. in collat. Cart. & epist. 48. & 163. Orig. in 10. Rom. Athan. q. 71.

Aug. ep. 48 & 49. & in breuiculo.

bent & solẽt tractari, quæ ad cunctam Christiani nominis rempublicam pertinent, quæ omnes Christianos ordines æqualiter attingunt. Respõdet prætereà Communioni sanctorum, quæ etiam cõmemoratur in Symbolo Apostolico, túmque vna ex parte opponitur singularitati Iudæorum, de qua satis dictum est, altera autem dispersioni gẽtium, in quam profecturum Christum Iudæi criminabantur, nec planè quidem absurdè, cùm certè dominus Filios Dei, qui dispersi erant per orbem non tam locis, quàm religione, quàm fide, quàm moribus, congregaturus foret in vnum, sicuti alibi prodidit Ioannes, hoc est, in vnam sententiam, in vnam pietatem, in vnam fidem, in vnum cultum, in vnam denique Ecclesiam, in qua rerum omnium ad salutem pertinẽtium summa est communio, summa consensio. Nam sanè dispersio gẽtium propriè respicit opinionum & sententiarum diuersitatem, quæ quãta extaret in gentili populo apparet ex hac Tertulliani oratione, vt interim discrepantes sententias de summo bono, de finibus bonorum & malorum, de immortalitate animorum prætéream. Vnicuique, inquit, prouinciæ & ciuitati suus Deus est, vt Syriæ Astartes, vt Arabiæ Disares, vt Noricis Belenus, vt Africæ Cælestis, vt Mauritaniæ Reguli sui: Romanas, vt opinor prouincias edidi, nec tamen Romanos deos eorum, quia Romæ non magis coluntur, quàm qui per ipsam Italiam municipali consecratione censentur, Casionẽsium Deluentinus, Narnensium Visidiarius, Aesculanorum Ancharia, Volcinensium Nortia, Ocriculanorum Valentia, Sutrinorum Nortia, Faliscorum in honore patris, Curris. Quod & repetiuit Prudentius lib. 2 contra Symmachum. Athenagoras autẽ in Apologia ad An-

Catholica & cõmunio sanctorum duabus rebus opponitur.

Ioan. 7.

Ioan. 11.

Tertul. in Apologetico.

toninos auxit, ostẽdens Iliensibus Hectorem, Paridem, Teucrósque Heroas *esse sacratißimos, qui tamẽ finitimis Græcis essent execratißimi: ecõtrà Achillem dea genitum, Alexandrum etiam ipsum ab ipsis referri inter homines perditißimos, qui tamen Græcis in suprema haberẽtur veneratione, diuiniśq; colerentur honoribus & sacrificiis. sic Galli olim adorabamus Teutaten, Hesũm siue Heum, Taranim siue Taramin, Ogmium & similia portenta, quorum sacra reliquus orbis non modò nesciebat, sed & execrabatur, legibúsque per Romanos Impp. Augustum, Claudium alióśque plures damnabat. Ita de gentium confusione vsurpari poterat, quod de Iudaïco populo sese idolis prostituente olim concionabatur propheta, Pro numero vrbiũ tuarum dij tui Iuda. In Ecclesia verò vnus Deus, vna fides, vnum baptisma, vna spes vocationis nostræ, vnus dominus, præcipui ritus iidem, quorum tamen diuersitas non efficeret, quin idem sentiremus, idem saperemus omnes. Itaque in ipsa locum habet, quod Vincentius Lyrinensis in libello pro Catholicæ fidei antiquitate & veritate demonstrat, Catholicam esse & dici ratione primùm loci, deinde temporis, postremò hominum, quibus quacunque tandem conditione extiterint, semper eius gremium patuit, testificante Paulo apud Deum neque esse dominum neque seruum, neque Iudæum, neque Græcum, neque masculum, neque fœminam. Tria enim esse necessaria antequàm aliquid*

Dij veterũ Gallorum.

Suetonius.

Ephes. 4.

Gal. 2.

Tres notæ fidei catholicæ.

» *haberi debeat Catholicum, In ipsa, ait, Catholica Ec-*
» *clesia magnopere curandum est, vt id teneamus quod*
» vbique, quod semper, quod ab omnibus credi-
» tum est, *hoc etenim est verè propriéque* Catholicum.
» *sed exemplis res sic diiudicabitur. Ariani deprehen-*

duntur

duntur non Catholici, quia etsi eorum hæresis suum virus per totum orbem diffuderit, ac vbique, vt hodie Mahometana lues, viguerit, id tamen neque fuit sempiternum, neque omnibus omnium temporum fidelibus probatum. Qui enim Arij ætatem antecesserunt, longe aliam fidem commendauerunt posteris, vt ex ipsorum scriptis iudicatum est, interim vt omittam post trecentos annos nouas hæreses ex abysso caput sustulisse, quæ istam penitus de Christianorum animis deleuerint. Contrà Donatistæ, quoniam extra vnum terræ angulũ suum dogma minimè spargere potuerunt, in collatione Carthaginensi hæresis conuicti sunt. Patres vt damnationem iustam comprobarent, orsi sunt à Genesi, vbi promissio facta est Abrahæ de infinito semine, déque benedicendis cunctis gentibus per semen ipsius, qui est Christus. Gen.22. *succenturiarunt prophetarum oracula de vocatione gẽtium & futura Ecclesiæ amplitudine, adiecerũt Christi prædictiones & iussa de prædicando vniuersis gentibus Euãgelio, denique deduxerunt in rem præsentem Apostolos diuiso orbe sese per mundum ita disseminasse, vt successione non interrupta edi adhuc posset Ecclesiarum matricum census, ac sic intelligi Deum id, quod promiserat, impleuisse atque reddidisse. Imò verò, quod mirãdum magis est, & annotatũ reperitur à Chrysostomo, dum interpretatur hæc verba, Prædicabitur Euangelium hoc regni in vniuerso orbe in testimonium, atque tum erit cõsummatio, intra viginti aut triginta annos fidei præconium vbique ferè auditum fuerat. Quod etiam significare videtur Paulus ad Romanos scribens iam diuulgatum fuisse vbique Euangelium, Romanorúmque fidem annũtiari per vniuersum orbem. Et ad Co-*

Matth.vlt.
Chrys. in Mat.24.
Rom.10.
Rom.1.
Col.1.

lossenses, in veritate, inquit, Euangelij, quod prædicatum in vniuersó orbe fructificat, deinde sub capitis extremum. Euangelium, quod prædicatum est apud omnem creaturam, quæ sub cælo est. Nam si vnus Paulus tantum perfecit, vt à Hierosolymis vsque ad Illyricum circuniectas regiones omnes Euangelio impleuerit, transiturus per Romanos in Hispaniā, quòd tam cæteris peragrasset, quid alios Apostolos Apostolicósque viros existimandum est peregisse? Bartholomæus sese intulit in remotissimos Indos, Thomas tetendit in Parthos, Matthæus intimos penetrauit Aethiopas, Andreas & Philippus Scythas prædicatione molliuerūt, Ioannes Asiam diuino sermone correxit, Petrus Cappadociam atque Galatiam, Bithyniā pariter & Pontum prouinciásque confines dum Iudæis prædicat, circuit, postremò Romam illustraturus accessit. Iudas in Mesopotamia ac Ponti interioribus Euangelizans indomitas gentes fidei subiugauit. Matthias, antequam passurus in Iudæam remigraret, in Macedoniā se contulit. Non commemorabo Barnabam, Silam, Marcum, Lucam, & quingentos illos fratres, quorum Paulus meminit, infinitósq; alios orbis complures nationes sua prædicatione ad veram religionem conuertisse, orbis vniuersas partes diuisim, quod de vno Alexādro Magno elegāter scribit, Hieronymus non tam bellis quàm victoriis percurrisse, in orbe innumerabiles populos Christo perdomuisse. Sed addam, quod scribit Ambrosius ibi adfuisse Euangelij famam, vbi defuit persona prædicantis, quemadmodum admiranda opera, quæ Deus in Ægypto patrarat famâ fuerant cognita Chananeis in Hierico, vt quidē Raab apud exploratores, quos Iosue miserat, testificata est, & sponsa confirmat

Rom. 15.

Ex Eucherio Lugd. Episcopo & aliis diuisio Apostolorum.

1. Cor. 15.

Iosu. 1.

In Canticis, Oleum effusum nomen tuum, curremus ad odorem vnguentorum tuorum. Neque enim fragrantissimum vnguentũ latius odorem suum spargit, quàm Verbi Christi odor permanauit. Quod vt commodius celeriúsque fieret, Deus, vti per Esaiam promiserat, imperiorum omnia impedimẽta sustulit, & vnum longè maximum conflauit, quò de gente in gentem tutus esset transitus, neque vt peregrini & exploratores è finibus alienis Apostoli Apostolicíve exigerentur. Quod autem Augustinus asserit alicubi sua ætate remotas aliquas nationes fuisse, licet paucissimas, quibus nondum esset Euangelizatum, quódque Ecclesiasticæ historiæ quasdam nationes recèns ad Euangeliũ fuisse deductas scribunt, intelligendum videtur de communi ciuitatum & regnorum confessione, déque magistratuum & principum publico instituto. Porrò Catholicæ nomen non est accipiendum, ex quo sectæ multiplicatæ auctæque sunt, sed ab earum ortu, ante quem nihil tale communiter asseuerabatur. Hanc enim totius orbis Christiani communionem hæresis lacerat atq; disrumpit, vt proinde nomen electionis acceperit, quòd per eam hæreticus se separet à communi fidelium sententia. Vt enim recta fides Catholica vocatur, id est, vniuersa & communis, iuxta illud Pauli, κατὰ κοινὴν πίστιν, sic praua dicitur particularis & ab vnitate scissa, etiam si nulla vnquã extiterit tam impia, tam portentosa, quæ Catholici titulo se ornare non tentauerit. Quem vt Donatistæ in Africa obtinerent, Deus bone, quos labores non susceperunt! Primùm audiẽtes illam dici Catholicam, quæ se per vniuersitatem terrarum diffunderet, ausi sunt dicere suam vbique terrarum esse communionem. Deinde cùm formatas epistolas,

Cant. 1.
Es. 11.
Aug. in lib. de nat. & grat. cap. 2. & ep. 80.
Hæresis Catholicæ opponitur.
Tit. 1.
Lactant.

quo vellēt, inquit Augustinus ep.163. dare nō possent, Catholicum nomen non ex vniuersitate gentium, sed ex plenitudine sacramentorum definiendum contenderunt, teste eodem Augustino Epistola 48. & 49. Vt autem illud Catholicis eriperent, non quidem ausi sunt dicere falsa esse vaticinia prophetarum de futura Ecclesiæ amplitudine, sed responderunt ea nondum esse impleta, sed vide quid respondeat Augustinus in libr. de vnitate cap. 9. Deinde Cresconius Donatista clamabat Nostram non esse Catholicam, quia totus orbis ei nō communicaret. At excipit Augustinus libr.3 contra Cresconium cap. 63. & docet omnes gentes quæ Christiano nomine censerentur, dogmatibus inter se conuenire, reliquum autem mundum quotidie verti in nomen Christianum, quod Catholicis communicaret, sicque Ecclesiam ad reliqua occupanda quotidie diffundi. Postremò Donatistæ vociferabantur Catholicæ vocem humanum esse figmentum, vt Aug. tractat lib.2. contra Gaudētium, sed facile conuicti sunt Symboli Apostolici authoritate, Credo Ecclesiam Catholicam. Reliqua pete ex collatione Carthaginensi. Hæc autem in pauca libuit restringere, vt quisque melius apud se iudicaret, penes quos sit vera Ecclesia Catholica, nósne, quibuscum vniuerso orbi fide & doctrinâ conuenit, quantumuis à Romana Ecclesia multi schismate se præsciderint, an Aduersarios, qui homines heri nati, nec ante 40. annos vspiam nominati, ne sibi quidem quotidie in summis fidei capitibus consentiūt.

Fides habitus, quo creditur. Ioan.5.

3 Fidem. *Fides alio modo hîc sumitur, quàm cùm definitur habitus à deo inspiratus, quo credimus reuelatis. Eo enim sensu virtus est illa Theologa, quæ, Deo donante, (opus enim Dei, vt credatis, inquit apud*

Ioannem Dominus, & Paulus, Donum Dei est, ne quis glorietur) animis nostris inhærescit, de qua debet intelligi illud Pauli, Fides est hypostasis rerum, quæ sperantur, ἔλεγχος & certitudo rerum quæ non cernuntur. Hîc verò significat id, quod creditur, nempe rem fidei subiectam. Quo sensu tradebat Paulus vnũ esse Dominum, vnam fidem, vnum baptisma, quoniam idem iubemur omnes credere. Eadem diuersitas cernitur in vocabulo spei. Spes enim modo est id, quo speratur, ac sic ferè sumitur apud Paulum & reliquos cùm loquuntur de certa expectatione vitæ æternæ, quæ nobis à Deo promissa est. Modò id ipsum, quod speratur, vt quando ad Colossenses Paulus ait spem fidelium positam in cælis, hoc est, rem quæ speratur, siue beatitudinem, ad quam anhelamus non esse in hoc mundo, &c.

Phil.5.

Fides quæ creditur.

Eph.4.

Col.1.

4 Quam nisi quisque integram & inuiolatam seruauerit. *Hinc disce, quanto in periculo versentur, qui vel in vnum duntaxat articulum fidei impingunt. Nam Athanasius respondet planè idem, quod in argumento non multùm dißimili Iacobus Apostolus, Qui peccauerit in vno, factus est omium reus. Atque hinc Augustinus laudat edictum Imperatorum de vi corrigendis hæreticis, quòd eius occasione multi ad salutis viam, à qua antea deerrauerant, conuerterẽtur.* » *Quàm multi (inquit) nihil interesse credẽtes in* » *qua quisque parte (hæretica, an Catholica) Christia-* » *nus sit, ideo permanebant in parte Donati, quia ibi* » *nati erant, nec eos inde discedere, atque ad Catho-* » *licam transire nemo cogebat. Vnde paulò pòst com-* » *memorat gratiarũ actiones eorum, quos Deus ad vni-* » *tatem Ecclesiæ Imperatoriarum legum metu perdu-*

Iac.1.

De pæn. dist.2.§. item apponitur.

Aug. epist. 48. ad Vincentium Donatistã.

» xerat. Alij dicant, putabamus quidem nihil interesse,
» vbi fidem Christi teneremus, sed gratias Domino, qui
» nos à diuisione collegit, & hoc vni Deo congruere, vt
» in vnitate colatur, ostendit. Terribilis profectò est
» Cypriani martyris vox. Quòd verò eundem, quem
» & nos Deum Patrem, eundem Filium Christum, eun-
» dem spiritum sanctum nosse dicuntur, nec adiuuare
» potest tales. Lege totam epistolam, & intelliges exci-
dere ab vna fidei tabula, certißimum absolutißimúmque
esse naufragium, cum quo iacta sit salutis omnis
alea. Intereà Athanasius noster respicere mihi quidem
videtur ad suæ tempestatis Semiarianos, qui fidem Catholicam
Nicenámve non nisi quadam ex parte recipiebant.
Erant tum aliqui mediatores, principibus
Vrsatio & Valente Pannoniarum Episcopis, quorum
ductu semiariani decem conciliabula celebrarunt ad
eneruandam vocem Homusii, vt extat in quadam oratione
Athanasij de Synodis Arimini & Seleuciæ &
in Ruffini historia Ecclesiastica. Hinc viderentur sentire
cum Arianis, recipiebant quæcunque sanxerat
Nicena Synodus præter illã vocem. Fatebantur Christum
Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum
de Deo vero, quod etiam in Gaudentio Mediolanensi
Episcopo notat Hilarius. Alij vt in concilio Syrmiẽsi,
Christum esse ὁμοιούσιον prædicabant, abstinendum verò
decernebant voce ὁμοουσίου, vt nimis exacta, accurata,
curiosa. Atqui, inquit egregiè alicubi Athana-
» sius, Stannum est simile essentia ipsi argento, neque
» tamen est argentum. Hos omnes extra salutis arcam
merito collocat, quoniam extra Christi & Ecclesiæ
communionem salus non potest consistere, vt quidem
B. Petrus in suarum Catholicarum priore probat, &

Cyp. ep. ad Magnum filium.

Esaias contestatur his verbis, Gens & regnũ, quæ non seruierint tibi, peribunt.

5 Vt vnum Deum in Trinitate & Trinitatem in Vnitate. *Sic & alij locuti sunt. Iustinus Martyr in expositione fidei,* μονὰς γὰρ ἐν τριάδι νοεῖται, *&c. Vnitas in Trinitate intelligitur. Gregorius Nazanzenus sub finem orationis ad Heronem philosophum,* νῦν δὲ δίδασκε τοσοῦτον εἰδέναι μόνον μονάδα ἐν τριάδι, καὶ τριάδα ἐν μονάδι προσκυνουμένην παράδοξον ἔχουσαν καὶ τὴν διαίρεσιν καὶ τὴν ἕνωσιν. *Nũc verò doce te vsqueadeò scire solum vnitatẽ in Trinitate & Trinitatẽ in vnitate adorãdam esse, mirabilem habẽtem tum diuisionẽ, tum vnionem. Tertullianus contra Praxeam. Vnitatem in Trinitatem disponimus. Sed hæc locutio, imo verò locutionis intelligentia & comprehensio non caret difficultate, cùm præsertim videatur vel rerum confusionem, & quasi miscellam, vel contradictionem inducere. Primùm autem dicam de vocabulis, mox rem ipsam aliquantò interius penetrabo. Monadem hîc non intelligimus vnitatem quatenus habetur principium numerorum more Arithmetico, sed vnam essentiam, acceptione magis Physica. Triadem autem siue Trinitatem appellamus non trium vnitatem, vt somniauit Gentilis, sed ipsasmet tres personas. Ait igitur Athanasius, vt ad rem veniam, Trinitatem esse in vnitate, id est, in vna diuina essentia siue natura esse tres personas, & contrà, vnitatem esse in Trinitate, id est, in tribus personis, vnam extare diuinam essentiam, vt significetur tres quidem esse diuinas personas reipsa, propriéque distinctas, sed eas tamen esse eiusdem essentiæ non per collectionem quandam, sed per sinceram singularémq; vnius erga aliam communicationem. Et è conuerso*

Quid hîc Vnitas.

Quid Trinitas.

eam essentiam in tribus pariter plenéque citra differentiam vllam reperiri. Hæc enim reciprocantur, & nihil aliud indicant, nisi tres res vnam esse essentiam, ac in eis tantam esse substantiæ vnitatem, támque singularem, vt æqualitatem omnino teneant. Nam quicquid de vna pronuntiaueris, de tribus verissimè potest & debet intelligi, exceptis vocabulis, quæ proprietatē & quasi formā siue characterē hypostaseon designāt, vt non magis sit illud in tribus, q̃ in singulis, neq; minus in singulis quā in tribus. Elegās occurrit exemplū Pampolitani, huícq; loco apprimè accommodatum. Si tres, inquit, homines immortales dixero, ego non in-
» telligo plus posse viuere simul tres, quàm singulos, nec
» minus singulos, quàm totos tres, vnde trium vna est
» immortalitas, vna perennitas. Sic si æqualiter sunt sa-
» pientes, non plus sapiunt simul, quàm singulatim, sed
» tanta est in vnoquoque viritim sapientia, quanta in
» vniuersis. Præclarè certè. Nam vti eorum omnium, quæ hoc in mundo inferiore mouentur vnum est tempus non modò specie, sed etiam numero, sic trium hypostaseon eadem, vna, par, communis, indifferens numero æternitas, sapientia, &c. Subtilior est Rabani Moguntini præsulis interpretatio in libro, qui inscribitur, Quomodo sit Trinitas in vnitate, & vnitas in Trinitate. Hanc enim sumit ex vna ac indiuidua triū personarum operatione. Mihi simplicius videtur id, quod dixi. Atque ita in hac locutione Trias est in Monade, præpositio, In, non significat aliquam rerum diuersitatem, ne essentia diuina consideretur extra personas, & ita quartum aliquid in simplicissima diuinitate inducens realem distinctionem constituatur inter personā & essentiā. Quā vim nō semper habere præ-

In transitiuè sumitur.

positionẽ, In, *similes formulæ arguũt, in quibus extrema satis est ratione distingui. Mẽs est in anima ratiocinãte. i. est anima ratiocinãs, Partes sunt in toto & totũ in partibus, hoc est, idẽ, quod partes & prætereà nihil. Sic tres personæ sunt in vnitate seu in vna essentia, hoc est, sunt vna essentia & nihil prætereà.* Ἐν ὑποστάσεσιν, *inquit* Damascenus, ἡ θεότης, ἢ (τὸ γὰρ ἀκριβέστερον εἰπεῖν) ὑποστάσεις ἡ θεότης. In *hypostasibus deitas est, aut, quod verius est, deitas est hypostases. Quod ad hũc modum à* Marsilio *scholastico declaratur. Pro hoc notandum, quòd hæc præpositio,* in, *aliquãdò sonat transitionem, & sic semper significatur diuersitas inter id, quod inest, & inter id cui inest, vt cùm dicimus, scientia est in animo, vel animus est in corpore, aliquando non. Sic esse in alio est esse illud, quo modo dicimus, Totum est in partibus, id est, partes simul sumptæ, Voluntas est in animo intelligente, id est, ipse animus. Quo præmisso capiendo* τὸ in *transitiuè, nihil est in essentia diuina tanquam in subiecto, vel tanquam in toto, seu etiam, vt in loco. Sic enim sumptum* in *denotat diuersitatem eius, quod inest, ab eo cui inest. sed quicquid est diuina essentia est idem, quod ipsa. Transitiuè loquendo nulla persona est in essentia diuina, quia persona non est diuersa ab essentia. Accipiendo autem* in *citra transitionem* Catholicus *debet cõcedere, in essentia diuina personarum* Trinitatem, *quia debet concedere, quòd* Essentia *est tres* Personæ. Huc *porrò quæstio pertinet,* Deus *est* Trinitas, *quam locutionem barbarã esse pronuntiauit suo. i. impio iure* Caluinus, *non satis assequens, quid in ipsa* Dei *nomen declararet. Simplicissimè autem dici potest denotare diuinam naturam, vt sit sensus,* Natura *diuina est* Trinitas, *siue tres personæ.*

Dam. libr. 1. de ortho. cap. 8.

Mars. lib. 1. sent. q. 6. art. 3.

Quid deus est Trinitas.

Totidẽ enim hypostasibus ad numerũ communicatur atq; impertitur. Nec tamen eos prorsus reiicio, *qui hoc nomẽ personaliter interpretãtur hãc in sentẽtiã,* Diuinæ personæ *sunt* Trinitas *ceu tres.* Fruãtur etiã, *qui probauerint,* Bonauenturæ *expositione, qui ad vtrunque significãdi modum referens hunc sensum efficit,* Deus *est* Trinitas, *id est, diuinitatis personæ sunt tres, modò intelligãt primam, quam attuli, explicationem videri omnium accommodatißimam, atque attingere altiùs quæ ad totum integrum caput de* Deo *pertinent, nempe vnitatem deitatis, cuius causa tres sunt vnus deus, & Trinitatem personarum, cuius gratia, vnus* Deus *est tres.*

6 Neque confundentes personas, neque substantiam separantes. *Personam superiore libro definiuimus rem intelligentem, quæ per se consistit. substantiam siue essentiam rei illius rationem atque naturam.* Has *descriptiones habe præ oculis, vt noscas priorem partem huius versiculi rectè* Sabelliũ *petere, cui eadem erat subsistentia* Patris Filij *&* Spiritus, *posteriorem* Arium *&* Trinitarios, *quibus vt tres personæ, ita tres essentiæ.* Confundere *autẽ personas est tres in vnã miscere & quasi redigere, quod nefas est ꝓpter generationẽ & ꝓceßionẽ, quæ res ita distinguũt, vt ꝑsona generãs nequeat esse persona genita, aut procedẽs nec è cõuerso. quidnam enim seipsum aut producit, aut potest producere?* Separare *verò est aliud & diuersum facere, quod cadere non potest in diuinã essentiã, cùm tres diuinæ hypostases, esse vnum & indifferens* Ambros. lib. 2. de fide c. 2. » *planè obtineant.* Hoc Ambrosius *docet dum ait.* » Pater *& Filius distinctionem habent, separationem non ha-* » *bent. i. diuersitatem, vt quæ præmiserat, ostẽdunt.* Non

est, inquit, diuersa nec singularis æqualitas, nec iuxta Arianos Patrem Filiúmque secernens, nec iuxta Sabellianos Patrem Filiúmque confundens. Eodem sensu verbum diuidendi Patres vsurpauerunt. Nam non confitentur personas esse diuisas, nisi admodum raró ac tū diuidere illis est discernere, secernere, distinguere, vt Hetteriano. Et quamquam (ait) indiuisibilis sit Deus diuidere tamen Trinitatem possumus. sic apud Theologos Græcos διαίρεσις interdum ad personas refertur & διάκρισιν notat. Nazanzenus, τελείας ἔχουσα καὶ τὴν διαίρεσιν καὶ τὴν ἕνωσιν. Quoniam autem exemplaria Græca legunt διαχωρίζειν aut μερίζειν, hunc locum aliter possumus interpretari. Substantia non est distrahenda vel dispertienda, quasi quadam participatione partitionéve personis tributa sit, aut etiam extra vnius essentiam alterius substantia posita sit, cùm præsertim Pater se suámq; essentiam plene non ex parte, intra se non extra Filio Spirituíque communicauerit. Hetterian. lib. 2. de proces. spiritus cap. 1. Ad Heronē

7 Alia enim est persona Patris, alia Filii. Differunt enim hypostases numero, non quidem substantiali, vt impius Gentilis garrit, sed personali. Nam nisi personali distinctione, quæ eadem realis est & numerabilis, tres hypostases discernerentur, distinctio ipsarum tantùm esset imaginaria. Accidentariā enim & essentialem non recipit diuinitas: Itaque Damascenus & Nicolaus Methonis Episcopus rectè concedunt Alium, Alium, & Alium hîc conuenire, Aliud Aliud, & Aliud non item.

8 Vna est diuinitas. Vna diuina Essentia non tantùm specie, vt Trinitarij contendunt, sed & numero, ad quod sacramētum adumbrandū à patribus excogitatum est vocabulum ὁμοούσιος. Nam si eo vnitatem ὁμοούσιον vnā numero essentiā significat.

speciei solùm designare voluissent, quid oportebat tanta anxietate illud comminisci cùm sine hoc ab omni æuo Philosophi res eiusdem speciei defendissent? Accedit argumenta Arianorum veterum semper fuisse suscepta aduersus vnitatem Numeri, vt colligere est ex August. lib. 5. de Trinit. cap. 6. & eiusdē lib. 7. cap. 6. Itē ex Athanasii disputationibus quas habuit cōtra Ariū Probo iudice, quæ partim in ipsi⁹ operibus, partim in B. Vigilij libris reperiūtur. Illa autē fuissent stupidissima, si cū ipsis improbāda fuisset Vnitas speciei, tela sua vibrassent in id, quod vnum numero dicitur. Quàm enim essem iocularis, si tres homines contenderem habere tres essentias specie differentes, quòd tres dicerentur. Postremò hanc fuisse mentem veteris Ecclesiæ satis docet Nicephorus, cùm Philoponum hæresis nota mulctatum tradit, quia communicatione speciei vnum Deum tres esse scripsisset, vti Porphyrius omnes homines vnum hominem esse ostendit eiusdem speciei participatione. Hinc enim Damasc. lib. 1. de ortho. cap. 8. μία οὐσία ἐν τρεῖς ἀλλήλαις, &c.

Essentia diuina vnare multa ratione, ita Thomas.

Niceph. li. 18. cap. 48.

Porphyr. in Isagoge.

Qualis quā habeat hic notatio nem.

Arist. in Categ. cap. de subst.

9 Qualis Pater talis Filius. Qualis hîc designat communem & substātialem appellationem, vt apud Aristotelem cùm ait primam substantiam significare hoc aliquid, secundum vero qualitatem. In hac autem communi & essentiali ratione diuinæ hypostases nullam accipiunt differentiam. sicut enim Pater est omnipotens, æternus, infinitus, inuisibilis & quæcunque cogitari possunt ad summi boni rationem pertinentia, ita & Filius, ita & spiritus S. Id ergò accipi debet de proprietatibus essentialibus naturam diuinam atque θεότητα circumstantibus, quales sunt po-

teris, æternus, sapiẽs, iustus, perfectus, & proprietates, quas mox percenset sic toti diuinitati communes, vt sigillatim singulis personis congruant. Alia ratio est *singularium proprietatum, quæ sunt propriæ cuiusque hypostasis notæ καὶ γνωρίσματα, ac ita vni personarum propriæ, vt reliquis duabus non cõueniant. solus enim* Pater Pater *est, ingenitus est, principium sine principio, seipso* Deus, *&* αὐτόθεος. Solus Filius Filius *est, genitus est,* Verbum *est.* Similiter Spiritus *solus procedens, non* Pater, *non* Filius, Solus *donum, solus à duobus, & si qua alia sunt, quæ ex his consequantur & pendeant.*

10. Increatus, immensus. *Præpositio,* In, *vt monet* Cicero *in topicis negationem in huiuscemodi significat.* Increatum *igitur siue* ἄκτιστον (Nam *apud* Græcos *ἀ similiter in compositione priuat) vocatur quod subsistit quidem, sed tamẽ sine productione quæ sit ex nihilo.* Hac *de causa* Filius *etiam &* S. spiritus *increati sunt, quia producti quidem sunt, sed ex* Patris *substantia, non autem ex nihilo, vt paulo pòst tractabitur.* Immensum Latinè *quidem sonat quod sine mensura existit, quódque magnitudinis & plenitudinis non habet terminos, sed per omnia diffusum certis caret limitibus, quibus coërceatur.* * Ac *ea notione* Deus *dicitur intra omnia & non inclusus, extra omnia & non exclusus, supra omnia & non elatus, siue, vt* Hieronymus *alicubi scripsit, omnibus infusus & circumfusus, quòd cuncta penetret interior & cõtineat exterior.* De *qua re extat* Augustini *ad* Dardanũ *epistola quinquagesima septima.* Verùm *in* Græco ἀκατάληπτος *sonat, si interpreteris, incomprehensibilem.* Personæ *autem sunt incomprehensæ non quidem sibi inuicem.* (Nam Pater *nouit* Filium, *&* Filius Patrem,

* ἀμέτρητον *appellat* Pachymeres *ĩ* D. Dionys. *pag.* 197.

Luc.10. *Spiritus quoque penetrat in profunda Dei, sed rebus procreatis, nemine sciente quis sit Filius præter Patrem ac è conuerso, vt non immeritò exclamet* Paulus. *O*
Rom.11. *altitudo diuitiarum sapientiæ* Dei *& scientiæ: quàm incōprehensibilia sunt opera eius & imperuestigabiles*
Psal.144. *viæ eius. Quemadmodum enim iuxta* Psalmographū,
Psal.146. *magnitudinis eius non est finis, sic iuxta eundem ip-*
Dionys. de *sius sapientiæ non est numerus. Id declarat* Dionysius
diuinis no- *Magnus de diuinis nominibus, postquàm monstrasset*
minib.c.1. *Deum ita esse causam omnibus vt sint, vt tamen emi-*
» *neat supra omnem essentiam,* Ipsius, *inquit, notitia*
» *& cognitio omnibus est inaccessa, vt qui supra essen-*
» *tiam omnium eleuatus sit,* καὶ πολλῶν μὲν θεολόγους εὑρήσεις, οὐ μόνον ὡς ἀόρατον αὐτὸν καὶ ἀπερίληπτον ὑμνηκότας· ἀλλὰ καὶ ἀνεξερεύνητον ἅμα καὶ ἀνεξιχνίαστον, ὡς οὐκ ὄντος ἴχνους οὐδενὸς τῶν ἐπὶ τὴν κρυφίαν αὐτοῦ ἀπειρίαν διεληλυθότων, *&c.* Nullus enim nouit Patrem nisi Filius, & Filius nisi Pater. *Eadem ratio de* spiritu S. Nullus enim nouit quæ sunt Dei nisi spiritus Dei. *Ac quamuis rebus omnibus procreatis sit immensus & incomprehensus, tamen sibi mensus est & finitæ comprehensionis, persona altera alteram plenè & omnino comprehendente atque cognoscente. Hanc* ἀκαταληψίαν *ad Essentiæ quoque eius incomprehensibilitatem referre possumus, cùm ne eam quidem mentes separatæ, quæ sempiterna alioqui felicitate saturæ sunt, plenè percipiant, vt notat* Chrysostomus *contra* Anomœos. *Eò e-*
Ioan.1. *nim pertinere vult quod apud* Ioannem *scriptum est,*
1.Tim.6. *Deum nemo vidit vnquam, & quod* Paulus *commemorat, Deum regem regum esse, qui solus lucem habitet inaccessam, quem nullus hominum vidit, sed*
Esa.6. *nec videre potest. Ad quod etiam proferens* Esaiam,

apud quem Seraphim stant obuelantes duabus alis, quas habent, senos pedes suos, quamobrem, inquit, alas explicant & suas operiũt facies? Quid aliud dixeris causæ, quàm splendorem procursantem è solio illo & fulgur prosiliens ferre non posse. Quamquam haud ipsam meram videbant lucem, nec ipsam sinceram substantiam, sed quæ videbant condescensus (συγκατάβασις) *erat & indulgentia. Est autem condescensus cùm Deus non, vt est, se ostendit, sed quoad videre potest is, qui huiusmodi aspectum consequitur, quatenus firmitati videntis suam repræsentationem metitur ac temperat.* Idem Theodoritus in Polymorpho putat, *Non tantùm eum existimo inaspectabilem hominibus sed & Angelis. Cùm itaque eorum aliquos Dominus ait quotidiè videre faciẽ Patris sui qui in cælis est, illum existimes intelligere non totam diuinam essentiam, incircumscriptam, incomprehensam, comprehendentem omnia, sed gloriam aliquam ipsorum naturæ congruentem.* Theod. lib. 1. polymorphi. Mat. 17.

11 AEternus. *Æternũ appellamus quod sine principióque caret, intra se omnes temporis differẽtias absorbens. Talis est Pater, cui principium & finem cogitatio circumscribere non potest. Similiter & Filius & Spiritus, quoniam sicut nusquam non Pater, ita nusquam non Filius & spiritus. De hac Dei proprietate apud Paulum, legitur, qui solus habet immortalitatem. Nam ne ex parte quidem finis Angeli & animi hominum immortales sunt sua quidem natura, sed dono & gratia, vt ad illum locum tractant Græci vniuersi. Athanasius deinde oratione contra Idola pag. 30. Damascenus lib. 2. cap. de Angelis &c. Quod significauit Plato dum Timæum, præter summum Deũ* 1. Tim. 6.

quo vellet, inquit Augustinus ep.163. dare nō possent, Catholicum nomen non ex vniuersitate gentium, sed ex plenitudine sacramentorum definiendum contenderunt, teste eodem Augustino Epistola 48. & 49. Vt autem illud Catholicis eriperent, non quidem ausi sunt dicere falsa esse vaticinia prophetarum de futura Ecclesiæ amplitudine, sed responderunt ea nondum esse impleta, sed vide quid respondeat Augustinus in libr. de vnitate cap. 9. Deinde Cresconius Donatista clamabat Nostram non esse Catholicam, quia totus orbis ei nō communicaret. At excipit Augustinus libr.3 contra Cresconium cap.63. & docet omnes gentes quæ Christiano nomine censerentur, dogmatibus inter se conuenire, reliquum autem mundum quotidie verti in nomen Christianum, quod Catholicis communicaret, sicque Ecclesiam ad reliqua occupanda quotidie diffundi. Postremò Donatistæ vociferabantur Catholicæ vocem humanum esse figmentum, vt Aug. tractat lib.2. contra Gaudētium, sed facile conuicti sunt Symboli Apostolici authoritate, Credo Ecclesiam Catholicam. Reliqua pete ex collatione Carthaginensi. Hæc autem in pauca libuit restringere, vt quisque melius apud se iudicaret, penes quos sit vera Ecclesia Catholica, nósne, quibuscum vniuerso orbi fide & doctrinâ conuenit, quantumuis à Romana Ecclesia multi schismate se præsciderint, an Aduersarios, qui homines heri nati, nec ante 40. annos vspiam nominati, ne sibi quidem quotidie in summis fidei capitibus consentiūt.

Fides habitus, quo creditur.

3 Fidem. Fides alio modo hîc sumitur, quàm cùm definitur habitus à deo inspiratus, quo credimus reuelatis. Eo enim sensu virtus est illa Theologa, quæ, Deo donante, (opus enim Dei, vt credatis, inquit apud

Ioan.5.

Ioannem Dominus, & Paulus, Donum Dei est, ne quis glorietur) animis nostris inhæreſcit, de qua debet intelligi illud Pauli, Fides est hypostasis rerum, quæ sperantur, ἔλεγχος & certitudo rerum quæ non cernuntur. Hîc verò significat id, quod creditur, nempe rem fidei subiectam. Quo sensu tradebat Paulus vnũ esse Dominum, vnam fidem, vnum baptisma, quoniam idem iubemur omnes credere. Eadem diuersitas cernitur in vocabulo spei. Spes enim modo est id, quo speratur, ac sic ferè sumitur apud Paulum & reliquos cùm loquuntur de certa expectatione vitæ æternæ, quæ nobis à Deo promissa est. Modò id ipsum, quod speratur, vt quando ad Colossenses Paulus ait spem fidelium positam in cælis, hoc est, rem quæ speratur, siue beatitudinem, ad quam anhelamus non esse in hoc mundo, &c.

Phil. 5.

Fides quæ creditur.

Eph. 4.

Col. 1.

4 Quam nisi quisque integram & inuiolatam seruauerit. *Hinc disce, quanto in periculo versentur, qui vel in vnum duntaxat articulum fidei impingunt. Nam Athanasius respondet planè idem, quod in argumento non multùm dissimili Iacobus Apostolus, Qui peccauerit in vno, factus est omium reus. Atque hinc Augustinus laudat edictum Imperatorum de vi corrigendis hæreticis, quòd eius occasione multi ad salutis viam, à qua antea deerrauerant, conuerterẽtur.* » *Quàm multi (inquit) nihil interesse credẽtes in* » *qua quisque parte (hæretica, an Catholica) Christia-* » *nus sit, ideo permanebant in parte Donati, quia ibi* » *nati erant, nec eos inde discedere, atque ad Catho-* » *licam transire nemo cogebat. Vnde paulò pòst com-* » *memorat gratiarũ actiones eorum, quos Deus ad vni-* » *tatem Ecclesiæ Imperatoriarum legum metu perdu-*

Iac. 1.

De pœn. dist. 2. §. item apponitur.

Aug. epist. 48. ad Vincentium Donatistã.

" *xerat. Alij dicant, putabamus quidem nihil interesse,*
" *vbi fidem Christi teneremus, sed gratias Domino, qui*
" *nos à diuisione collegit, & hoc vni Deo congruere, vt*
" *in vnitate colatur, ostendit. Terribilis profectò est*
" *Cypriani martyris vox. Quòd verò eundem, quem*
" *& nos Deum Patrem, eundem Filium Christum, eun-*
" *dem spiritum sanctum nosse dicuntur, nec adiuuare*
" *potest tales. Lege totam epistolam, & intelliges exci-*
dere ab vna fidei tabula, certißimum absolutißimúm-
que esse naufragium, cum quo iacta sit salutis omnis
alea. Intereà Athanasius noster respicere mihi quidem
videtur ad suæ tempestatis Semiarianos, qui fidem Ca
tholicam Nicenámve non nisi quadam ex parte reci-
piebant. Erant tum aliqui mediatores, principibus
Vrsatio & Valente Pannoniarum Episcopis, quorum
ductu semiariani decem conciliabula celebrarunt ad
eneruandam vocem Homusii, vt extat in quadam o-
ratione Athanasij de Synodis Arimini & Seleuciæ &
in Ruffini historia Ecclesiastica. Hinc viderentur sen-
tire cum Arianis, recipiebant quæcunque sanxerat
Nicena Synodus præter illã vocem. Fatebantur Chri-
stum Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum
de Deo vero, quod etiam in Gaudentio Mediolanen-
si Episcopo notat Hilarius. Alij vt in concilio Syrmiẽsi,
Christum esse ὁμοιούσιον *prædicabant, abstinendum ve-*
rò decernebant voce ὁμοουσίου, *vt nimis exacta, ac-*
curata, curiosa. Atqui, inquit egregiè alicubi Athana-
" *sius, Stannum est simile essentia ipsi argento, neque*
" *tamen est argentum. Hos omnes extra salutis arcam*
merito collocat, quoniam extra Christi & Ecclesiæ
communionem salus non potest consistere, vt quidem
B. Petrus in suarum Catholicarum priore probat, &

Cyp. ep. ad Magnum filium.

Esaias contestatur his verbis, Gens & regnũ, quæ non seruierint tibi, peribunt.

5 Vt vnum Deum in Trinitate & Trinitatem in Vnitate. *Sic & alij locuti sunt. Iustinus Martyr in expositione fidei,* μονὰς γὰρ ἐν τριάδι νοεῖται, *&c. Vnitas in Trinitate intelligitur. Gregorius Nazanzenus sub finem orationis ad Heronem philosophum,* νῦν δὲ διδάσκε τοσοῦτον εἰδέναι μόνον μονάδα ἐν τριάδι, καὶ τριάδα ἐν μονάδι προσκυνουμένην παράδοξον ἔχουσαν καὶ τὴν διαίρεσιν καὶ τὴν ἕνωσιν. *Nũc verò doce te vsqueadeò scire solum vnitatẽ in Trinitate & Trinitatẽ in vnitate adorãdam esse, mirabilem habẽtem tum diuisionẽ, tum vnionem. Tertullianus contra Praxeam. Vnitatem in Trinitatem disponimus. Sed hæc locutio, imo verò locutionis intelligentia & comprehensio non caret difficultate, cùm præsertim videatur vel rerum confusionem, & quasi miscellam, vel contradictionem inducere. Primùm autem dicam de vocabulis, mox rem ipsam aliquantò interius penetrabo. Monadem hîc non intelligimus vnitatem quatenus habetur principium numerorum more Arithmetico, sed vnam essentiam, acceptione magis Physica. Triadem autem siue Trinitatem appellamus non trium vnitatem, vt somniauit Gentilis, sed ipsasmet tres personas. Ait igitur Athanasius, vt ad rem veniam, Trinitatem esse in vnitate, id est, in vna diuina essentia siue natura esse tres personas, & contrà, vnitatem esse in Trinitate, id est, in tribus personis, vnam extare diuinam essentiam, vt significetur tres quidem esse diuinas personas reipsa, propriéque distinctas, sed eas tamen esse eiusdem essentiæ non per collectionem quandam, sed per sinceram singularémq; vnius erga aliam communicationem. Et è conuerso*

Quid hîc Vnitas.

Quid Trinitas.

positionē, In, similes formulæ arguūt, in quibus extrema satis est ratione distingui. Mēs est in anima ratiocinā͂te. i. est anima ratiocinās, Partes sunt in toto & totū in partibus, hoc est, idē, quod partes & prætereà nihil. Sic tres personæ sunt in vnitate seu in vna essentia, hoc est, sunt vna essentia & nihil prætereà. Ἐν ὑποστάσεσιν, inquit Damascenus, ἡ θεότης, ἢ (τό γε ἀκριβέστερον εἰπεῖν) ὑποστάσεις ἡ θεότης. In hypostasibus deitas est, aut, quod verius est, deitas est hypostases. Quod ad hūc modum à Marsilio scholastico declaratur. Pro hoc notandum, quòd hæc præpositio, in, aliquādò sonat transitionem, & sic semper significatur diuersitas inter id, quod inest, & inter id cui inest, vt cùm dicimus, scientia est in animo, vel animus est in corpore, aliquando non. Sic esse in alio est esse illud, quo modo dicimus, Totum est in partibus, id est, partes simul sumptæ, Voluntas est in animo intelligente, id est, ipse animus. Quo præmisso capiendo τὸ in transitiuè, nihil est in essentia diuina tanquam in subiecto, vel tanquam in toto, seu etiam, vt in loco. Sic enim sumptum in denotat diuersitatem eius, quod inest, ab eo cui inest. sed quicquid est diuina essentia est idem, quod ipsa. Transitiuè loquendo nulla persona est in essentia diuina, quia persona non est diuersa ab essentia. Accipiendo autem in citra transitionem Catholicus debet cōcedere, in essentia diuina personarum Trinitatem, quia debet concedere, quòd Essentia est tres Personæ. Huc porrò quæstio pertinet, Deus est Trinitas, quam locutionem barbarā esse pronuntiauit suo. i. impio iure Caluinus, non satis assequens, quid in ipsa Dei nomen declararet. Simplicissimè autem dici potest denotare diuinam naturam, vt sit sensus, Natura diuina est Trinitas, siue tres personæ.

Dam. libr. 1. de ortho. cap. 8.

Marsf. lib. 1. sent. q. 6. art. 3.

Quid deus est Trinitas.

Totidē enim hypostasibus ad numerū communicatur atq; impertitur. Nec tamen eos prorsus reiicio, *qui hoc nomē personaliter interpretātur hāc in sentētiā, Diuinæ personæ sunt Trinitas ceu tres. Fruātur etiā, qui probauerint, Bonauenturæ expositione, qui ad vtrunque significādi modum referens hunc sensum efficit, Deus est Trinitas, id est, diuinitatis personæ sunt tres, modò intelligāt primam, quam attuli, explicationem videri omnium accommodatissimam, atque attingere altiùs quæ ad totum integrum caput de Deo pertinent, nempe vnitatem deitatis, cuius causa tres sunt vnus deus, & Trinitatem personarum, cuius gratia, vnus Deus est tres.*

6 Neque confundentes personas, neque substantiam separantes. *Personam superiore libro definiuimus rem intelligentem, quæ per se consistit. substantiam siue essentiam rei illius rationem atque naturam. Has descriptiones habe præ oculis, vt noscas priorem partem huius versiculi rectè Sabelliū petere, cui eadem erat subsistentia Patris Filij & Spiritus, posteriorem Arium & Trinitarios, quibus vt tres personæ, ita tres essentiæ. Confundere autē personas est tres in vnā miscere & quasi redigere, quod nefas est, ꝑpter generationē & ꝓceßionē, quæ res ita distinguūt, vt persona generās nequeat esse persona genita, aut procedēs nec è cōuerso. quidnam enim seipsum aut producit, aut potest producere? Separare verò est aliud & diuersum facere, quod cadere non potest in diuinā essentiā, cùm tres diuinæ hypostases, esse vnum & indifferens planè obtineant.* Hoc Ambrosius docet dum ait. *Pater & Filius distinctionem habent, separationem non habent. i. diuersitatem, vt quæ præmiserat, ostēdunt.* Non

Ambros. lib. 2. de fide c. 2.

est,inquit,diuersa nec singularis æqualitas, nec iuxta Arianos Patrem Filiúmque *secernens, nec iuxta* Sabellianos Patrem Filiúmque *confundens.* Eodem *sensu* verbum *diuidendi* Patres *vsurpauerunt.* Nam *non confitentur personas esse diuisas, nisi admodum rarò ac tū diuidere illis est discernere, secernere, distinguere,* vt Hetteriano. Et *quamquam (ait) indiuisibilis sit Deus diuidere tamen* Trinitatem *possumus. sic apud* Theologos Græcos διαίρεσις *interdum ad personas refertur & διάκρισιν notat.* Nazanzenus, τρεῖς ἔχουσα καὶ τὴν διαίρεσιν καὶ τὴν ἕνωσιν. Quoniam *autem exemplaria* Græca *legunt* διαχωρίζειν *aut* μερίζειν, *hunc locum aliter possumus interpretari.* Substantia *non est distrahenda vel dispertienda, quasi quadam participatione partitionéve personis tributa sit, aut etiam extra vnius essentiam alterius substantia posita sit, cùm præsertim* Pater *se suámq; essentiam plene non ex parte, intra se non extra* Filio Spirituíque *communicauerit.*

Hetterian. lib. 2. de proces. spiritus cap. 1.

Ad Heronē

7 Alia enim est persona Patris, alia Filij. *Differunt enim hypostases numero, non quidem substantiali, vt impius* Gentilis *garrit, sed personali.* Nam *nisi personali distinctione, quæ eadem realis est & numerabilis, tres hypostases discernerentur, distinctio ipsarum tantùm esset imaginaria.* Accidentariā enim *& essentialem non recipit diuinitas:* Itaque Damascenus & Nicolaus Methonis Episcopus *rectè concedunt* Alium, Alium, & Alium *hîc conuenire,* Aliud Aliud, & Aliud *non item.*

8 Vna est diuinitas. *Vna diuina* Essentia *non tantùm specie, vt* Trinitarij *contendunt, sed & numero, ad quod sacramētum adumbrandū à patribus excogitatum est* vocabulum ὁμοούσιον. Nam *si eo* vnitatem

ὁμοούσιον vnā numero essentiā significat.

speciei solùm designare voluissent, quid oportebat tanta anxietate illud comminisci cùm sine hoc ab omni æuo Philosophi res eiusdem speciei defendissent? Accedit argumenta Arianorum veterum semper fuisse suscepta aduersus vnitatem Numeri, vt colligere est ex August. lib. 5. de Trinit. cap. 6. & eiusdē lib. 7. cap. 6. Itē ex Athanasii disputationibus quas habuit cōtra Ariū Probo iudice, quæ partim in ipsi⁹ operibus, partim in B. Vigilij libris reperiūtur. Illa autē fuissent stupidissima, si cū ipsis improbāda fuisset Vnitas speciei, tela sua vibrassent in id, quod vnum numero dicitur. Quàm enim essem iocularis, si tres homines contenderem habere tres essentias specie differentes, quòd tres dicerentur. Postremò hanc fuisse mentem veteris Ecclesiæ satis docet Nicephorus, cùm Philoponum hæresis nota mulctatum tradit, quia communicatione speciei vnum Deum tres esse scripsisset, vti Porphyrius omnes homines vnum hominem esse ostendit eiusdem speciei participatione. Hinc enim Damasc. lib. 1. de ortho. cap. 8. μία οὐσία ὁ τρεῖς ἀλλήλαις, &c.

Essentia diuina vna re multa ratione, ita Thomas.

Niceph. li. 18. cap. 48.

Porphyr. in Isagoge.

Qualis quā habeat hic notationem.

Arist. in Categ. cap. de subst.

9 Qualis Pater talis Filius. Qualis hîc designat communem & substātialem appellationem, vt apud Aristotelem cùm ait primam substantiam significare hoc aliquid, secundum vero qualitatem. In hac autem communi & essentiali ratione diuinæ hypostases nullam accipiunt differentiam. sicut enim Pater est omnipotens, æternus, infinitus, inuisibilis & quæcunque cogitari possunt ad summi boni rationem pertinentia, ita & Filius, ita & spiritus s. Id ergò accipi debet de proprietatibus essentialibus naturam diuinam atque θεότητα circumstantibus, quales sunt po-

teńs, æternus, sapiẽs, iustus, perfectus, & proprietates, quas mox percenset sic toti diuinitati communes, vt sigillatim singulis personis congruant. Alia ratio est singularium proprietatum, quæ sunt propriæ cuiusque hypostasis notæ καὶ γνωρίσματα, ac ita vni personarum propriæ, vt reliquis duabus non cõueniant. solus enim Pater Pater est, ingenitus est, principium sine principio, seipso Deus, & αὐτόθεος. Solus Filius Filius est, genitus est, Verbum est. Similiter Spiritus solus procedens, non Pater, non Filius, Solus donum, solus à duobus, & si qua alia sunt, quæ ex his consequantur & pendeant.

10. Increatus, immensus. Præpositio, In, vt monet Cicero in topicis negationem in huiuscemodi significat. Increatum igitur siue ἄκτιστον (Nam apud Græcos ἀ similiter in compositione priuat) vocatur quod subsistit quidem, sed tamẽ sine productione quæ sit ex nihilo. Hac de causa Filius etiam & S. spiritus increati sunt, quia producti quidem sunt, sed ex Patris substantia, non autem ex nihilo, vt paulo pòst tractabitur. Immensum Latinè quidem sonat quod sine mensura existit, quódque magnitudinis & plenitudinis non habet terminos, sed per omnia diffusum certis caret limitibus, quibus coërceatur. *Ac ea notione Deus dicitur intra omnia & non inclusus, extra omnia & non exclusus, supra omnia & non elatus, siue, vt Hieronymus alicubi scripsit, omnibus infusus & circumfusus, quòd cuncta penetret interior & cõtineat exterior. De qua re extat Augustini ad Dardanũ epistola quinquagesima septima. Verùm in Græco ἀκατάληπτος sonat, si interpreteris, incomprehensibilem. Personæ autem sunt incomprehensæ non quidem sibi inuicem. (Nam Pater nouit Filium, & Filius Patrem,

* ἀμέτρητον appellat Pachymeres in D. Dionys. pag. 197.

Luc.10. *Spiritus quoque penetrat in profunda Dei, sed rebus procreatis, nemine sciente quis sit Filius prater Patrem ac è conuerso, vt non immeritò exclamet Paulus.* Rom.11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ Dei & scientiæ: quàm incōprehensibilia sunt opera eius & imperuestigabiles* Psal.144. *viæ eius. Quemadmodum enim iuxta Psalmographū,* Psal.146. *magnitudinis eius non est finis, sic iuxta eundem ipsius sapientiæ non est numerus. Id declarat Dionysius* Dionys. de diuinis nominib.c.1. *Magnus de diuinis nominibus, postquàm monstrasset Deum ita esse causam omnibus vt sint, vt tamen emi-*
» *neat supra omnem essentiam, Ipsius, inquit, notitia*
» *& cognitio omnibus est inaccessa, vt qui supra essen-*
» *tiam omnium eleuatus sit,* καὶ πολλῶν μὲν θεολόγοις εὑρήσεις, οὐ μόνον ὡς ἀόρατον αὐτὸν καὶ ἀπερίληπτον ὑμνηκότας· ἀλλὰ καὶ ἀνεξερεύνητον ἅμα καὶ ἀνεξιχνίαστον, ὡς οὐκ ὄντος ἴχνους οὐδενὸς τῶν ἐπὶ τὴν κρυφίαν αὐτοῦ ἀπειρίαν διεληλυθότων, *&c. Nullus enim nouit Patrem nisi Filius, & Filius nisi Pater. Eadem ratio de spiritu S. Nullus enim nouit quæ sunt Dei nisi spiritus Dei. Ac quamuis rebus omnibus procreatis sit immensus & incomprehensus, tamen sibi mensus est & finitæ comprehensionis, persona altera alteram plenè & omnino comprehendente atque cognoscente. Hanc* ἀκαταληψίαν *ad Essentiæ quoque eius incomprehensibilitatem referre possumus, cùm ne eam quidem mentes separatæ, quæ sempiterna alioqui felicitate saturæ sunt, plenè percipiant, vt notat Chrysostomus contra Anomæos. Eò e-* Ioan.1. *nim pertinere vult quod apud Ioannem scriptum est,* 1.Tim.6. *Deum nemo vidit vnquam, & quod Paulus commemorat, Deum regem regum esse, qui solus lucem habitet inaccessam, quem nullus hominum vidit, sed* Esa.6. *nec videre potest. Ad quod etiam proferens Esaiam,*

apud quem Seraphim stant obuelantes duabus alis, quas habent, senos pedes suos, quamobrem, inquit, alas explicant & suas operiūt facies? Quid aliud dixeris causæ, quàm splendorem procursantem è solio illo & fulgur prosiliens ferre non posse. Quamquam haud ipsam meram videbant lucem, nec ipsam sinceram substantiam, sed quæ videbant condescensus (συγκατάβασις) *erat & indulgentia. Est autem condescensus cùm Deus non, vt est, se ostendit, sed quoad videre potest is, qui huiusmodi aspectum consequitur, quatenus firmitati videntis suam repræsentationem metitur ac temperat. Idem Theodoritus in Polymorpho putat, Non tantùm eum existimo inaspectabilem hominibus sed & Angelis. Cùm itaque eorum aliquos Dominus ait quotidiè videre faciē Patris sui qui in cælis est, illum existimes intelligere non totam diuinam essentiam, incircumscriptam, incomprehensam, comprehendentem omnia, sed gloriam aliquam ipsorum naturæ congruentem.* Theod. lib. I. polymorphi. Mat. 17.

11 ÆEternus. *Æternū appellamus quod fine principióque caret, intra se omnes temporis differētias absorbens. Talis est Pater, cui principium & finem cogitatio circumscribere non potest. Similiter & Filius & Spiritus, quoniam sicut nusquam non Pater, ita nusquam non Filius & Spiritus. De hac Dei proprietate apud Paulum, legitur, qui solus habet immortalitatem. Nam ne ex parte quidem finis Angeli & animi hominum immortales sunt sua quidem natura, sed dono & gratia, vt ad illum locum tractant Græci vniuersi. Athanasius deinde oratione contra Idola pag. 30. Damascenus lib. 2. cap. de Angelis &c. Quod significauit Plato dum Timæum, præter summum Deū* I. Tim. 6.

nihil habere immortalitatem nisi ἐπίκτητον acquisitã & aduentitiam dicentem faceret, Dij, ait, quorum opifex ego patérque natura quidem dissolubiles, me autem sic volente indissolubiles. Quid illa autem sit, disce ex hac Gregorij Theologi oratione, αἰὼν οὔτε χρόνος, οὔτε χρόνου τὸ μέρος. οὐδὲ γὰρ μετρητόν, ἀλλ᾽ ὅπερ ἡμῖν χρόνος ἡλίου φορᾷ μετρούμενος, τοῦτο τοῖς ἀϊδίοις αἰὼν τὸ συμπαρεκτεινόμενον τοῖς οὖσιν, οἷόν τι χρονικὸν κίνημα καὶ διάστημα. Æternitas siue æuũ neq; tempus est, neq; pars tẽporis, neque enim mensurari potest, sed quod nobis est tẽpus per solis conuersionem descriptum mensuratúmque, illud est sempiternis rebus æternitas, quæ simul cum ipsis extenditur, velut aliquid temporale.

Omnipotẽtiã nõ referri ad Dei voluntatẽ.

12 Omnipotens. *Omnipotentiam Dei plerique hodie voluntate eius definiunt. sed refutantur à Theod. li. 3. Polymorphi. Et rectè. Nam Angeli & mẽtes separatæ quæ Deo perfruũtur, omnipotẽtes haberẽtur. Possunt enim quæcunque cupiunt Deo abunde ipsorum volũtatibus sufficiente, ac animos simul atq; animorum facultates vniuersas plenè satiante. Augustinus de fide ad Petrum in eo scribit intelligi omnipotentiam Dei, quòd omnem creaturam visibilem & inuisibilem ex nihilo fabricauerit. Rectè quidem, sed non propterea sequitur Deum non plura posse, quàm aut efficiat, aut velit efficere, cùm iuxta Apostolum excitare possit tam ea quæ sunt, quàm quæ non sunt. Eum igitur Omnipotentem dicimus, quia simpliciter omnia potest, ac in duobus omnipotentiam eius consistere, cùm in eo quod est nihil posse pati, tũ in eo quod est omnia posse agere. Quæ duo si defigantur oculis facilè diluent Plinianorum argumenta, quibus detrahere Dei potentiæ impij haud erubescunt. Deus in præterita*

August. de fide ad Pet. c. 3. & 7. de Ciuit.

Omnipotẽtia Dei in duobus.

Plin. lib. 2. de Nat. histor. cap. de Deo.

præterita ius non habet nisi obliuionis, falli, labi, decipi, peccare non potest, mori non potest, & si qua sunt istiusmodi. In prõptu ratio est, quòd hæc eius maiestatem dedeceant, quæ non in patiendo, sed in agendo elucescit. Posse aliquid pati, humanum est, imbecillum est, non est posse, sed aliquid non posse. Nihil posse pati diuinum est, potestatisque maximæ. Illud est quod scholastici aliis verbis dicunt, in Dei potestatem omnia cadere, quæ repugnantiam non includunt. Nam quæ sunt huiusmodi tantùm abest vt Dei potentiam confirmẽt & statuãt, vt eã prorsus obliterẽt, déque summi boni natura decutiant. Prætereà rectè monent qui scribunt Omnipotentiam debere sumi de extrapositis Dei operibus, quòd quæ intra sint, non cadant sub eius potestatem tanquam naturalia, ac è necessario naturæ principio effluentia. Id etiã in nobis vtcunque experimur. Nam non numeramus in iis quæ in nostra potestate sunt, crescere, procreare simile, ægrotare, sitire, famere, & si qua alia sunt naturæ necessitati obnoxia. Multo igitur minus generatio Filij Dei diuinæ potestati subiecta est, aut Filius & Spiritus S. minus posse quàm Pater censendi sunt, quòd producere sibi simile nequeant, cùm ipsis, gigni aut spirari, duntaxat naturale sit. Obseruandum autem aliud hîc legi, quàm in Apostolico symbolo & Apocalypsis 1. cap. vbi Deus etiam nominatur omnipotens. Nam illic est παντοκράτωρ, quæ vox ad ditionem & imperium Dei refertur, sonátque omnium dominum, qui imperiũ in omnia tenet, qui vniuersis dominatur, vt αὐτοκράτωρ, cuius merum est imperium, κοσμοκράτωρ mundi dominus. Hîc verò παντοδύναμος, quæ vox ad potestatem efficiendi omnia pertinet.

Naturalia non cadũt sub potestatem.

13. Et tamen non tres omnipotentes. *Hic vnus ex locis est, quos Trinitarij rodunt. Exclamant præter puram putam contradictionē, scripturas his sententiis,* Et tamen non tres æterni, sed vnus æternus, Sicut non tres increati nec tres immensi, sed vnus increatus & vnus immēsus. Et tamen non tres omnipotentes sed vnus omnipotens, *refragari. Nam & nos superiore libro multa oracula è veteri testamento, in quibus similes voces pluraliter de diuinis personis vsurparētur, collegimus. Addo, vt eorum causam aliqua in re iuuem, Athanasium sibi non constare, cùm infrà affirmet, quod hoc loco negat.* Tres personæ, *inquiet,* coæternæ sibi sunt & coæquales, *& in libris pontificiis tres dicuntur* coomnipotentes & coæterni. *Præterea Athanasij* σύγχρονοι *non abhorruerunt ab hac sententia: Epiphanius & Greg. Nazanzenus instar omnium nobis sint. dū hic in eleganti illa triadis descriptione. Hanc, ait, tibi sociam & tutelarem tribuo vnicā diuinitatem tria comprehendentē particulatim vnius in cælis pulchritudinis* τριῶν ἀπείρων ἄπειρον συμφυΐαν *triū infinitorū connaturalitatē infinitam. Ille verò alicubi tria lumina nominat. Mox in versiculo,* Non tres dij, sed vnus Deus, *Fusè hæc Deo duce tractabimus, intereà fruere solutione, quam superioris canonis interpres attulit, Cùm personæ dicuntur tres coomnipotentes, tres coæterni, tres infiniti, istæ dictiones ponuntur adiectiuè, id est, designāt personas. In Athanasio autem,* Sed vnus omnipotens, *&c. Substantiuè, id est, designant essentiam.*

Extra cap. firmiter de Trinit. & fide Cath.

Naζāζ. sub finē orationis in S. Baptisma.

Ca. firmiter.

14. Et tamen non tres domini, sed. *Hic locus latißimè patet. Nam de cunctis proprietatibus essentiam diuinam consequentibus idem affirmari potest.*

August.lib.5.de Trinit.cap.10. Nec magnos tres dicimus sed magnum vnum, quia non participatione magnitudinis Deus magnus est, sed seipso magno magnus est, quia ipse sua est magnitudo. Epistola 174 ad Pascentium comitem Arianum, vbi docuisset Spiritus nomen nunc dici ad aliquid & ita esse proprium Spiritussancti, nunc ad se, subiungit. Nam secundum substantiam, quoniam semel dictum est, Spiritus est Deus & Pater spiritus est & Filius spiritus est & ipse spiritussanctus spiritus est, sed vnus Spiritus nō tres sicut non tres dij sed vnus Deus. Et in libro de Trinitate & vnitate Dei, Sicut dicimus non tres Deos, nō tres essentias, ita nec tres sapiētias, nec tres Spiritus. Carolus Magnus in opere contra 7. Synodum lib.3.cap.4. Cùm sit Pater principiū & filius principiū & Spiritus s. principiū, nō tamē tria principia sed vnū principiū. sexcēta similia in veterū libris reperies, quæ quo pacto accipiēda sint, superest vt aduersus Valentinū Gentilē atq; adeò reliquam Trinitariorum fæcem pertractemus. Ioan.4. Aug.to.4.

15. Deus Pater &c. & tamen non tres dij, &c. *Ingredimur Syrtem nos & hæreticos in scopulos valdè contrarios iactantem. Ariani & qui hac quidem in parte istos sequuntur Trinitarij ob Oraculum Pauli* Vnus Deus, *vnum esse Deum Patrem aiebant. Auctor est Hilarius libro de Trinitate octauo, pag.153. Quid ad hæc nostri?* Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, & tamen non tres dij, sed vnus est Deus. *Quibus verbis nihil crebrius occurrit in Maiorum scriptis Athanasij, Basilij, Gregoriorum, Cyrillorum, Damasceni, &c. Quin etiam Theodoritus in historia Ecclesiastica narrat iisdem temporibus in Romano per Damasum collecto concilio latum fuisse* 1.Cor.8.

» canonẽ, quem Augustinus de verbis Apostoli serm. 13.
» ad hunc modũ retulit. Maledictus qui propria nomina
Obiect. » personarum tres deos aut tres dominos aut tres spiritus confitetur. Vrgemur quidem, inquies, Patrum testimoniis, sed tamen non eximitur scrupus. Fateris diuinitatem in tribus consistentem ex personis non coalescere, sed omnes simul esse perfectas ac integras, qui igitur verum esse potest, vnamquanque earum sigillatim & per se Deum prædicari, & tamen non posteà colligitur esse tres deos? Quod de reliquis nominibus eodem modo mirandum est, tres sigillatim dici omnipotẽtes, infinitos, spiritus, dominos, & tamen non tres sed vnum omnipotentem, &c. deinde concludi. Quid

Solutio. hac de quæstione, mea quidẽ opinione, lubrica & difficili & in quam nõ sine causa Trinitarij mihi videntur impegisse sentiam, non prius dicam quàm Nostrorum sententias percensuero.

Prima interpretatio quæ est veterum. Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 10. & epist. 177.

Augustinus videtur sentire ideo nõ esse tres magnos, omnipotentes, deos, &c. quòd in tribus personis vna insit magnitudo, omnipotentia, deitas, quasi in Deo propter simplicitatem nomina, quæ concreta & abstracta appellantur, inter se minimè differãt. Ac eo cum Græcis ferè reliquis feruntur Didymus, Cyrillus & Basilius magnus. Hic quidem homilia contra Sabellianos, Arium, & Anomœos, dum ait, Vnus Deus non duo dij, quoniam identitatem habet Filius ad Patrem. Non enim aliam in Patre conspicio deitatem & aliam in Filio, neque aliam naturam hanc & illam. Ille verò in lib. de spiritu sancto cùm scribit, Arguens Petrus Ananiam, in eo quod in venditione agri, cuius se pretium totum obtulisse dicebat, spiritus sancti vnita-

tem non secundum numerum, sed iuxta substantiam comprobauit, dicens, Anania, *quare impleuit* satanas *cor tuum vt mentireris* spiritui *sancto? & postea non hominibus mentitus es, sed* Deo. Cyrillus *autem* » *contra* Iulianum Apostatam, Non *ignorauit, inquit,* » Moses *quòd* Deus *vnus, id est, vna deitatis natura in* » *sancta & consubstantiali* Trinitate *adoratur, nempe* » *in* Patre Filio *&* spiritu *sancto.* His D. Bernardus *astipulatur quando aduersus* Porretanum Pictauien- » *sem* Episcopum *sic inuehitur.* Quãtò *verius saniúsque* » *ita dixisset,* Pater *est verus, hoc est veritas,* Filius *est* » *verus, hoc est veritas.* Spiritus S. *est verus, hoc est ve-* » *ritas, & hi tres vnus verus, id est, vna veritas.* Quã *profectò religionem* Boëtij *fuisse non dubitat, qui in* » *hunc locum incidit,* Pater *est veritas,* Filius *est veritas,* » spiritus S. *est veritas,* Et *hi tres sunt non tres veritates* » *sed vna veritas.* Nã *illic* Boëthius *in* Abstractas *voces submutat, quæ* Maiores *concretis enuntiauerant.* Et *verò* Athanasio *hanc interpretationem* Probus *iudex* » *apud* D. Vigilium *tribuit.* Difficilem, *ait, quoque illã* » *& (vt* Arius *autumabat) insolubilem quæstionẽ, quòd* » Tres Vnus Deus *dici & idem tribus distingui non pos-* » *se personis intentauerat, ita* Athanasius *diuinæ scri-* » *pturæ auctoritate dissoluit,* Quòd *in* Trinitate *vnus* » Deus *sit per naturæ vnionem, non secundum distin-* » *ctionẽ personarum.* Et *idcirco tres vnus* Deus *est quia* » Triũ *vna natura est.* Quia *& cùm multæ animæ vna* » *anima, & cùm omnes homines vnus homo dicitur,* » *secundum naturæ conditionem, quæ omnibus vna est,* » *non secũdum diuersitatem asseritur personarum.* Igi- » *tur qui natura vnus est* Deus *idem in personis tres* » *sunt, si ita horum trium nomen cõmune requiris* Vnus

Cyr. lib. 4. cont. Iul.

Bern. serm. 80. in Cãt.

Boët. de Vnitate.

D. Vigilius in disputatione inter Arium & Athanasiũ.

Deus est, iuxta quam nominis communionem & Pater Deus & Filius Deus & Spiritus s. Deus. Et cùm vnusquisque eorum singulariter Deus sit, Deos tamen eos pluraliter dicere, Naturæ vnitas non admittit. Quoniam Naturæ nomen, quod Deus est, non priuatum vnicuique & peculiare, sed cōmune est. Et ideo Trinitas non pluraliter dij, sed vnus dicitur Deus. Si ea est symboli nostri mens, non est cur hinc Trinitarij vlla via transfugiant. Dubium enim non est, quin simul cum Essentia sua, quæcunque circum ipsam fluūt Pater in Filium & Spiritum sic plenè transfuderit vt planè ipsius & illorum vna eadémque sint omnia. Sed quia non concedunt in Deo adiectiuorū & substantiuorum eandem esse notationem, ac putant cum Aristotele ex communi vsu Adiectiua, etiam hîc, præter formam & qualitatem (quam solùm Substantiua declarant) subiectum quoque designare, age videamus quatenus formulæ Athanasianæ, Non tres æterni sed vnus æternus, non tres omnipotētes, non tres increati, nō tres Domini, non tres dij, sed vnus omnipotens, increatus, Dominus, Deus, *cum receptis possint conspirare.*

Arist. in categor.

Cata. in 1. c. Genes.

Hîc lubens Ambrosium Catarinum sic loquentem audio. » *Ferè quoties Elohim (i. dij) iūgitur verbo, quia* » *verbum actionem significat, ipsum verbum singulari* » *numero aptè poni consueuit, ne plurificari videatur* » *actio & virtus agentium, quæ prorsus est vna.* » *Quando verò cum nominibus adiectiuis coniun-* » *gitur, non metuit Scriptura ponere adiectiuum in* » *plurali numero, quoniam per illud nec actio aut vir-* » *tus, ac proinde nec eius substātia siue essentia plurifica-* » *tur. Secus autē esset, si substātiuū nomē adiūgeretur, vt*

» elegãter docet B. Thomas. Quare cõcedimus tres existentes, tres sapientes, tres immensos, tres æternos, tres creantes, non tamen tres Deos, nec tres creatores. Nec me fugit B. Athanasium non concedere tres æternos aut tres immensos. Hoc enim fecit (vt rectè declarat B. Thomas) sapientißimè & ad necessariam cautelam propter sensum falsum, qui posset inde accipi, nimirum si hæ voces substantiuè acciperentur, sicque plurificaretur aut æternitas aut immensitas, potuisset tamen concedere & ad sensum verum reducere. Legimus enim de Deo vero, Non est natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi. Dixit, Deos appropinquantes, vt Trinitatem significaret. Quoniam autem Thoma Aquinate se niti profitetur, audiamus etiam, quid de hoc argumento ille scriptis mandauerit. Nomina significãtia diuinam Essentiam substantiuè singulari numero & nõ plurali de tribus personis enuntiantur. Hæc igitur est ratio quare Socratem, Platonem & Aristotelem dicimus tres homines, Patrem autẽ & Filium & spiritum s. non dicimus tres Deos, quia in tribus indiuiduis humanæ naturæ sunt tres humanitates, in tribus autẽ personis est vna diuina essentia. Ea verò quæ significant essentiam, adiectiuè prædicantur pluraliter de Tribus propter pluralitatem diuinorum indiuiduorum. Dicimus enim tres existentes, vel tres sapientes, aut tres æternos & tres increatos & immensos, si adiectiuè sumantur. si verò substantiuè accipiantur, dicimus vnũ increatum, immensum & æternum, vt Athanasius tradidit. Ex his ergo collige earum omnium enuntiationum, quas Athanasius coaceruauit, non omnino idem esse iudicium. Nam non simpliciter negandum

In diuinis quid concedẽdum.

Nota.

Nota.

Deut. 4.

Tho. 1. q. 39. art. 3.

speciei solùm designare voluissent, quid oportebat tanta anxietate illud comminisci cùm sine hoc ab omni æuo Philosophi res eiusdem speciei defendissent? Accedit argumenta Arianorum veterum semper fuisse suscepta aduersus vnitatem Numeri, vt colligere est ex August. lib. 5. de Trinit. cap. 6. & eiusdē lib. 7. cap. 6. Itē ex Athanasii disputationibus quas habuit cōtra Ariū Probo iudice, quæ partim in ipsi⁹ operibus, partim in B. Vigilij libris reperiūtur. Illa autē fuissent stupidissima, si cū ipsis improbāda fuisset vnitas speciei, tela sua vibrassent in id, quod vnum numero dicitur. Quàm enim essem iocularis, si tres homines contenderem habere tres essentias specie differentes, quòd tres dicerentur. Postremò hanc fuisse mentem veteris Ecclesiæ satis docet Nicephorus, cùm Philoponum hæresis nota mulctatum tradit, quia communicatione speciei vnum Deum tres esse scripsisset, vti Porphyrius omnes homines vnum hominem esse ostendit eiusdem speciei participatione. Hinc enim Damasc. lib. 1. de ortho. cap. 8. μία οὐσία ὡ τρεῖς ἀλλήλαις, &c.

Essentia diuina vna re multa ratione, Ita Thomas.

Niceph. li. 18. cap. 48.

Porphyr. in Isagoge.

9 Qualis Pater talis Filius. Qualis hîc designat communem & substātialem appellationem, vt apud Aristotelem cùm ait primam substantiam significare hoc aliquid, secundum verò qualitatem. In hac autem communi & essentiali ratione diuinæ hypostases nullam accipiunt differentiam. sicut enim Pater est omnipotens, æternus, infinitus, inuisibilis & quæcunque cogitari possunt ad summi boni rationem pertinentia, ita & Filius, ita & Spiritus S. Id ergò accipi debet de proprietatibus essentialibus naturam diuinam atque θεότητα circumstantibus, quales sunt pa-

Qualis quā habeat hic notationem.

Arist. in Categ. cap. de subst.

teris, æternus, sapiēs, iustus, perfectus, & proprietates, quas mox percenset sic toti diuinitati communes, vt sigillatim singulis personis congruant. Alia ratio est singularium proprietatum, quæ sunt propriæ cuiusque hypostasis notæ καὶ γνωρίσματα, ac ita vni personarum propriæ, vt reliquis duabus non cōueniant. solus enim Pater Pater est, ingenitus est, principium sine principio, seipso Deus, & αὐτόθεος. Solus Filius Filius est, genitus est, Verbum est. Similiter Spiritus solus procedens, non Pater, non Filius, Solus donum, solus à duobus, & si qua alia sunt, quæ ex his consequantur & pendeant.

10. Increatus, immensus. Præpositio, In, vt monet Cicero in topicis negationem in huiuscemodi significat. Increatum igitur siue ἄκτιστον (Nam apud Græcos ἀ similiter in compositione priuat) vocatur quod subsistit quidem, sed tamē sine productione quæ sit ex nihilo. Hac de causa Filius etiam & S. spiritus increati sunt, quia producti quidem sunt, sed ex Patris substantia, non autem ex nihilo, vt paulo pòst tractabitur. Immensum Latinè quidem sonat quod sine mensura existit, quódque magnitudinis & plenitudinis non habet terminos, sed per omnia diffusum certis caret limitibus, quibus coërceatur. * Ac ea notione Deus dicitur intra omnia & non inclusus, extra omnia & non exclusus, supra omnia & non elatus, siue, vt Hieronymus alicubi scripsit, omnibus infusus & circumfusus, quòd cuncta penetret interior & cōtineat exterior. De qua re extat Augustini ad Dardanū epistola quinquagesima septima. Verùm in Græco ἀκατάληπτος sonat, si interpreteris, incomprehensibilem. Personæ autem sunt incomprehensæ non quidem sibi inuicem. (Nam Pater nouit Filium, & Filius Patrem,

* ἀμέτρητον appellat Pachymeres ī D. Dionys. pag. 197.

Luc.10. *Spiritus quoque penetrat in profunda Dei, sed rebus procreatis, nemine sciente quis sit Filius præter Patrem*
Rom.11. *ac è conuerso, ut non immeritò exclamet Paulus. O altitudo diuitiarum sapientiæ Dei & scientiæ: quàm incõprehensibilia sunt opera eius & imperuestigabiles*
Psal.144. *viæ eius. Quemadmodum enim iuxta Psalmographũ,*
Psal.146. *magnitudinis eius non est finis, sic iuxta eundem ip-*
Dionys. de *sius sapientiæ non est numerus. Id declarat Dionysius*
diuinis no- *Magnus de diuinis nominibus, postquàm monstrasset*
minib.c.1. *Deum ita esse causam omnibus ut sint, ut tamen emi-*
» *neat supra omnem essentiam, Ipsius, inquit, notitia*
» *& cognitio omnibus est inaccessa, ut qui supra essen-*
» *tiam omnium eleuatus sit,* καὶ πολλῶν μὲν θεολόγους εὑρήσεις, οὐ μόνον ὡς ἀόρατον αὐτὸν καὶ ἀπερίληπτον ὑμνηκότας· ἀλλὰ καὶ ἀνεξερεύνητον ἅμα καὶ ἀνεξιχνίαστον, ὡς οὐκ ὄντος ἴχνους οὐδενὸς τῶν ἐπὶ τὴν κρυφίαν αὐτοῦ ἀπειρίαν διεληλυθότων, *&c. Nullus enim nouit Patrem nisi Filius, & Filius nisi Pater. Eadem ratio de spiritu S. Nullus enim nouit quæ sunt Dei nisi spiritus Dei. Ac quamuis rebus omnibus procreatis sit immensus & incomprehensus, tamen sibi mensus est & finitæ comprehensionis, persona altera alteram plenè & omnino comprehendente atque cognoscente. Hanc* ἀκαταληψίαν *ad Essentiæ quoque eius incomprehensibilitatem referre possumus, cùm ne eam quidem mentes separatæ, quæ sempiterna alioqui felicitate saturæ sunt, plenè percipiant, ut notat Chrysostomus contra Anomœos. Eò e-*
Ioan.1. *nim pertinere vult quod apud Ioannem scriptum est,*
1.Tim.6. *Deum nemo vidit vnquam, & quod Paulus commemorat, Deum regem regum esse, qui solus lucem habitet inaccessam, quem nullus hominum vidit, sed*
Esa.6. *nec videre potest. Ad quod etiam proferens Esaiam,*

apud quem Seraphim stant obuelantes duabus alis, quas habent, senos pedes suos, quamobrem, inquit, alas explicant & suas operiũt facies? Quid aliud dixeris causæ, quàm splendorem procursantem è solio illo & fulgur prosiliens ferre non posse. Quamquam haud ipsam meram videbant lucem, nec ipsam sinceram substantiam, sed quæ videbant condescensus (συγκατάβασις) *erat & indulgentia. Est autem condescensus cùm Deus non, vt est, se ostendit, sed quoad videre potest is, qui huiusmodi aspectum consequitur, quatenus firmitati videntis suam repræsentationem metitur ac temperat. Idem Theodoritus in Polymorpho putat, Non tantùm eum existimo inaspectabilem hominibus sed & Angelis. Cùm itaque eorum aliquos Dominus ait quotidiè videre faciẽ Patris sui qui in cælis est, illum existimes intelligere non totam diuinam essentiam, incircumscriptam, incomprehensam, comprehendentem omnia, sed gloriam aliquam ipsorum naturæ congruentem.* Theod. lib. 1. polymorphi. Mat. 17.

11 AEternus. *Æternũ appellamus quod sine principióque caret, intra se omnes temporis differẽtias absorbens. Talis est Pater, cui principium & finem cogitatio circumscribere non potest. Similiter & Filius & Spiritus, quoniam sicut nusquam non Pater, ita nusquam non Filius & Spiritus. De hac Dei proprietate apud Paulum, legitur, qui solus habet immortalitatem. Nam ne ex parte quidem finis Angeli & animi hominum immortales sunt sua quidem natura, sed dono & gratia, vt ad illum locum tractant Græci vniuersi. Athanasius deinde oratione contra Idola pag. 30. Damascenus lib. 2. cap. de Angelis &c. Quod significauit Plato dum Timæum, præter summum Deũ* 1. Tim. 6.

præterita ius non habet nisi obliuionis, falli, labi, decipi, peccare non potest, mori non potest, & si qua sunt istiusmodi. In prõptu ratio est, *quòd hæc eius maiestatem dedeceant, quæ non in patiendo, sed in agendo elucescit.* Posse *aliquid pati, humanum est, imbecillum est, non est posse, sed aliquid non posse.* Nihil *posse pati diuinum est, potestatisque maximæ.* Illud *est quod scholastici aliis verbis dicunt, in* Dei *potestatem omnia cadere, quæ repugnantiam non includunt.* Nam *quæ sunt huiusmodi tantùm abest vt* Dei *potentiam confirmẽt & statuãt, vt eã prorsus obliterẽt, déque summi boni natura decutiant.* Præterea *rectè monent qui scribunt* Omnipotentiam *debere sumi de extrapositis* Dei *operibus, quòd quæ intra sint, non cadant sub eius potestatem tanquam naturalia, ac è necessario naturæ principio effluentia.* Id *etiã in nobis vtcunque experimur.* Nam *non numeramus in iis quæ in nostra potestate sunt, crescere, procreare simile, ægrotare, sitire, famere, & si qua alia sunt naturæ necessitati obnoxia.* Multo *igitur minus generatio* Filij Dei *diuinæ potestati subiecta est, aut* Filius & Spiritus S. *minus posse quàm* Pater *censendi sunt, quòd producere sibi simile nequeant, cùm ipsis, gigni aut spirari, duntaxat naturale sit.* Obseruandum *autem aliud hîc legi, quàm in* Apostolico *symbolo &* Apocalypsis I. cap. *vbi* Deus *etiam nominatur omnipotens.* Nam *illic est* παντοκράτωρ, *quæ vox ad ditionem & imperium* Dei *refertur, sonátque omnium dominum, qui imperiũ in omnia tenet, qui vniuersis dominatur, vt* αὐτοκράτωρ, *cuius merum est imperium,* κοσμοκράτωρ *mundi dominus.* Hic *verò* παντοδύναμος, *quæ vox ad potestatem efficiendi omnia pertinet.*

Naturalia non cadũt sub potestatem.

z

13. Et tamen non tres omnipotentes. *Hic vnus ex locis est, quos Trinitarij rodunt. Exclamant præter puram putam contradictionẽ, scripturas his sententiis,* Et tamen non tres æterni, sed vnus æternus, Sicut non tres increati nec tres immensi, sed vnus increatus & vnus immẽsus. Et tamen non tres omnipotentes sed vnus omnipotens, *refragari. Nam & nos superiore libro multa oracula è veteri testamento, in quibus similes voces pluraliter de diuinis personis vsurparẽtur, collegimus. Addo, vt eorum causam aliqua in re iuuem, Athanasium sibi non constare, cùm infrà affirmet, quod hoc loco negat.* Tres personæ, *inquiet,* coæternæ sibi sunt & coæquales, *& in libris pontificiis tres dicuntur* coomnipotentes & coæterni. *Prætereà Athanasij* σύγχρονοι *non abhorruerunt ab hac sententia. Epiphanius & Greg. Nazanzenus instar omnium nobis sint. dũ hic in eleganti illa triadis descriptione. Hanc, ait, tibi sociam & tutelarem tribuo vnicã diuinitatem tria comprehendentẽ particulatim vnius in cælis pulchritudinis* τριῶν ἀπείρων ἄπειρον συμφυΐαν *triũ infinitorũ connaturalitatẽ infinitam. Ille verò alicubi tria lumina nominat. Mox in versiculo,* Non tres dij, sed vnus Deus, *Fusè hæc Deo duce tractabimus, intereà fruere solutione, quam superioris canonis interpres attulit, Cùm personæ dicuntur tres coomnipotentes, tres coæterni, tres infiniti, istæ dictiones ponuntur adiectiuè, id est, designãt personas. In Athanasio autem,* Sed vnus omnipotens, *&c. Substantiuè, id est, designant essentiam.*

Extra cap. *firmiter de* Trinit. *& fide* Cath.

Nazãz. *sub finẽ orationis in* S. Ba*ptisma.*

Ca. *firmiter.*

14. Et tamen non tres domini, sed. *Hic locus latissimè patet. Nam de cunctis proprietatibus essentiam diuinam consequentibus idem affirmari potest.*

August. lib. 5. de Trinit. cap. 10. Nec magnos tres dicimus sed magnum vnum, quia non participatione magnitudinis Deus magnus est, sed seipso magno magnus est, quia ipse sua est magnitudo. Epistola 174 ad Pascentium comitem Arianum, vbi docuisset Spiritus nomen nunc dici ad aliquid & ita esse proprium Spiritussancti, nunc ad se, subiungit. Nam secundum substantiam, quoniam semel dictum est, Spiritus est Deus Ioan. 4.
& Pater spiritus est & Filius spiritus est & ipse Spiritussanctus spiritus est, sed vnus Spiritus nō tres sicut non tres dij sed vnus Deus. Et in libro de Trinitate & Aug. to. 4.
vnitate Dei, Sicut dicimus non tres Deos, nō tres essentias, ita nec tres sapiētias, nec tres Spiritus. Carolus Magnus in opere contra 7. Synodum lib. 3. cap. 4. Cùm sit Pater principiū & filius principiū & Spiritus s. principiū, nō tamē tria principia sed vnū principiū. sexcēta similia in veterū libris reperies, quæ quo pacto accipiēda sint, superest vt aduersus Valentinū Gentilē atq; adeò reliquam Trinitariorum fæcem pertractemus.

15. Deus Pater &c. & tamen non tres dij, &c.
Ingredimur Syrtem nos & hæreticos in scopulos valdè contrarios iactantem. Ariani & qui hac quidem in parte istos sequuntur Trinitarij ob Oraculum Pauli 1. Cor. 8.
Vnus Deus, *vnum esse Deum Patrem aiebant. Auctor est Hilarius libro de Trinitate octauo, pag. 153. Quid ad hæc nostri?* Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, & tamen non tres dij, sed vnus est Deus. *Quibus verbis nihil crebrius occurrit in Maiorum scriptis Athanasii, Basilij, Gregoriorum, Cyrillorum, Damasceni, &c. Quin etiam Theodoritus in historia Ecclesiastica narrat iisdem temporibus in Romano per Damasum collecto concilio latum fuisse*

» canonē, quem Augustinus de verbis Apostoli serm. 15.
» ad hunc modū retulit. Maledictus qui propria nomina
Obiect. » personarum tres deos aut tres dominos aut tres spiritus confitetur. Vrgemur quidem, inquies, Patrum testimonijs, sed tamen non eximitur scrupus. Fateris diuinitatem in tribus consistentem ex personis non coalescere, sed omnes simul esse perfectas ac integras, quî igitur verum esse potest, vnamquanque earum sigillatim & per se Deum prædicari, & tamen non posteà colligitur esse tres deos? Quod de reliquis nominibus eodem modo mirandum est, tres sigillatim dici omnipotētes, infinitos, spiritus, dominos, & tamen non tres sed vnum omnipotentem, &c. deinde concludi. Quid

Solutio. hac de quæstione, mea quidē opinione, lubrica & difficili & in quam nō sine causa Trinitarij mihi videntur impegisse sentiam, non prius dicam quàm Nostrorum sententias percensuero.

Augustinus videtur sentire ideo nō esse tres magnos, omnipotentes, deos, &c. quòd in tribus personis vna insit magnitudo, omnipotentia, deitas, quasi in Deo propter simplicitatem nomina, quæ concreta & abstracta appellantur, inter se minimè differāt. Ac eo cum Græcis ferè reliquis feruntur Didymus, Cyrillus & Basilius magnus. Hic quidem homilia contra Sabellianos, Arium, & Anomœos, dum ait, Vnus Deus non duo dij, quoniam identitatem habet Filius ad Patrem. Non enim aliam in Patre conspicio deitatem & aliam in Filio, neque aliam naturam hanc & illam. Ille verò in lib. de spiritu sancto cùm scribit, Arguens Petrus Ananiam, in eo quod in venditione agri, cuius se pretium totum obtulisse dicebat, spiritus sancti vnita-

Prima interpretatio quæ est veterum.
Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 10. & epist. 177.

tem non secundum numerum, sed iuxta substantiam comprobauit, dicens, Anania, *quare impleuit* satanas *cor tuum vt mentireris* spiritui *sancto? & postea non hominibus mentitus es, sed* Deo. Cyrillus *autem* » *contra* Iulianum Apostatam, Non *ignorauit, inquit,* » Moses *quòd* Deus *vnus, id est, vna deitatis natura in* » *sancta & consubstantiali* Trinitate *adoratur, nempe* » *in* Patre Filio *& spiritu sancto.* His D. Bernardus *astipulatur quando aduersus* Porretanum Pictauien- » *sem* Episcopum *sic inuehitur.* Quātò *verius saniúsque* » *ita dixisset,* Pater *est verus, hoc est veritas,* Filius *est* » *verus, hoc est veritas.* Spiritus S. *est verus, hoc est ve-* » *ritas, & hi tres vnus verus, id est, vna veritas.* Quā *profectò religionem* Boetij *fuisse non dubitat, qui in* » *hunc locum incidit,* Pater *est veritas,* Filius *est veritas,* » *spiritus* S. *est veritas,* Et *hi tres sunt non tres veritates* » *sed vna veritas.* Nā *illic* Boëthius *in* Abstractas *voces submutat, quæ* Maiores *concretis enuntiauerant.* Et *verò* Athanasio *hanc interpretationem* Probus *iudex* » *apud* D. Vigilium *tribuit.* Difficilem, *ait, quoque illā* » *& (vt* Arius *autumabat) insolubilem quæstionē, quòd* » Tres Vnus Deus *dici & idem tribus distingui non pos-* » *se personis intentauerat, ita* Athanasius *diuinæ* scri- » *pturæ auctoritate dissoluit,* Quòd *in* Trinitate *vnus* » Deus *sit per naturæ vnionem, non secundum distin-* » *ctionē personarum.* Et *idcirco tres vnus* Deus *est quia* » Triū *vna natura est.* Quia *& cùm multæ animæ vna* » *anima, & cùm omnes homines vnus homo dicitur,* » *secundum naturæ conditionem, quæ omnibus vna est,* » *non secūdum diuersitatem asseritur personarum.* Igi- » *tur qui natura vnus est* Deus *idem in personis tres* » *sunt, si ita horum trium nomen cōmune requiris* Vnus

Cyr. lib. 4. cont. Iul.

Bern. *serm.* 80. *in* Cāt.

Boët. de Vnitate.

D. Vigilius *in disputatione inter* Arium *&* Athanasiū.

Deus est, iuxta quam nominis communionem & Pater Deus & Filius Deus & Spiritus s. Deus. Et cum vnusquisque eorum singulariter Deus sit, Deos tamen eos pluraliter dicere, Naturæ vnitas non admittit. Quoniam Naturæ nomen, quod Deus est, non priuatum vnicuique & peculiare, sed cõmune est. Et ideo Trinitas non pluraliter dij, sed vnus dicitur Deus. Si ea est symboli nostri mens, non est cur hinc Trinitarij vlla via transfugiant. Dubium enim non est, quin simul cum Essentia sua, quæcunque circum ipsam fluũt Pater in Filium & Spiritum sic plenè transfuderit vt planè ipsius & illorum vna eadémque sint omnia. Sed quia non concedunt in Deo adiectiuorũ & substantiuorum eandem esse notationem, ac putant cum Arist. in categor. *Aristotele ex communi vsu Adiectiua, etiam hîc, præter formam & qualitatem (quam solùm Substantiua declarant) subiectum quoque designare, age videamus quatenus formulæ Athanasianæ,* Non tres æterni sed vnus æternus, non tres omnipotẽtes, non tres increati, nõ tres Domini, non tres dij, sed vnus omnipotens, increatus, Dominus, Deus, *cum receptis poßint conspirare.*

Cata. in I. c. Genes. *Hîc lubens Ambrosium Catarinum sic loquentem audio.* » *Ferè quoties Elohim (i. dij) iũgitur verbo, quia* » *verbum actionem significat, ipsum verbum singulari* » *numero aptè poni consueuit, ne plurificari videatur* » *actio & virtus agentium, quæ prorsus est vna.* » *Quando verò cum nominibus adiectiuis coniungitur, non metuit Scriptura ponere adiectiuum in* » *Plurali numero, quoniam per illud nec actio aut virtus, ac proinde nec eius substãtia siue essentia plurificatur. Secus autẽ esset, si substãtiuũ nomẽ adiũgeretur, vt*

» *elegãter docet* B. Thomas. *Quare cõcedimus tres existentes, tres ſapientes, tres immenſos, tres æternos, tres creantes, non tamen tres* Deos, *nec tres creatores*. Nec *me fugit* B. Athanaſium *non concedere tres æternos aut tres immenſos*. Hoc *enim fecit (vt rectè declarat* B. Thomas) *ſapientiſsimè & ad neceſſariam cautelam propter ſenſum falſum, qui poſſet inde accipi, nimirum ſi hæ voces ſubſtantiuè acciperentur, ſicque plurificaretur aut æternitas aut immenſitas, potuiſſet tamen concedere & ad ſenſum verum reducere*. Legimus *enim de* Deo *vero*, Non *eſt natio tam grandis, quæ habeat* Deos *appropinquantes ſibi*. Dixit, Deos *appropinquantes, vt* Trinitatem *ſignificaret*. Quoniam *autem* Thoma Aquinate *ſe niti profitetur, audiamus etiam, quid de hoc argumento ille ſcriptis mandauerit*. Nomina *ſignificãtia diuinam* Eſſentiam *ſubſtantiuè ſingulari numero & nõ plurali de tribus perſonis enuntiantur*. Hæc *igitur eſt ratio quare* Socratem, Platonem *&* Ariſtotelem *dicimus tres homines*, Patrem *autẽ &* Filium *& ſpiritum* S. *non dicimus tres* Deos, *quia in tribus indiuiduis humanæ naturæ ſunt tres humanitates, in tribus autẽ perſonis eſt vna diuina eſſentia*. Ea *verò quæ ſignificant eſſentiam, adiectiuè prædicantur pluraliter de* Tribus *propter pluralitatem diuinorum indiuiduorum*. Dicimus *enim tres exiſtentes, vel tres ſapientes, aut tres æternos & tres increatos & immenſos, ſi adiectiuè ſumantur*. Si *verò ſubſtantiuè accipiantur, dicimus vnũ increatum, immenſum & æternum, vt* Athanaſius *tradidit*. Ex *his ergo collige earum omnium enuntiationum, quas* Athanaſius *coaceruauit, non omnino idem eſſe iudicium*. Nam *non ſimpliciter negandum*

In diuinis quid concedẽdum.

Nota.

Nota.

Deut. 4.

Tho. I. q. 39. art. 3.

» omnino in Deo locum non habet. Vnde in tribus sunt » tres humanitates numero differentes, & sola ratio hu» manitatis in eis communis inuenitur. In tribus autem » diuinis personis, non tres diuinitates numero differen» tes, sed vnam simplicem deitatem, necesse est esse, & » sic non tres deos, sed vnum confitemur propter vnam » simplicem deitatem in tribus personis.

Ex eadem hypothesi proficiscitur, quod Robertus Holcotius eiusdem familiæ Theologus tradit propositionum Athanasii, quarum prædicata adiectiuis constant, veritatem delitescere in Eclipsi substantiui pluralis, Dij. Quid ipse scribat, ausculta. Ad secundum » quando arguitur fidem ponere contradictoria in Sym» bolo, quando ait tres esse coæternos, & tamen non » esse tres æternos, &c. Firmiter potest dici ad mentem » conditoris Symboli & de esse symboli credentis, quòd » in rei veritate tres personæ sunt vnus Deus æternus, » & tamen sunt tres personæ coæternæ & coæquales, » & illa duo non plus repugnant, quàm dicere Deus est » tres personæ & vnus Deus. Vnde quando dicitur, Et » tamen non tres æterni, supplendum est, Dij, & ita » litera plana est, ac sine contradictione. Vnde in isto po» steriori versu principaliter intendit asserere coæqua» litatem personarum, vnde ait, In hac Trinitate ni» hil prius aut posterius, &c. Ita vt affirmatio non » cadat super pluralitatem personarum æternarum vel » æqualium, sed super æqualitatem, quæ importatur in » illo, cùm dicitur, coæternæ & coæquales. Aliter » dicitur secundum Thomam, quòd iste terminus AE» ternus, potest capi adiectiuè vel substantiuè. si sub» stantiuè non prædicatur nisi in singulari. si adiectiuè, » sic Pater, & Filius & Spiritus S. sunt tres æterni trés-

Holcot. q. 10. determinationũ ad secundum arg.

Nota.

D. Thomas ad Annibaldũ lib. 1 sent. dist. 21 q. 2. art. 2.

que personæ habentes æternitatem.

4. sentẽtia. *Ab hac opinione duntaxat verbis commentatio eorum distat, qui persuadere exoptant adiectiua à numeralibus quibuscum construuntur substãtiua effici.* Numeralia addita adiectiuis ipsa reddunt substãtiua. *Hinc enim fit, vt non ferant eos, qui affirmant simpliciter tres æternos, tres deos, sine hac interpretatione.* Tres æterni, tres dij, *id est, per appositionem tres qui sunt æterni, qui sunt dij: vel quorum quisque æternus sit,* Deus, Dominus. *Adiectiuã autem & substantiuam constructionem absolutè reiiciunt, ne substantiæ multiplicitas vlla ex parte significari videatur, quod hæc sit eius, quod substantiuum dicitur, propria notatio, vt ex hoc* Hetteriani *sermone perspicitur.* » *Posse (Dei) singulariter intellectum substantiuè dicitur. i. substantiam declarat, ex eo quod vnum sunt tres personæ, pluraliter autem proprietates.* (Hetter. lib. de process. spiritus s. primo. cap. 15.)

Quinta explicatio. Aliac. q 5. primi sent. *Hæc cùm* Petro Aliacensi Cardinali *minus satisfacerent, versuum istorum aliam interpretationem indagare coactus est.* In symbolo, *inquit, cùm concedãtur tres coæterni, miror quare ibidem negentur tres æterni, nec video rationem diuersitatis. Postea dum quærit, sit'ne aliquo sensu concedendum tres esse deos, quid his responderi velit, indicat.* Ait Dei *nomen* Dei nomen bifariàm sumitur. *aliquando sumi essentialiter, atq; ita reciprocari cùm essentiæ diuinæ seu diuinitatis vocabulo, eique esse planè συνώνυμον: aliquando intelligi personaliter, supponeréque συνωνύμως pro diuina persona, & sic* Deũ *generari à* Deo, *&* Christum Dei *esse* Filium. *Priore designatione non concedendum esse tres deos, ne* Dei *essentia multiplex existimetur. Posteriore, quemadmodum istæ propositiones recipiuntur,* Non tantùm est vna persona diuina, *vel,* Tres sunt personæ

diuinæ, quarum quælibet est Deus, *sic agnoscendas esse has*, Non tantùm est vnus Deus, *vel*, Plures sunt dij, *quòd tales idem penitus valeant iuxta hanc alteram significationem, idque apparere per nominis rationem atque vim. Ex quibus elucescit Aliácensem multo magis confessurum fuisse tres æternos, tres immensos, tres omnipotentes, quatenus hæ adiectiones è sua significandi natura ad personas referuntur.*

Ego, vt mei aliquid afferam, primùm existimo has enuntiationes, Tres sunt immensi, tres æterni, *cum similibus, in quibus attributum ex adiectiuo conficitur, non esse eiusdem momenti & ponderis, atque hæ*, Tres sunt dij, tres sunt domini, tres sunt creatores, *&c. quarum extremum vocabulum substantiuo constat. Ad id communiēdum sufficiunt, quæ suprà de adiectiuorum & substātiuorum naturis adumbrauimus. Deinde Athanasium puto eas noluisse censeri eodem calculo, sed posteriores simpliciter negari voluisse propter auctoritatem scripturæ, quæ apertè vociferatur, Audi Israël, Deus tuus Deus vnus est, Et, nunquid vnus creauit nos? Hæc enim vnitatem singularitatémq; monarchiæ atque actionu, & identitatem essentiæ liquidò demonstrant. Priores autem propter Arianos adiecisse, ne in vocabulis, quibus ad suam ἑτερουσίαν abutebantur, cum ipsis communicaremus. Id apparet ex γνωμολογίᾳ*, Quia sicut sigillatim vnamquanque personam Deum ac dominum cōfiteri Christiana veritate compellimur, ita tres Deos ac dominos dicere Catholica religione prohibemur. *Quorsum enim præcedentes attributiones, recensendo non enumerasset, neque sub-*

Sexta explicatio.

Deut 6.
Mal. 2.

sonam Deum aut dominum confiteri. *Interroganti enim quid Pater, quid Filius, quid spiritus sanctus, necessario secundũ scripturas de singulis respondemus, Deus est, dominus est, creator est, quoniam in singulis eadem est deitas, æqualis gloria, par efficacitas, tota in Patre, tota in Filio, tota in Spiritu S. citra vllam differentiam & diuersitatem, adeò, vt iuxta D. Ambrosium sit in Patre totus Filius & totus in Verbo Pater. Hinc de Patre pronuntiatur, Deus generat, de Filio, Deus caro factus est, dominus gloriæ crucifixus est, de spiritu S. Dominus est spiritus, spiritus est Deus.* Ambr. in hymnis. Ioan. I. I. Cor. 2. 2 Cor. 4.

17 Ita tres deos aut dominos dicere prohibemur. *ne substantiæ vnitatem, singularitatémque eximiam aliquo pacto diffiteri videamur, cùm in sanctis hypostasibus tam singulatim quàm coniunctim consideratis exactissima, planéque admiranda sit identitas nec personæ tres & duæ, sint plusquam singulæ, ideo tantùm concedendus vnus Deus, vnus Dominus, vnum rerum conditarum principium, vna causa, vna essentia, vna bonitas, vna sapiẽtia, vna diuinitas, vna maiestas, vna beatitas, vna æternitas, & quid nõ? Quod ita à Ruperto Tuitiensi proditũ extat.* Ioan. 4. Rup. libr. II. de diu. Offic. c. 4.

» *Nunc & antequam quicquã faceret vnus idémque*
» *& solus erat Deus, sed non desertus & solitarius. Solus,*
» *inquam, in substantia, solus & vnus, sed non in persona. Posset etiam dici nomen* Deus *interdum spectare ad personam, & eo sensu esse tres deos & tres dominos, id est, tres diuinas personas, interdum idque sæpius, ad essentiam referri, vt cùm Deus creare pronuntiatur, túmque vnicus est Deus benedictus in sæcula.*

18 Pater à nullo est factus, *Mihi placet Græca*

Bayffiani exemplaris lectio, in quo vox factus, *ποιη-τὸς, desideratur. Quemadmodũ autẽ hactenus recensuit Athanasius, quæ communẽ personarũ triũ rationẽ attingebãt, ita deinceps exponit quæ ad singularũ notationem pertinent. Patri proprium ait à nullo esse, siue etiam iuxta Latinam nostram editionẽ, à nullo effectum esse, quòd non habeat aliunde, siue vt sit, siue vt Pater sit, vt pote ingenitus simul ac æternus. Qui rixantur de αὐτοθέῳ duobus modis in hunc articulum peccant. Primùm cùm introducunt personas diuinas, quæ à seipsis existant. A qua locutione consultò Athanasius abstinuisse videtur, ne indicaret hypostasim aliquam sui esse principium & causam, sibíve dedisse originem. In quo errore versari Cœlium Lactantium primo huius operis libro ostendimus. in quo & volutari possent, qui peruersè interpretarentur vetus Oraculum à Iustino martyre in parænetico prolatum.*

Autotheani duobus modis hic peccant.

Μοῦνοι χαλδαῖοι σοφίην λάχον, ἠδ' ἄρ' ἑβραῖοι
Αὐτογέννητον ἄνακτα σεβαζόμενοι ἁγνῶς.

Soli Chaldæi & Hebræi sapientiam nacti sunt, castè à se genitum regem Deum colentes. In eo enim αὐτογέννητος vel pro infecto debet vsurpari, vel pro eo, qui à nullo pendens seipso constat. Etsi autem Richardus Victorinus primo libro de Trinitate substantiam primam principalémque à semetipsa esse ostendere conatur, obseruabis tamen eum tali dicendi formula valde impropriè vsum, rectéque monere ipsius interpretem satius fuisse, vt sine præpositionibus, a, ab, ex, huiuscemodi enuntiasset, ne causæ efficientis pareretur phantasia, cùm dicimus, A seipso est. *Nihil quippè seipsum efficere. Secundò cùm præter Patrem, Filium*

quoque aiunt à seipso existere. Tántum enim abest, vt hoc Catholicæ consentaneum sit, vt ne quidem à se habeat aliquid, sed à Patre omnia. Quod citra obscuritatem declarabit mox Athanasius, Filius à Patre solo est non factus, nec creatus, sed genitus. *Quarè cùm quæritur, An Filius sit sapiens seipso, aut quippiã huiuscemodi, respondendum,* Seipso *Duo significare.* *Nota propter Autotheanos.* *Itaque si seipso sapere, esse, posse, &c. est à seipso hæc ipsa obtinere, enuntiatio falsa est. Verè autem pronuntiatur hæc habere seipso, id est, per seipsum, siue hoc ipso, quod sit, quemadmodum apud Hilarium affirmatur Filius nõ à se, sed per se agere.* *Hilar. lib. 9 de Trinit.* *Natura, inquit, cui contradicis hæretice, hac vnitate est, vt ita per se agat Filius, nec à se agat. sic enim à Filio, dum eum negat à se agere, auctoritatem principij remouet, cùm verò per se agere confitetur, in eo naturæ vnitatem astruit. sed hæc pluribus supra disputata sunt. Pater autem quòd sit solus αὐτόθεος seipsoque Deus (à seipso enim κατηχητικῶς dicitur) à nullo est neque creatus, quia ἄκτιστος & ἀγένητος, neque genitus, quoniam ἀγέννητος, itémque principium sine pr.ncipio.*

19 Filius a Patre solo est. *tùm ratione personæ, tum ratione essentiæ.. siquidem, vti Hilarius scribit, nihil nisi natum habet Filius.* *Hil. lib. 4. de Trinit.* *Nec tamen continuò efficitur essentiam generari, cùm actiones & perpeßiones prius ad personas referri debeant, quàm ad essentias. secundo autem loco per quandam consecutionem ortum essentiæ tribui non habemus pro incommodo.* *Nota cõtra Autotheanos.*

20 Non factus, nec creatus. *Ne putes istis continerḯ inanem verborum sonitum & ταυτολογίαν. Dum enim ait Filium nõ factum, versutos illos Arianos impetit, qui ab Eusèbio Nicomediensi episcopo Eusebiani*

dicti sunt. Isti creaturæ vocem declinabant velut mundo inuisam, qui maiestati domini sui, à quo tota salutis spes dependeret, tantopere detrahi non sine horrore ferebat. Isti ergo suum virus melle oblinentes negabant creatum, factum verò non modò prædicabant, sed & ad istud confitendum pios compellebant inani multorum conciliorum titulo, adiectis etiã persecutionibus, quemadmodum historiæ Ecclesiasticæ testificantur. Hoc autem specioso vocabulo significare cupiebant Christum non esse naturalem Deum, sed deificatum, id est, Deum factum & essentiatum, ac dono atque gratia ad tantam maiestatem peruenisse. Fuêre qui vocem creandi molliorem existimarẽt, modò aliquid adderetur. Hi quoq;, sicuti prodidit Theodoritus, Psathyriani dicti Arij paradoxum temperare videri dum vellent, Christum ab omni æuo creatum, atque sine temporis principio extitisse fatebantur. Idẽ enim esse in Deo à perennitate creare & gignere. Sed tempore Athanasii crassi quidam extiterunt, qui verbis Arij simpliciter inhærescentes, non dubitabãt pronuntiare Christum esse creaturam simplicem, ac ex eo quod non erat simpliciter, in id quod est, more reliquarum rerum procreatarum substitisse. Hos hoc loco videtur impetere Athanasius, dum Christum non modò non factum, sed etiam non creatum perhibet. Non aliena porrò interpretatione Christus poterit dici Filius non factus, id est, non adoptatus, non assumptus, siue per adoptionem, siue per meritum in honoram diuinorum participationem. Non creatus autem, quòd neque creatione, neque formatione in lucem sit editus. Est enim naturalis Dei Filius, vt protinus voce Geniti exprimitur.

Quid factum.

21 Sed

21 Sed Genitus. *Locutio ſumpta ex* Catholica Io-
annis Apoſtoli. πᾶς ὁ ἀγαπῶν τὸν γεννήσαντα ἀγαπᾷ καὶ τὸν
γεγεννημένον ἐξ αὐτοῦ. *Quicunque amat qui genuit, amat* I.Ioan.5.
& eum, qui genitus eſt ex ipſo. Hanc vocem olim
quidem Ariani *vſurpabant, ſed vt ex ea* Filij *naturā* Epiph.con-
diuerſam à Patris *ingeniti natura oſtenderent.* Atqui tra Aëtiū.
contrarium prorſus inde efficitur, cùm etiam in rebus & Baſilius
humanis, genitoris ac geniti ſubſtātia ſit ὁμοούσιος. Eſto contra Eu-
ergo Pater *ingenitus, quemadmodum res habet,* Filius nomium.
verò genitus, quid inde, obſecro, ſequetur aliud, quàm
Patrem *ſuā ſubſtantiā* Filio *impertiuiſſe?* Quod autem
ratiocinabātur Filium, *quia genitus diceretur, fuiſſe,*
quando non extitiſſet, atque ſic ex non extantibus in
rerum naturam emerſiſſe, fallebantur turpiſſimè. Vox
enim Geniti *tantùm notat ordinem originis, tantúm-*
que ponit in Patre *dignitatem principij & quaſi cau-*
ſæ, nec verò ſubſtantiam attingit, imò verò eneruat
penitus Arianorum *perfidiam.* Nam *gigni infert, non*
quidem eſſe de nihilo, vt iſti quidem rebantur, ſed eſ-
ſe de gignentis ſubſtantia, quod quo modo intelligī
debeat, infrà, Deo *propitio tā aduerſus* Arianos, *quàm*
Autotheanos *audies.* Quamuis *autem* Filius *non ſit de*
genere creaturarum, tamen, vt Baſilius *annotat, habet*
aliquid cum his commune, nempe accipere à Patre
quæcūq; obtinet. Sed *in eo ab his differt, quòd natura*
neceſſitatéq; habe atque à Patre *accepit, vt ꝓpter hāc*
prærogatiuā à Paulo Primogeniti *vocabulo inſignitus*
quibuſdam videatur. Cætera *à* Patre *accipiunt qui-*
dem omnia, ſed dono, largitate, munificentia, precario.
22 Spūs S. &c. *Quēadmodū omnia* Patris *facta ſunt* Ioan.17.
Filij *per generationē iuxta illud,* Oīa *mea tua ſunt, &*
omnia tua mea ſunt. ſic eadem oīa à Patre *&* Filio *per*

ſpirationem spiritui impertiuntur. Non *eſt autem mirandum, quòd* Athanaſius *præter recentem* Græcorũ *morem à* Filio *etiam spiritum procedere tradiderit, cùm præſertim veteres omnes* Græci *in eam quoque ſententiam certatim ierint, vti aliquando* Deo *vitam ſuppeditante commonſtrabo.* Præterea *neminem conturbare debet, quod* Tertullianus *contra* Praxeam *per* Filium *id fieri dixerit.* Nam *etiam veteres* Græci *ita loquũtur, ídq; quoniã* διὰ & ἐκ & παρὰ, *vt probat in libro de spiritu ſancto ad* Amphilochium Baſilius, *eandem habent vim, cùm de* Diuinis *perſonis vſurpantur, ac tantùm pertinent ad hypoſtaſes diſtinguendas.* Intereà *ex filio procedere apud* Ambroſium, Auguſtinum & Theologos Latinos *vſitatius dicitur, ne duarum* Spirationum *productionúmve* Spiritus Sancti *detur ſuſpicio.* Quæ *quàm abſurda ſit internoſcet is, qui mentem ad alias emanationes adiiciet.* Quemadmodum *actus* Patris *& matris non efficiunt duas generationes, opificia duorum eandem nauim conſtruẽtiũ duas fabricationes, ſic nec duæ ſpirationes cenſendæ ſunt, cùm* Pater & Filius *æquali fœcunditate* Spiritum *ex ſe profundunt.* Cæterùm *propter hanc vnitatem actionis duæ quoque* spirationis *principia, itémque duos ſpiratores negamus.* Nã *quamuis in humanis agentibus* Pater & Mater *ſint duo genitores,* Fabri *illi, quos ad eandem nauem componendam conueniſſe meminimus, duo opifices, tamen duo ſpiratores in diuinis non magis conceduntur, quàm tres creatores, ne præbeatur occaſio ſuſpicandi diuerſam eſſe vnius ab altero actionem, quæ actionis diuerſitas in humanis notatur facilè.* Nam *verbi cauſa aliud in eadem naui exercet vnus opificum, aliud al-*

Cur ex Filio *potius quã per* Filium.

Propter *vnitatẽ* Spirationis *vnus ſpirator.*

ter, in humana propagatione aliud præstat Pater, aliud Mater, ille genitale semen tanquam causam efficientem, hæc vasa & sanguinẽ & multa alia, quæ ad causam materialem referuntur suppeditat. Nec tamen inficiandum Patrem & Filium habendos pro duobus spirantibus, vti non negamus eosdem cum S. Spiritu tres esse creantes, quòd adiectiua, in quibus participia numeramus, potius personas ipsas quàm vel formam vel formæ qualitatem delinient. Porrò per Filiũ procedere etiam dici potest, sed tamen abstinendum ab huiusmodi locutione propter eos qui plenius perfectiúsve spiritum à Patre, quàm à filio manare existimauerunt, cùm vtriusque eadem prorsus spirandi actio existat. sic ferè annotatum ab Auctore libri contra Septimam synodum, qui Carolo magno ascribitur. Alteram, inquit, vim habet, ex, præpositio, & alterã, per. Et idcirco quæri potest, vtrum rectè dici queat spiritus s. à Patre per Filium procedere, ne dum incautè hæc præpositio, per, in tanti mysterij professione ponitur, Ariani erroris virosum cuiquam poculum ministret, qui Spiritum S. creaturam esse, & per Filium, sicut & cætera, quæ creata sunt, creatum esse blasphemat. Et post multa. Per Filium verò eum à Patre procedere profiteri Synodicæ confessioni inusitatum est: quoniam spiritus s. vt à Patre procedat, non eget alterius auxilio, vt per aliquem procedat, cùm vtique sit tertia in eadem Sancta Trinitate persona & vnius cum Patre & Filio sit potestatis atque essentiæ.

Pat. & Fil. duo spirãtes.

Lib. 3. cap. 3.

23 Procedens. Generatio existit cùm vnum est solum agẽs synonymum, vt cùm arbor Ramum vel surculum sibi ὁμώνυμον, gignit, vel cum vnum præcipuum, vt in humana procreatione, in qua agens præcipuum

Bas. ad Amphilochiũ.

Theod. lib. 1. polymorphi.

est Pater. Nam Mater principium est potius patiens, vnde & materiæ comparatur. Quod à B. Paulo significatum notauêre Basilius & Theodoritus Episcopi, dum scriberet, Quemadmodum mulier ex viro, sic vir per mulierẽ, præpositionibus commutatis aliquid de efficientia imminuentibus. At processio, quando ad speciem restringitur (est enim alioqui genus ad generationem & spirationem) tum existit, cùm duo agunt æqualiter, vt hac in processione, in qua Pater & Filius æqualiter Spiritum emittunt. Atq; hæc est causa cur Epiphan. in Anchorato cẽseat spiritum dici procedẽtem, non genitũ, Filiũ autẽ genitũ non procedẽtem.

24 Vnus ergo Pater non tres Patres. D. Ignatius in Epistola ad Philippenses, cuius hoc Symbolum videtur epitome, integrum hunc versum habet. Nam vbi ea quæ ad Trinitatem personarum faciebant, explicasset, similiter colligit, ὅτι οὐ τρεῖς πατέρες, οὔτε τρεῖς υἱοί, οὔτε τρεῖς παράκλητοι. ἀλλ' εἷς πατὴρ καὶ εἷς υἱὸς καὶ εἷς παράκλητος, hæc deinde exponens, διὸ, inquit, κύριος ἀποστέλλων τοὺς ἀποστόλους μαθητεῦσαι πάντα τὰ ἔθνη ἐνετείλατο αὐτοῖς βαπτίζειν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος· οὔτε εἰς ἕνα τριώνυμον, οὔτε εἰς τρεῖς ἐνανθρωπήσαντας, ἀλλ' εἰς τρεῖς ὁμοτίμους. Neque igitur tres Patres neque tres Filij neque tres paracleti, sed vnus est Pater, vnus Filius, vnus Paracletus. Itaque Dominus mittens Apostolos ad docẽdũ omnes gentes, ipsos iussit baptizare in nomen Patris, & Filij & Sancti spiritus, non in vnum, qui tribus nominibus constaret, neq; in tres qui carnẽ humanã assumpsissẽt, sed in tres honore pares. Hæc igitur videntur ex superioribus colligi aduersum Sabellianos, qui personas confundebant neque re & subsistentia eas distinguebant. Nam quæ

subnectit Ignatius, unde hæc ab Athanasio decerpta sunt, ostendunt ista eò pertinere, ne scilicet Deum trinomium putemus, néve personarum proprietates in vnam hypostasim ita constringamus, vt si verbi causa, incarnationem vni tribuerimus, cæteras quoque existimemus per quandam connexionem incarnatas. Ita enim essentialia vniuersa singulis sunt communia, vt tamē proprietates sint incommunicabiles, propter differentem existendi modum. Quare sicut in diuinitate non potest esse nisi vna hypostasis quæ seipsa sit, id est, Pater, sic non potest esse plus vna, quæ ab vna tantùm emanet, qualis est Filius, nec nisi vna sola, quæ à duabus profluat, id est, Spiritus S. Id quoque propter Arianos commemoratum est, qui vt Nostris Sabellianismi inuidiam conflarent, inculcabant vnum esse Patrem non duos Patres, vnum Filium non duos Filios, vt Arianus quidam Mediolanensis Episcopus in Epistola ad Hilarium Pictauiensem facit. Fatetur vltrò id Athanasius, nec à suis negari hoc versiculo testatū reddit. Quod autem non inde efficiatur, quod putabant Ariani, multos esse deos docet Basilius in homilia contra Sabellium, Arium & Anomœos, Non duo, inquit, Dij, neque enim duo Patres, qui duo quidem inducit principia, duos prædicat deos. Et Tertullianus sub extremum libri de Trinitate, vnus est Deus non duo, quia vnus Pater non duo, vnus innatus nō duo. Sed & ista libris superioribus explicauimus.

25. Vnus Spiritus sanctus non tres Spiritus sancti. *Nomen spiritus sancti quatenus relatum est & comparatur cum his, quorum est Spiritus (vt fit cùm à spirando notationem sumere intelligitur) proprium est hypostasis, quæ in Trinitate tertio ordine ponitur.*

Ea est quæ per spirationem à duobus sola processit.
Quare spiritus sanctus sic vocetur. Quanquam etiam id nominis peculiariter sibi potest vendicare ex attributione, quæ est sanctitas. Eam enim inspirare & infundere peculiariter in scripturis dicitur, adeò vt à Paulo nominetur, spiritus sanctificationis, quia quemadmodum in Filio Dei adoptamur in Filios & hæredes Dei, cohæredes autem ipsius ac in Dei imaginem reformamur, sic in spiritu sancto signamur & renouamur spirituali signaculo, purgante & sanctificante conscientias nostras. Quatenus autem vocabulum spiritus sonat spiritualem essentiam, cùm Pater spiritualis sit essentia, similiter & Filius, cùm etiam vterque natura sanctus sit, certè commune est tribus sanctis hypostasibus atque adeò cum Dei voce reciprocatur. Id sæpe apparet apud Hebræos, apud quos רוח הקדש solet opponi carni & sanguini, id est, homini. Qua fortassis notione possit explicari quod in Matthæo legitur, Quod in ea natum est de Spiritu sancto est, vt illic Dei opus humano opponatur ac significetur Christum conceptum non humano congressu, vt poterat suspicari Iosephus, sed Dei vi atque efficientia.

Rom.1. Rom.8. Gal.3. Tit.3. 2.Cor.3. Matt.1.

Quid peccatum in Spiritum s. In quam acceptionem lubens deflexerim quod de peccato in spiritum sanctum nunquam remittendo affirmauit dominus, cùm illic apertè Spiritui sancto, id est, mea quidem sententia, Deo opponat Filium hominis, id est, hominem. Omne, inquit, peccatum & blasphemia, qua peccatur in homines vobis quidem remittetur, qua in Deum, non item, ut sit sententia, quam aliis vocabulis Heli enuntiauerat, Si peccauerit vir in virum placari ei potest Deus, si autem in dominum quis peccauerit, quis orabit pro eo? Vnde & Filij heli, qui tale scelus perpetrauerant, iusto Dei peccatum peccato

Matth.12. 1.Reg.2.

vlciscētis iudicio, non audierunt, inquit scriptura, vocem Patris sui, quia voluit dominus occidere eos. Significat ergo Christus cùm de peccato in Spiritū S. disputat, impietates & cōtumelias, quib⁹ afficitur Deus non facile cōdonari, vti de idololatria & infidelitate comminatus olim per Mosem fuerat, zelotes est, &c. Et Exod. 20.
sic ferè Noster Athanasius videtur intellexisse dum in libro de communi essentia Patris, Filij & spiritus S. ita scribit. » *Qui dixerit verbum contra Filium hominis,* » *hoc est, in corpus eius seu humanitatem, ei condonabi-* » *tur, qui autem in Spiritum sanctum impingunt, atque* » *ita in Christi deitatem blasphemias iactant, nimirum,* » *quòd in Principe dæmoniorum eiiceret dæmonia (de* » *istis quippè loquitur) non recipiunt remissionem neque* » *in hoc neque in futuro sæculo.*

26. In hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus. *Pater aliis prior non est vllo prioris modo apud Philosophos tradito. Non tempore, quia alij omni ex parte æterni sunt, Nō natura, quoniā eadem prorsus atque ad numerū essentia. Nō omnium dignitate, cùm inter se æquales sint. Non intelligentia, quòd nudis relationibus distinguantur. Relata autem sint simul, ac vnius intelligētia atque notio ex alterius conceptu pendeat. Prius pluribus modis non dicitur, nisi fortasse vsurpes prius natura cum Augustino, pro eo, quod aliquid alio prius esse dicunt Scholastici origine. Quæ certè acceptio est aliquātulum impropria, & secūdum eam Pater prior est Filio (maiorem etiam dicerent Græci & Tertullianus, quemadmodum paulò pòst annotabimus) itémque Filius spiritu sancto, tanquam principium eo, quod de principio existit, τῷ αἰτίῳ scilicet. Sed de ea non loquitur Athanasius, vt*

quæ mox sequuntur, declarant, Totæ tres personæ coæternæ sunt & coæquales, *quæ perspicuè iacta sunt in inæqualitatem & diuisionem* Arij, *cuius hi erant ructus,* Erat, *quãdo non erat, & factus est ex non extantibus.* Maiorem autem *vel minorem* Deum *aliquem esse ad gentium deliria pertinet, non ad scripturæ dogmata, quæ magnũ quidem* Deum, *paruum autem nusquam commemorant, vti contrà* Arianos *scitè* Chrysostomus *disputat hom.6.in epist.ad* Philippẽses.
Tit.3. Prætereà *possumus* prius & posterius *ad duratione͂ propriè referre.* Maius autem & minus *ad quantitatem & qualitatem, sed eo modulo, quo ista* Deo *possunt attribui, qui supra omnem magnitudinem, quantitatem, qualitatémque eminentissimè alioqui collocatus est.* Omnes *nempe personæ duratione, magnitudine, qualitatibus, proprietatibus pares sunt.*

27. Sed totæ tres personæ sibi coæternæ sunt & coæquales. *Gradu, potestate, & tempore.* Totæ, *inquit, quantæcunque sunt, sibi coniunctim ac distributim coæternæ sunt ac inter se æquales.* Totas enim *dixit, non* omnes. *ὅλας salua, integras, totas, respiciẽs non ad personarum numerum & vniuersitatem, sed ad integritatem, vt huc transferamus acceptiones totius, quod nunc dicitur vniuersale, nunc integrans.* Si*gnificat igitur non solùm totas personas sibi totis esse pares æqualésve, sed etiam duas hypostases aut tres nihil esse amplius, quàm vel vnam vel duas, nec tres simul aliquid plus, aut maius esse, quàm solum* Patre͂, *quàm solum* Filium, *quàm solum* Spiritum. Et *è conuerso vnũ non esse aliquid minus, quàm vel duos vel tres.* Eadem *quippè magnitudo, præstantia, perfectio, integritas, dignitas, & in cunctis & in singulis, par*

quoque & æqua. Quantum habet Pater, tantum diffudit in Filium. Quàm magnam & ingentem substantiam habet Pater & Filius, tam magnam, támque ingentem vicissim tribuerunt Spiritui sancto, vno alterum non superante, vt hîc frustra quæratur comparatio, quæ solet locum obtinere inter diuersa atque imparia. Exempli causa, esto trium Angelorum momento eodē in naturā editorū, quia peræquè sunt immortales. eadē immortalitas. Ea sanè tanta est in singulis, quātà in omnib⁹. Nā vnus nō diutius viuet, quàm simul oēs, nec omnes simul, quàm eorum vnus. Quod de cæteris, quæ in ipsis sunt paria, sentiendum eodem modo. Nec verò debet offendere, quòd Græci interdum Maius vsurpant de Patre, cùm id eo duntaxat consilio agant, vt principij authoritatem, causǽque eminentiam, ipsi tanquam diuinitatis totius fonti reseruēt, vtq́ue ostendant Filium & spiritū neque esse Patres, neque ἀναιτίους, hac vtētes voce loco ἀνάρχου, quemadmodum & causæ vocabulum vsurpant pro principio. Ideo enim volunt Christum dixisse Patrem se maiorem, quòd à Patre genitus esset, & omnia, quæ ipse haberet, à Patre tāquā à principio & fonte deduceret, iuxta quam rationem alibi quoque dixerat, Quemadmodū Pater habet vitam à semetipso, ita dedit Filio habere vitam in semetipso. sic igitur intelligendum est, quòd Gregorius Theologus lib. 2. de Theologia, tractans illud, Pater maior me est, *& coniungens cum illo,* Non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, *ait,* ἢ δῆλον ὅτι τὸ μεῖζον ἐστὶ τῆς αἰτίας, τὸ δὲ ἴσον τῆς φύσεως. *Maius, inquit, ad causam, æquale ad naturam pertinet. Nam etiam hunc Euangelij locum veteres sæpe ad diuinam domini originem retulerunt. Athanasius noster*

Quo sensu Pater maior Filio & Spiritu.

Ioan. 5.
Ioan. 14.
Phil. 2.

oratione 2. contra Arianos, Pater, ait Filius, maior me est, nō quidem magnitudine, aut ætate, sed quia ex illo ortum habebat. Ignatius *epistola ad Philippenses sic*
Pag.57. *Christum loquentem faciens*, οἶδα τὸν ἕνα, ἐπίσταμαι τὸν μόνον, ὗ σὺ ἀποστάτης γέγονας, οὐκ εἰμὶ ἀντίθεος, ὁμολογῶ τὴν ὑπεροχὴν, ἐπίσταμαι τὸν τῆς γεννήσεως αἴτιον. Agnosco vnū, *scio solùm, à quo tu discessisti (ô Satana) non sum* Deo *contrarius, confiteor eminentiam, recognosco genera-*
Damsc. *nis auctorem atque causam.* Damascenus, Aliqua di-
lib.4.de » *cūtur de Filio ante vnionem, quatenus scilicet ex cau-*
orth.ca. » *sa Patre exiſtit, veluti illud Pater, maior me est. Et lib.* 1.
20. » *cap.* 8. *Cùm audimus Patrem esse principium & ma-*
» *iorem Filio, causa intelligimus.* Hilarius *lib.* 9. *de Tri-*
» *nitate, Donantis auctoritate Pater maior est, nunquid*
» *per doni confessionem Filius minor est? Maior itaque*
» *donans est, sed minor iam non est, cui vnum esse*
Pag.618. *donatur.* Tertullianus *libro de* Trinitate, *alludens ad verbum* Domini, *Quem Pater sanctificauit & misit hunc in mundum, vos dicitis quia blasphe-*
» *mat, dicens, Filius* Dei *sum, sanctificatum (inquit)*
» *se à suo Patre esse proponit, dum ergo accipit san-*
» *ctificationem à Patre, minor est Patre. Minor au-*
» *tem Patre conseqēnter est, sed Filius. Pater enim si fuis-*
» *set, sanctificationem dedisset, non accepisset.* Hanc *autem quæstionem* Basilius *contra* Eunomium *præ-clarè absoluit, cùm post lōgam eius,* Pater maior me
» est, *tractationem, concludit.* Reliquum *est igitur, vt*
» Maius *hoc in loco dicatur secūdum causæ rationem.*
» *Quoniam enim à Patre Filij principium atque origo*
» *est, secundum hoc maior est Pater, vt causa & princi-*
» *pium. Propterea dominus dixit, Pater maior me est, sci-*
» *licet quatenus Pater est, Patre nihil aliud significante,*

quàm quod est principiũ & causa illius, qui ab ipso est ortus. Illud adumbrare designaréq; cupiebat Nicolaus Methonæ Episcopus, cùm in disputatione, quam aduersum Latinos de processione Spiritus Sancti susceperat, scriberet, Patrem maiorem quidem esse ratione personæ, sed nõ Naturæ. Nã certè cùm in diuinis rebus aliqua sit principij auctoritas & excellentia, Filius in ea non æquatur Patri, quòd à Patre omnia sua recipiat, nihil autem ab ipso Pater. Quo fit, vt Tertullianus idem quoque de Spiritu Sancto comparatione Filij à quo perinde ac à Patre ille habet vt sit, non dubitauerit pronuntiare. Tractans enim testimonium, quo Christus Paracletum dicit de suo sumpturum, quæ Apostolis patefaciat, Si à Christo, inquit, accepit quæ nuntiet, maior ergò iam Paracleto Christus est, quoniam nec Paracletus à Christo acciperet, nisi minor Christo esset. Minor autem Christo Paracletus, Christũ etiam Deum esse hoc ipso probat, à quo accepit, quæ nuntiat, vt testimonium Christi diuinitatis grande sit, dum minor Christo paracletus repertus, ab illo sumit, quæ cæteris tradit. Hanc itaque principij dignitatem considerantes prisci illi, sic de sanctis Hypostasibus diuersè loquuntur. Multa enim huiuscemodi in Clemente, in Pastore, in Ignatio, Iustino, Irenæo, Tertulliano legimus, atq; aliis, qui ante Arianam hæresim scripserunt, ita vnam in tribus personis essentiam venerati, vt tamen originem, originísque consequentiam celebrauerint. Nũc postquàm Arius & Macedonius cœpêre maiestatem Filij Dei & Spiritus sancti minuere, omisso isto loquendi more apertis verbis tres personas æquales cum scripturis prædicamus, nihílque vni tribuimus, quod non item cæteris. Hoc certè, boni ex hæ-

Ioan. 16.

rebus magna Dei prouidentia consequitur, vt quæstiones, quæ nunquam anteà agitatæ obscuriores videbantur, postquàm oppugnari cœptæ sunt, illustriores & magis dilucidæ euadant. Est & alia huius dicti, Pater maior me est, *interpretatio ab hac longè differens, quam* Latini *magna ex parte amplectuntur. Etsi autem eam paulo inferius explicaturi simus, tamē ne lectorem animi pendentem eo vsque teneamus, hîc paucis adducam* Cyrillum *qui vtramque sententiam afferens, magis in eam propendet, quā* Latini *sequuntur.* Relinquitur, *inquit, vel quia ex* Patre Filius *est, vel (quod magis nos credimus) propter incarnationis dispensationem maiorem* Patrem Filio *à scriptura esse appellatum.* Cætera *suo loco.*

Cyrill. lib. 2. Thesaur. cap. 3.

28 Ita vt per omnia & vnitas in Trinitate, & Trinitas in vnitate veneranda sit. *Quid hæc significaret formula initio huius commentationis declaratum est.* Nempe *vna essentia in tribus personis, & tres personæ in vna essentia colendæ adorandæq́; sunt.* Nam *cùm deitas siue diuina essentia non possit multiplicari, liquet in* Patre, Filio, & spiritu s. *vnam numero credendam atque confitendam esse essentiam verámque deitatem & partitionis expertem maiestatem.* Quoniam *enim* Pater *aliis personis totum suum esse diuinum tribuit nihil retinens, quin id ipsis communicaret, inter* Patrem, & Filium, & Spiritum S. *summa est æqualitas, summa essentiæ identitas, cui consubstantialitatis vocabulum indidimus, summa coæternitas, potestas eadem, eadem denique maiestas.*

ALTERA SYMBOLI PARS, quæ in incarnationis myſterij explicatione poſita eſt.

Q V O D *ad incarnationis ſacramentum attinet, quatuor hæreſes olim in* Eccleſia Dei *plurimas rixas genuerunt. Prima* Neſtorij *& aliorum eiuſdem metalli inficiantium in* Chriſto *hypoſtaſis vnitatem, proptereáque docentium alium eſſe* Filium Dei *& alium* Filium *hominis. Iſtorum ſenſa optimè omniũ mihi videtur expoſuiſſe* Nicolaus Cuſa Cardinalis *libro primo* Cribrationum Alcorani *prologo ſecundo.* Neſtorius, *inquit, faſſus eſt quidem in » Chriſto eſſe corpus, animam & diuinitatem, ſed circa » modũ vnionis errauit. Fatebatur corpus & animam » vniri vnione naturali, qua eſſet verus homo, ſed ho- » minem illum vniri diuinitati aiebat per gratiam, non » quidem communem, qua boni* Deo *vniuntur, verùm » per plenitudinem gratiæ, ob quam vna eſſet* Dei *& » hominis* Ieſu *volũtas, propter quam excellentiſſimam » gratiam de* Chriſto *verè enuntiaretur ipſum eſſe* Filiũ » Dei: *Sed non admiſit* Mariam *eſſe matrem* Dei, *quia id » quod in* Chriſto *reperitur à matre acceptũ, nõ conuenit »* Deo, *ſicq; voluit naturã humanã in ipſo eſſe deificatã. » Quoniã autẽ ſcribitur,* Verbum caro factũ eſt, *non au- » tem,* Caro facta eſt verbũ, *ideo hoc damnauit* Eccleſia. *Atq; hæc quidem ille, quæ plenius ediſſerũtur in actis* Cõcilij Epheſini *œcumenicorũ tertij.* Hãc *hæreſim totã quidẽ hodie renouauit* Adamus Paſtoris. *Dimidiã verò* Theod. Beza, *vt cõſtat, è lib. quẽ inſcripſit,* Placidũ *& modeſtũ reſpõſum ad* Ioãnis Brentij *argumẽta, quibus*

De Incarnatione 4. hæreſes.

Beza Nestorianus. *Carnis omnipræsentiam nititur confirmare. Duæ, inquit pag. 23. in Christo sunt vniones hypostaticæ, vna in corpore & anima simul personaliter vnitis, altera in λόγῳ & homine ad vnum Christum personaliter constituendum coëuntibus. Hanc labem posteà monitus à Brentianis ita studuit detergere, vt interim in libro de hypostatica duarum in Christo naturarum vnione aduersus Iacobi Andreæ assertionem, planè confiteatur pag. 64. & 65. semper se duas vniones hypostaticas in Christo ponere. Audis rediuiuũ Nestoriũ.*

2. Error circa incarnationem. *Altera Eutychis & cæterorum, qui dum separationem naturarum & diuulsionem declinare conabantur, in earum confusionem siue vnius in alteram mutationem impingebant. Negabant enim duas in Christo naturas diuinam & humanam permansisse integras & saluas à commixtione, ita vt eorum alij diuinitatem in carnem esse mutatam, alij carnem à diuinitate absorptam, alij illas ambas in vnam tertiam naturam coaluisse permutatásque fuisse defenderent. In eo hærent cœno hac tempestate Mennon & Gaspar Suencfeldius. Quantum his sint affines SchεKius Medicus in libello de duabus naturis, & Brentiani cæteri commodiùs aliâs tractabitur. Erroris autem fontem ad hunc modum indicauit Boëthius. Eutyches ita asserit assumptum hominem, vt humana natura non manserit, cuius error ex eodem fonte quo Nestorij prolabitur. Nõ enim putauit naturam duplicem esse sine duplicatione personæ, vt cùm non confiteretur duplicem personam, reputauerit consequens vnam esse naturam. Cæterùm contra hanc hæresim quartum concilium œcumenicum, id est, Calcedonense celebratum est.*

Tertiam Ariani inuexerunt. Nam iuxta eos Christus primogenitus ante omnes creaturas, id est, prima creaturarum extitit. Is verò fuit Christi corporati spiritus, hoc est, anima vocata spiritus, quem Pater nudo Christi corpori tempore adunauerit. Ità Arius in Christo corporis tantùm fatebatur assumptionem, huius verò formam esse prædicabat diuinitatē ipsi ante sæcula collatam, Christum incarnatum conflans ex nudo corpore & nuda essentia iam olim à Patre præbita, quam dicebat sufficere ad explenda & mentis & sensuum & vegetationis omnia officia. Testis Theodoritus libro quarto de hæreticorum nugamentis capite de Ario. καὶ μέντοι καὶ τὸν τῆς ἐνανθρωπήσεως ἠκρωτηρίασε λόγον. σῶμα γὰρ ἁπλοῦν ἄψυχον ἔφη εἰληφέναι, ἐνηργηκέναι δὲ τὰ τῆς ψυχῆς τὴν θεότητα, ὥστε ταύτῃ προσάψαι τὴν ἀπὸ τοῦ σώματος ἐξηρτημένην συμπάθειαν. *Et verò, inquit, humanæ etiam naturæ rationem mutilauit. Nam ipsum (dominum) corpus inanimum assumpsisse, in eo autem egisse animæ munia diuinitatem asseruit, ita vt huic attribueret affectus, qui à corpore insunt.* 3. Error.

Quartam introduxit Apollinarius, qui dum reformidaret ne diuinitas frustra crederetur coniuncta humanæ naturæ, si carni mens prætereà tributa putaretur, spoliauit Christum animo, ac docuit diuinitatem id eius carni esse, quod animi reliquorum hominum corporibus. Differebat autem ab Ario, quòd mentem Christo tantùm adimeret, non item animam brutam, quæ & sentiendi & vegetandi principium est, quasi Christus præter corpus, animam etiam sentientem assumpsisset. Hæc causa est, cur illum eleganter Gregorius Theologus scribat Christum fecisse ἄνουν, *non quidem amentem & insanum, vt inscitè quibusdam* 4. Error. Theod. de hæret. nug. cap. de Eutyche.

visum est. sed mentis animíque expertem, ac si ipsa diuinitas carnem ipsius, intelligentia & ratione informaret, viribúsque ad ratiocinantem naturam pertinentibus afficeret.

Ac istæ quatuor extiterunt hæreses, aduersum quas sequentia Symboli verba dictaturus est Athanasius. Optarem autem diutius in his immorari propter Sathanam, qui hoc æuo in nostram Europam venenatos halitus de hac re infudit, sed quia aliud est commentaria; aliud libros scribere, prolixiore disputatione supersedebo. Hoc vnum monebo, dictum Ioannis gratiosissimum, Verbum caro ἐγένετο, istis omnibus sectis Ioh. 1. *errandi ansam præbuisse. Apollinarius, itémque Arius hinc colligebant Christum carere anima, quòd solius carnis facta fuisset mentio. Nestorius interpretabatur, Verbum caro facta est, quasi verbum aduenisset in Christum iam hominem. Alij in carneam substantiam diuinitatem degenerasse, aut è contrario in diuinitatem humanam naturam demigrasse. Hos verò omnes etiam antequam planè emergerent diuino quodam afflatu, vt ante nos obseruauit Gregorius Nazanzenus oratione in Athanasium, quemodmodum præmonuimus, Athanasius iugulat, aptéq; , breuiter, & perspicuè istorum nebulas discutit. Veniamus igitur ad eius literam, ne dum naturas distinguere volumus, eas diuellamus ac separemus, rursus dum eas coniungere nitimur, permisceamus atq; confundam⁹ aut aliqua parte mutilemus. Aliud enim est distinctio, quàm disiunctio & separatio, quàm spoliatio, quàm mutilatio, Rursum aliud coniunctio siue vnio, quàm vel permixtio seu confusio, vel mutatio seu conuersio.*

29 Dominus noster Dei Filius & homo est.

propter

propter vnionem hypostaticam quæ medium quoddam est inter essentialem & accidētariam. Definitur autem à Græcis ἡ τὰς διαφορὰς οὐσίας ἤγουν φύσεις εἰς ἓν πρόσωπον καὶ τὴν αὐτὴν ὑπόστασιν συνάγουσα, Vnio quæ differentes essentias siue naturas in vnam personam, eandémque personam copulat. Atque hæc duarum naturarum in vnam personam coniunctio & tanquam coitio, incarnatio quoque appellatur, id est humanæ naturæ à persona verbi assumptio in vnam hypostasim atque subsistentiam, ita vt ex verbo diuino & humana natura vna persona seu vnum indiuiduum substantiæ conficiatur. Habet etiam alia nomina apud Græcos, quæ non carent emphasi, pertinéntque ad aliquam lucem tam obscuræ, tam arduæ vnioni afferendam, si dextrè intelligantur. A Nazanzeno nominatur σύνοδος, quasi conuentus & coitio, propter conuenientes, coëuntésque in vnum naturas. A Nysseno, vt in Polymorpho citat Theodoritus, προσεγγισμὸς, id est, appropinquatio, quòd naturæ sibi inuicem inseparabili accessu propinquent. A Chrysostomo συνάφεια, siue contactus, quoniam naturæ Christi sese per hanc corporationem contingunt. Apud Damascenum insignitur titulo περιχωρήσεως, quia diuinitas carnem immeauit, eique veluti sese immiscuit, vt loquitur Augustinus apud eundem Theodoritum libro 2. Polymorphi. satis autem impropriè, quia neque ἀλλοίωσις neque τροπὴ neque κρᾶσις, neque aliquod vocabulum simile huic ineffabili mysterio quadrat. Atque ob has omnes causas Dominus noster simul est Dei filius & Homo, & non solùm vtriusque naturam, verùm etiã vtriusque naturæ proprietates complectitur, ac per diuinitatem diuina opera exercet, per humanitatem

Quid Vnio hypostatica.

Theod. lib. 3. polym.

Damas. li. 3. de Orth.

humanis officiis, quatenus beati & immortalis corporis conditio hodie fert, fungitur quemadmodum olim dum in humanis versaretur, per ipsam quoque affectibus imbecillitati nostræ propriis obnoxius erat.

30 Deus ex substantia Patris ante sæcula genitus. *Christus dicitur genitus de Patris substantia, quoniam Pater non è nihilo, neque de extrinseco, sed ex eo, quod ipse est illum generauit. Et contrà quia ex Patre, qui est eiusdem cum ipso substantiæ suã accepit essentiã, neq; existit de aliena à Patre substãtia, neque de extraposita, neque de nihilo. Quoniam igitur Esse ex Patris substantia peculiariter opponitur ei quod est Esse è nihilo, age explicemus quid hoc posterius significet, vt ex cõtrario contrariũ melius innotescat. Esse è Nihilo tria portendit, primò aliquandò non fuisse, Deinde alterius ac differẽtis à causa esse substantiæ, tertiò è nulla antegressã materia emersisse. Huiusmodi neq; potest neq; debet haberi Christus, cùm semper extiterit, cùm eiusdẽ sit cũ suo principio. i. Patre essentiæ, cùm deniq; ex Patre subsistat, cuius substãtia est quasi materia in hoc sublimi ortu & ineffabili, nullo prætereà antegrediente, quod vel materiæ suspitionẽ præbere posit. Atq; inde Christus, qui & proinde secũda Persona Trinitatis dicitur, prius existere concipitur in Patre, prima videlicet persona, secundũ rationem originis & ...; posterius in seipso secũdũ hypostasim & subsistentiam. Cùm autem filius prædicatur de Patris substantia Genitus, præpositio* De *vel etiam* Ex *cogitationem transferre non debet ad crassum aliquid & corporale, sed vel admonere Diuinam Essentiam esse quasi materiam in hac verbi generatione, cuius proprietas hypostatica, quæ Filiationis nomine ob penuriam vocabulorum afficitur, extet veluti forma,*

Quid esse è Patris substantia.

Quid esse è nihilo.

Christus nõ est è nihilo, quæ causa etiã valet in S. Spiritu.

De vel Ex, præp.

vel declarare Filium genitum de Patris substantia, nõ quidem tanquam de materia, sed vt de aliquo sibi cõsubstãtiali & coæuo Nec sequitur, vt si de substãtia Patris generatus sit filius, sit quoque generatus de sua vel Spiritus sancti substantia, quamuis Trium illorum vna planè existat, quoniam ipse non existit de substantia Dei, quatenus illa Dei est simpliciter & tribus communis esse consideratur, sed vt est huius Dei, id est, Patris substantiæ. Est enim diuina substantia vna & multa, reipsa quidẽ vna, ratione autem & quasi formâ multa. Quod cùm non caperet Caluinus, quemadmodum aliâs solet cæcutire in mysteriis, scelestè hunc versum improbauit in disputatione Lausanensi, vti quidem scribit Petrus Caroli in refutatione blasphemiarum Farelli cõtra S. Trinitatem, atque ex eo tempore hanc locutionem, Christus est genitus ex substãtia Patris, *habuit pro rudi & impropria.*

Filius non natus de sua substãtia.

Diuina substantia vna & multa.

3 Homo ex Substantia matris. Nam ei Mater totam materiam, id est, carnem siue corpulentam substantiam ex suis purissimis sanguinibus suppeditauit, viri partes agente spiritu Sancto. In hac quippè carnis dispensatione mirabili Spiritui sancto tribui debet vis agens, virgini autem pátiens, perinde atque scimus in vulgaribus generationibus mares obtinere formæ rationem, fœminas verò materiæ. Et quia Verbum ita coniunctum est cum natura humana, vt eam, quæ cõstabat carne & anima, assumendo sibi vniuerit, & sibi vniendo assumpserit, proptereàque Christus sine Verbo nec conceptus, nec gestatus, nec in lucem editus fuerit, carne & anima, quæ Verbum assumpsit, ante & extra hanc assumptionem non existentibus, Virgo ideò nequit dici non concepisse & genuisse

Spiritus S. vt causa agens, Virgo vt patiens.

Virgo verè & propriè Deipara.

quæ mox sequuntur, declarant, Totæ tres personæ coæternæ sunt & coæquales, *quæ perspicuè iacta sunt in inæqualitatem & diuisionem* Arij, *cuius hi erant ructus,* Erat, *quãdo non erat, & factus est ex non extantibus.* Maiorem *autem vel minorem* Deum *aliquem esse ad gentium deliria pertinet, non ad scripturæ dogmata, quæ magnũ quidem* Deum, *paruum autem nusquam commemorant, vti contrà* Arianos *scitè* Chrysostomus *disputat hom.6. in epist. ad* Philippẽses. Prætereà *possumus* prius & posterius *ad duratione proprié referre.* Maius autem & minus *ad quantitatem & qualitatem, sed eo modulo, quo ista* Deo *possunt attribui, qui supra omnem magnitudinem, quantitatem, qualitatémque eminentissimè alioqui collocatus est.* Omnes *nempe personæ duratione, magnitudine, qualitatibus, proprietatibus pares sunt.*

Tit. 3.

27. Sed totæ tres personæ sibi coæternæ sunt & coæquales. *Gradu, potestate, & tempore.* Totæ, *inquit, quantæcunque sunt, sibi coniunctim ac distributim coæternæ sunt ac inter se æquales.* Totas *enim dixit, non* omnes. ὅλας *saluas, integras, totas, respiciẽs non ad personarum numerum & vniuersitatem, sed ad integritatem, vt huc transferamus acceptiones totius, quod nunc dicitur vniuersale, nunc integrans.* Si*gnificat igitur non solùm totas personas sibi totis esse pares æqualésve, sed etiam duas hypostases aut tres nihil esse amplius, quàm vel vnam vel duas, nec tres simul aliquid plus, aut maius esse, quàm solum* Patrẽ, *quàm solum* Filium, *quàm solum* Spiritum. Et *è conuerso vnũ non esse aliquid minus, quàm vel duos vel tres.* Eadem *quippè magnitudo, præstantia, perfectio, integritas, dignitas, & in cunctis & in singulis, par.*

quoque & æqua. Quantum habet Pater, tantum diffudit in Filium. Quàm magnam & ingentem substantiam habet Pater & Filius, tam magnam, támque ingentem vicissim tribuerunt Spiritui sancto, vno alterum non superante, vt hîc frustra quæratur comparatio, quæ solet locum obtinere inter diuersa atque imparia. Exempli causa, esto trium Angelorum momento eodē in naturā editorū, quia peræquè sunt immortales. eadē immortalitas. Ea sanè tanta est in singulis, quāta in omnib⁹. Nā vnus nō diutius viuet, quàm simul oēs, nec omnes simul, quàm eorum vnus. Quod de cæteris, quæ in ipsis sunt paria, sentiendum eodem modo. Nec verò debet offendere, quòd Græci interdum Maius vsurpant de Patre, cùm id eo duntaxat consilio agant, vt principij authoritatem, causæque eminentiam, ipsi tanquam diuinitatis totius fonti reseruēt, vtque ostendant Filium & spiritū neque esse Patres, neque ἀναιτίους, hac vtētes voce loco ἀνάρχου, quemadmodum & causæ vocabulum vsurpant pro principio. Ideo enim volunt Christum dixisse Patrem se maiorem, quòd à Patre genitus esset, & omnia, quæ ipse haberet, à Patre tāquā à principio & fonte deduceret, iuxta quam rationem alibi quoque dixerat, Quemadmodū Pater habet vitam à semetipso, ita dedit Filio habere vitam in semetipso. sic igitur intelligendum est, quòd Gregorius Theologus lib. 2. de Theologia, tractans illud, Pater maior me est, *& coniungens cum illo,* Non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, *ait,* ἢ δῆλον ὅτι τὸ μεῖζον ἐστὶ τῆς αἰτίας, τὸ δ' ἴσον τῆς φύσεως. *Maius, inquit, ad causam, æquale ad naturam pertinet. Nam etiam hunc Euangelij locum veteres sæpe ad diuinam domini originem retulerunt. Athanasius noster*

Quo sensu Pater maior Filio & Spiritu.

Ioan. 5.

Ioan. 14.

Phil. 2.

oratione 2. contra Arianos, Pater, ait Filius, maior me est, nō quidem magnitudine, aut ætate, sed quia ex illo ortum habebat. Ignatius epistola ad Philippenses sic
Pag. 57. Christum loquentem faciens, οἶδα τὸν ἕνα, ἐπίσταμαι τὸν μόνον, οὗ σὺ ἀποστάτης γέγονας, οὐκ εἰμὶ ἀντίθεος, ὁμολογῶ τὴν ὑπεροχὴν, ἐπίσταμαι τὸν τῆς γεννήσεως αἴτιον. Agnosco vnū, scio solùm, à quo tu discessisti (ô Satana) non sum Deo contrarius, confiteor eminentiam, recognosco generanis auctorem atque causam.
Damsc. lib. 4. de orth. ca. 20. Damascenus, Aliqua dicūtur de Filio ante vnionem, quatenus scilicet ex causa Patre existit, veluti illud Pater, maior me est. Et lib. 1. cap. 8. Cùm audimus Patrem esse principium & maiorem Filio, causa intelligimus. Hilarius lib. 9. de Trinitate, Donantis auctoritate Pater maior est, nunquid per doni confeßionem Filius minor est? Maior itaque donans est, sed minor iam non est, cui vnum esse
Pag. 618. donatur. Tertullianus libro de Trinitate, alludens ad verbum Domini, Quem Pater sanctificauit & misit hunc in mundum, vos dicitis quia blasphemat, dicens, Filius Dei sum, sanctificatum (inquit) se à suo Patre esse proponit, dum ergo accipit sanctificationem à Patre, minor est Patre. Minor autem Patre consequēnter est, sed Filius. Pater enim si fuisset, sanctificationem dedisset, non accepisset. Hanc autem quæstionem Basilius contra Eunomium præclarè absoluit, cùm post lōgam eius, Pater maior me est, tractationem, concludit. Reliquum est igitur, vt Maius hoc in loco dicatur secūdum causæ rationem. Quoniam enim à Patre Filij principium atque origo est, secundum hoc maior est Pater, vt causa & principium. Propterea dominus dixit, Pater maior me est, scilicet quatenus Pater est, Patre nihil aliud significante,

quàm quod est principiũ & causa illius, qui ab ipso est ortus. illud adumbrare designaréq; cupiebat Nicolaus Methonæ Episcopus, cùm in disputatione, quam aduersum Latinos de processione spiritus sancti susceperat, scriberet, Patrem maiorem quidem esse ratione personæ, sed nõ Naturæ. Nã certè cùm in diuinis rebus aliqua sit principij auctoritas & excellentia, Filius in ea non æquatur Patri, quòd à Patre omnia sua recipiat, nihil autem ab ipso Pater. Quo fit, vt Tertullianus idem quoque de Spiritu Sancto comparatione Filij à quo perinde ac à Patre ille habet vt sit, non dubitauerit pronuntiare. Tractans enim testimonium, quo Christus Paracletum dicit de suo sumpturum, quæ Apostolis patefaciat, Si à Christo, inquit, accepit quæ nuntiet, maior ergò iam Paracleto Christus est, quoniam nec Paracletus à Christo acciperet, nisi minor Christo esset. Minor autem Christo Paracletus, Christũ etiam Deum esse hoc ipso probat, à quo accepit, quæ nuntiat, vt testimonium Christi diuinitatis grande sit, dum minor Christo paracletus repertus, ab illo sumit, quæ cæteris tradit. Hanc itaque principij dignitatem considerantes prisci illi, sic de sanctis Hypostasibus diuersè loquuntur. Multa enim huiuscemodi in Clemente, in Pastore, in Ignatio, Iustino, Irenæo, Tertulliano legimus, atq; alijs, qui ante Arianam hæresim scripserunt, ita vnam in tribus personis essentiam venerati, vt tamen originem, originísque consequentiam celebrauerint. Nũc postquàm Arius & Macedonius cœpêre maiestatem Filij Dei & Spiritus sancti minuere, omisso isto loquendi more apertis verbis tres personas æquales cum scripturis prædicamus, nihílque vni tribuimus, quod non item cæteris. Hoc certè, boni ex hæ-

Ioan. 16.

ALTERA SYMBOLI PARS, quæ in incarnationis myſterij explicatione poſita eſt.

QVOD *ad incarnationis ſacramentum attinet, quatuor hæreſes olim in* Eccleſia Dei *plurimas rixas genuerunt.* Prima Neſtorij *& aliorum eiuſdem metalli inficiantium in* Chriſto *hypoſtaſis vnitatem, proptereáque docentium alium eſſe* Filium Dei *& alium* Filium *hominis.* Iſtorum *ſenſa optimè omniũ mihi videtur expoſuiſſe* Nicolaus Cuſa Cardinalis *libro primo* Cribrationum Alcorani *prologo ſecundo.* Neſtorius*, inquit, faſſus eſt quidem in* Chriſto *eſſe corpus, animam & diuinitatem, ſed circa modũ vnionis errauit.* Fatebatur *corpus & animam vniri vnione naturali, qua eſſet verus homo, ſed hominem illum vniri diuinitati aiebat per gratiam, non quidem communem, qua boni* Deo *vniuntur, verùm per plenitudinem gratiæ, ob quam vna eſſet* Dei *& hominis* Ieſu *volũtas, propter quam excellentißimam gratiam de* Chriſto *verè enuntiaretur ipſum eſſe* Filiũ Dei*: Sed non admiſit* Mariam *eſſe matrem* Dei*, quia id quod in* Chriſto *reperitur à matre acceptũ, nõ conuenit* Deo*, ſicq; voluit naturã humanã in ipſo eſſe deificatã.* Quoniã *autẽ ſcribitur,* Verbum *caro factũ eſt, non autem,* Caro *facta eſt verbũ, ideo hoc damnauit* Eccleſia. Atq; *hæc quidem ille, quæ plenius ediſſerũtur in actis* Cõcilij Epheſini *œcumenicorũ tertij.* Hãc *hæreſim tot ã quidẽ hodie renouauit* Adamus Paſtoris. Dimidiã *verò* Theod. Beza, *vt cõſtat, è lib. quẽ inſcripſit,* Placidũ *& modeſtũ reſpõſum ad* Ioãnis Brentij *argumẽta, quibus*

De Incarnatione 4. hæreſes.

Beza Nestorianus. *Carnis omnipræsentiam nititur confirmare. Duæ, inquit pag.23. in Christo sunt vniones hypostaticæ, vna in corpore & anima simul personaliter vnitis, altera in λόγῳ & homine ad vnum Christum personaliter constituendum coëuntibus.* Hanc labem posteà monitus à Brentianis ita studuit detergere, vt interim in libro de hypostatica duarum in Christo naturarum vnione aduersus Iacobi Andreæ assertionem, planè confiteatur pag.64.& 65. semper se duas Vniones hypostaticas in Christo ponere. Audis rediuiuũ Nestoriũ.

2. Error circa incarnationem. Altera Eutychis & cæterorum, qui dum separationem naturarum & diuulsionem declinare conabantur, in earum confusionem siue vnius in alteram mutationem impingebant. Negabant enim duas in Christo naturas diuinam & humanam permansisse integras & saluas à commixtione, ita vt eorum alij diuinitatem in carnem esse mutatam, alij carnem à diuinitate absorptam, alij illas ambas in vnam tertiam naturam coaluisse permutatásque fuisse defenderent. In eo hærent cœno hac tempestate Mennon & Gaspar Suencfeldius. Quantum his sint affines ScheKius Medicus in libello de duabus naturis, & Brentiani cæteri commodiùs aliâs tractabitur. Erroris autem fontem ad hunc modum indicauit Boëthius. *Eutyches ita asserit assumptum hominem, vt humana natura non manserit, cuius error ex eodem fonte quo Nestorij prolabitur. Nõ enim putauit naturam duplicem esse sine duplicatione personæ, vt cùm non confiteretur duplicem personam, reputauerit consequens vnam esse naturam.* Cæterùm contra hanc hæresim quartum concilium œcumenicum, id est, Calcedonense celebratum est.

Tertiam Ariani inuexerunt. Nam iuxta eos Christus primogenitus ante omnes creaturas, id est, prima creaturarum extitit. Is verò fuit Christi corporati spiritus, hoc est, anima vocata spiritus, quem Pater nudo Christi corpori tempore adunauerit. Ità Arius in Christo corporis tantùm fatebatur assumptionem, huius verò formam esse prædicabat diuinitatē ipsi ante sæcula collatam, Christum incarnatum constans ex nudo corpore & nuda essentia iam olim à Patre præbita, quam dicebat sufficere ad explenda & mentis & sensuum & vegetationis omnia officia. Testis Theodoritus libro quarto de hæreticorum nugamentis capite de Ario. καὶ μέντοι καὶ τὸν τῆς ἐνανθρωπήσεως ἠκρωτηρίασε λόγον. σῶμα γὰρ ἁπλὸν ἄψυχον ἔφη εἰληφέναι, ἐνηργηκέναι δὲ τὰ τῆς ψυχῆς τὴν θεότητα, ὥστε ταύτῃ προσάψαι τὴν ἀπὸ τοῦ σώματος ἐγγινομένην συμπάθειαν. *Et verò, inquit, humanæ etiam naturæ rationem mutilauit. Nam ipsum (dominum) corpus inanimum assumpsisse, in eo autem egisse animæ munia diuinitatem asseruit, ita vt huic attribueret affectus, qui à corpore insunt.* 3. Error.

Quartam introduxit Apollinarius, qui dum reformidaret ne diuinitas frustra crederetur coniuncta humanæ naturæ, si carni mens prætereà tributa putaretur, spoliauit Christum animo, ac docuit diuinitatem id eius carni esse, quod animi reliquorum hominum corporibus. Differebat autem ab Ario, quòd mentem Christo tantùm adimeret, non item animam brutam, quæ & sentiendi & vegetandi principium est, quasi Christus præter corpus, animam etiam sentientem assumpsisset. Hæc causa est, cur illum eleganter Gregorius Theologus scribat Christum fecisse ἄνουν, *non quidem amentem & insanum, vt inscitè quibusdam* 4. Error.

Theod. de hæret. nug. cap. de Eutyche.

visum est. sed mentis animíque expertem, ac si ipsa diuinitas carnem ipsius, intelligentia & ratione informaret, viribúsque ad ratiocinantem naturam pertinentibus afficeret.

Ac istæ quatuor extiterunt hæreses, aduersum quas sequentia Symboli verba dictaturus est Athanasius. Optarem autem diutius in his immorari propter Sathanam, qui hoc æuo in nostram Europam venenatos halitus de hac re infudit, sed quia aliud est commentaria, aliud libros scribere, prolixiore disputatione supersedebo. Hoc vnum monebo, dictum Ioannis gra-

Ioh.1. *tiosissimum, Verbum caro ἐγένετο, istis omnibus sectis errandi ansam præbuisse. Apollinarius, itémque Arius hinc colligebant Christum carere anima, quòd solius carnis facta fuisset mentio. Nestorius interpretabatur, Verbum caro facta est, quasi verbum aduenisset in Christum iam hominem. Alij in carneam substantiam diuinitatem degenerasse, aut è contrario in diuinitatem humanam naturam demigrasse. Hos verò omnes etiam antequam planè emergerent diuino quodam afflatu, vt ante nos obseruauit Gregorius Nazanzenus oratione in Athanasium, quemodmodum præmonuimus, Athanasius iugulat, aptéq; , breuiter, & perspicuè istorum nebulas discutit. Veniamus igitur ad eius literam, ne dum naturas distinguere volumus, eas diuellamus ac separemus, rursus dum eas coniungere nitimur, permisceamus atq; confundam⁹ aut aliqua parte mutilemus. Aliud enim est distinctio, quàm disiunctio & separatio, quàm spoliatio, quàm mutilatio, Rursum aliud coniunctio siue vnio, quàm vel permixtio seu confusio, vel mutatio seu conuersio.*

29 Dominus noster Dei Filius & homo est.

propter

propter vnionem hypostaticam quæ medium quoddam est inter essentialem & accidẽtariam. Definitur autem à Græcis ἡ τὰς διαφορὰς οὐσίας ἤγουν φύσεις εἰς ἓν πρόσωπον καὶ τὴν αὐτὴν ὑπόστασιν συνάγουσα, Vnio quæ differentes essentias siue naturas in vnam personam, eandémque personam copulat. Atque hæc duarum naturarum in vnam personam coniunctio & tanquam coitio, incarnatio quoque appellatur, id est humanæ naturæ à persona verbi assumptio in vnam hypostasim atque subsistentiam, ita vt ex verbo diuino & humana natura vna persona seu vnum indiuiduum substantiæ conficiatur. Habet etiam alia nomina apud Græcos, quæ non carent emphasi, pertinéntque ad aliquam lucem tam obscuræ, tam arduæ vnioni afferendam, si dextrè intelligantur. A Nazanzeno nominatur σύνοδος, quasi conuentus & coitio, propter conuenientes, coëuntésque in vnum naturas. A Nysseno, vt in Polymorpho citat Theodoritus, προσεγγισμὸς, id est, appropinquatio, quòd naturæ sibi inuicem inseparabili accessu propinquent. A Chrysostomo συνάφεια, siue contactus, quoniam naturæ Christi sese per hanc corporationem contingunt. Apud Damascenum insignitur titulo περιχωρήσεως, quia diuinitas carnem immeauit, eique veluti sese immiscuit, vt loquitur Augustinus apud eundem Theodoritum libro 2. Polymorphi. satis autem impropriè, quia neque ἀλλοίωσις neque σύγχυσις neque κρᾶσις, neque aliquod vocabulum simile huic ineffabili mysterio quadrat. Atque ob has omnes causas Dominus noster simul est Dei filius & Homo, & non solùm vtriusque naturam, verùm etiã vtriusque naturæ proprietates complectitur, ac per diuinitatem diuina opera exercet, per humanitatem

Quid Vniö hypostatica.

Theod. lib. 3. polym.

Damas. li. 3. de Orth.

humanis officiis, quatenus beati & immortalis corporis conditio hodie fert, fungitur quemadmodum olim dum in humanis versaretur, per ipsam quoque affectibus imbecillitati nostræ propriis obnoxius erat.

30 Deus ex substantia Patris ante sæcula genitus.

Quid esse è Patris substantia.

Christus dicitur genitus de Patris substantia, quoniam Pater non è nihilo, neque de extrinseco, sed ex eo, quod ipse est illum generauit. Et contrà quia ex Patre, qui est eiusdem cum ipso substantiæ suā accepit essentiā, neq; existit de aliena à Patre substātia, neque de extraposita, neque de nihilo. Quoniam igitur Esse ex Patris substantia peculiariter opponitur ei quod est Esse è nihilo, age explicemus quid hoc posterius significet, vt ex cōtrario contrariū melius innotescat.

Quid esse è nihilo.

Christus nō est è nihilo, quæ causa etiā valet in S. spiritu.

Esse è Nihilo tria portendit, primò aliquandò non fuisse, Deinde alterius ac differētis à causa esse substantiæ, tertiò è nulla antegressā materia emersisse. Huiusmodi neq; potest neq; debet haberi Christus, cùm semper extiterit, cùm eiusdē sit cū suo principio. i. Patre essentiæ, cùm deniq; ex Patre subsistat, cuius substātia est quasi materia in hoc sublimi ortu & ineffabili, nullo prætereà antegrediente, quod vel materiæ suspitionē præbere posit. Atq; inde Christus, qui & proinde secūda Persona Trinitatis dicitur, prius existere concipitur in Patre, prima videlicet persona, secundū rationem originis (κατὰ τὸ αἴτιον), posterius in seipso secūdū hypostasim & subsistentiam.

De vel Ex, præp.

Cùm autem filius prædicatur de Patris substantia Genitus, præpositio De *vel etiam* Ex *cogitationem transferre non debet ad crassum aliquid & corporale, sed vel admonere Diuinam Essentiam esse quasi materiam in hac verbi generatione, cuius proprietas hypostatica, quæ Filiationis nomine ob penuriam vocabulorūm afficitur, extet veluti forma,*

Vel declarare Filium genitum de Patris substantia, nõ quidem tanquam de materia, sed vt de aliquo sibi cõsubstãtiali & coæuo Nec sequitur, vt si de substãtia Patris generatus sit filius, sit quoque generatus de sua vel Spiritus sancti substantia, quamuis Trium illorum vna planè existat, quoniam ipse non existit de substantia Dei, quatenus illa Dei est simpliciter & tribus communis esse consideratur, sed vt est huius Dei, id est, Patris substantia. Est enim diuina substantia vna & multa, reipsa quidẽ vna, ratione autem & quasi formâ multa. Quod cùm non caperet Caluinus, quemadmodum aliâs solet cæcutire in mysteriis, scelestè hunc versum improbauit in disputatione Lausanensi, vti quidem scribit Petrus Caroli in refutatione blasphemiarum Farelli cõtra S. Trinitatem, atque ex eo tempore hanc locutionem, Christus est genitus ex substãtia Patris, *habuit pro rudi & impropria.*

Filius non natus de sua substãtia.

Diuina substantia vna & multa.

31 Homo ex Substantia matris. *Nam ei Mater totam materiam, id est, carnem siue corpulentam substantiam ex suis purissimis sanguinibus suppeditauit, viri partes agente spiritu Sancto. In hac quippe carnis dispensatione mirabili Spiritui sancto tribui debet vis agens, virgini autem patiens, perinde atque scimus in vulgaribus generationibus mares obtinere formæ rationem, fœminas verò materiæ. Et quia Verbum ita coniunctum est cum natura humana, vt eam, quæ cõstabat carne & anima, assumendo sibi vniuerit, & sibi vniendo assumpserit, proptereáque Christus sine Verbo nec conceptus, nec gestatus, nec in lucem editus fuerit, carne & anima, quæ Verbum assumpsit, ante & extra hanc assumptionem non existentibus, Virgo ideò nequit dici non concepisse & genuisse*

Spiritus s. vt causa agens, Virgo vt patiens.

Virgo verè & propriè Deipara.

Deum, itémque hominem, atque ita verè & propriè, esse θεοτόκον, idque tam verè, tam propriè, quàm verũ, quámque proprium est pronũtiare ipsam genuisse hominem. Sic enim Rachel non est mater solius corporis Filij sui Iosephi, sed totius Iosephi, vtut Deus appelletur Pater spirituũ, in suo aluo gestauerit, & eũ personaliter anima & corpore cõstitutũ suo mẽstruo sanguine in aluo fouerit & aluerit, deindéq; enixa totũ pepererit, actionibus illis non ad naturas, sed ad personã totã relatis. Audi Athanasium sub finem sermonis in Euangelium de Deipara. Quando quidem ipse est Rex, qui natus est ex virgine, idémque & dominus & Deus, ea propter Mater, quæ eum genuit & regina, & domina & Deipara propriè & verè cẽsetur. Id confirmat totidem verbis Nicetas Colossensis lib. 20. Thesauri orthodoxiæ, qui est de saracenorum ad Christianismum conuersorũ professione, confessione secunda, Sãctam præterea virginem, quæ illum in carne peperit Dei propriè veréque matrem, Credo & cõfiteor, eandémque reuera Dei, qui homo factus est, Matrem, atque idcirco Dominam & reginam omnis creaturæ diuina gratia effectã colo & veneror. Hîc lubens, si commentarij ratio postularet, disputarem contra Bezanos humanã Christi naturã seorsum à Verbo nunquam in vtero genitricis extitisse, sed sat sint nunc hæc pauca maiorum nostrorum determinationes. Augustinus de fide ad Petrũ cap. 18. Firmissime crede, & nullatenus dubites nõ carnẽ Christi sine diuinitate cõceptã in virginis vtero priúsq̃ susciperetur à Verbo, sed ipsum Verbũ Deum suæ carnis acceptione cõceptũ, ipsamq; carnẽ Verbi incarnatione cõceptã Et lib. 13. de Trinit. cap. 17. Ex quo tẽpore Christus homo esse cœpit, ex eo Christus Deus erat cũ homine. Et epist.

Heb. 12. Nun. 16.

Carnem Christi nunquã fuisse absque Verbo.

3. ad Volusianū, *Cùm enim Verbum Dei permixtum est animæ habenti corpus, simul & animam suscepit & corpus.* Athanasius libro de incarnatione Verbi, *Carnis vnio cum verbi diuinitate ex vtero originem traxit. Ibi enim eam Verbum cùm è cælo aduenisset, constituit, quippe quæ non erat, antequàm Verbum cælitus adueniret.* Damascenus lib. tertio de Orthod. cap. 2. ὥστε ἅμα σάρξ, ἅμα θεοῦ λόγου σάρξ, ἅμα σάρξ λογική ἔμψυχός τε καὶ νοερά, διὸ οὐκ ἄνθρωπον ἀποθεωθέντα λέγομεν, ἀλλὰ θεὸν ἐνανθρωπήσαντα. *Itaque simul caro simul Dei Verbi caro, simul caro animata rationis particeps & intelligens, proptereáque non dicimus hominem deificatum, sed Deum humanatum.* Item cap. 12. ἅμα ἡ σύλληψις καὶ ἡ ὕπαρξις τεθαυματούργηται, ἡ μὲν σύλληψις τοῦ λόγου, τῆς δὲ σαρκὸς ἡ ἐν τῷ λόγῳ ὕπαρξις. *Simul conceptus, & subsistentia mirabiliter confecta sunt, conceptus quidem Verbi, carnis autem in Verbo subsistentia.* Ob eam igitur causam, non est hîc distinguendum inter conceptus horum tempus, quod infundendo animo post quadragesimum diem in maribus destinatum est, & Verbi incarnationem, quoniam Christi conceptus, vt superioribus testimoniis declaratum est, paulatim humano Embryonis modo per temporis successionem neutiquam est expletus, sed simul atque Virgo Gabrieli assentiens dixit, Fiat mihi secundū verbū tuum, ex eius mundissimo sanctissiméq; sanguine corpus formatum est, imò verò perfectum omnibus suis organis & lineamentis, illíque simul anima infusa ac hypostaticè diuinitas coniuncta fuit. *Conceptus Christi momentaneus* *Luc. 1.*

32 Perfectus Deus, perfectus homo ex humana carne & anima rationali subsistens. *Prius mēbrum Eutychem, qui multo pòst vixit, damnat Si enim*

Christus perfectus Deus & perfectus homo est, qui vel in vnam tertiam naturam mutatus est, vel altera natura alteram consumpsit? Posterius Apollinarium, aduersum quem hodiéque extat liber Athanasii. Cùm enim Christus ex humana carne & anima rationis participe constiterit, quo pacto per diuinitatem humano more sapuit, sensit, cupiuit, animatam carnem reddidit? Quemadmodum ergo Christus in diuinitatis plenitudine mansit post carnem assumptam, vt ad Colossenses testatur Paulus, in quo, inquit, inhabitat omnis
Col. 2. *plenitudo diuinitatis corporaliter, id est, qui omnino perfectéque Deus est, non aliqua ex parte, sic plenitudinem humanitatis habuit, ita vt per omnia assi-*
Heb. 2. *milatus fuerit fratribus absque peccato, vt misericors fieret & fidelis Pōtifex. Id docuerat Theodorus Antiochenæ Ecclesiæ presbyter, qui vt Gennadius de scriptoribus Ecclesiasticis prodidit, quindecim libros aduersum Apollinaristas & Anomœos scripsit de incarnatione domini, in quibus Christū plenitudinem tum diuinitatis, tum humanitatis habuisse, copiosissimè ostendebat.*

33. Minor Patre secundum humanitatem. *Imò*
Phil. 2. *& seipso, vt disputat Aug. in libris de Trinitate. Nam, vt ait Apostolus, exinaniuit semetipsum, dum in carnē missus est. Quin etiā, quo tēpore humanitatem habuit morti & cæteris humanis conditionibus obnoxiā, minor quodāmodo erat Angelis, quòd Angelorum status his longè esset superior, quódque angelorum natura hu-*
Heb. 2. *manā suapte vi existat præstantior. Vnde Paulus ad Hebræos, Eum qui modico, quàm Angeli minoratus*
Ioan. 14. *est, videmus Iesum propter Passionē mortis gloria & honore coronatum. Exponit autem hoc loco dictum*

domini, Pater *maior me est, quod olim in* Ecclesia *magnas rixas concitauit.* Ariani *illud vrgebant, vt ostenderent dominum, ipsius etiam confessione, nulla ratione æquiparandum* Patri. Nostrorum *alij respondebant id de sua humanitate* Christum *dixisse, secundum quam infinitis gradibus* Patre, *vtpote creaturam creatore minorem esse quis non sentit, quis non intelligit?* Alij *concedebant* Arianis Christum *de sua diuinitate locutum quidẽ, sed tamẽ nõ inde colligi, quod ipsi existimabant.* Tantum *quippè haberi* Christum Deum *minorem esse* Patre Deo *ratione personæ, nòn item naturæ, nempe* Patrem *supra* Filium *obtinere, vt à nullo existat, ab ipso autem* Filius *ortum capiat, quæ prærogatiua est originis.* Relege *quæ suprà numer. 26. disputauimus, præter quæ nõ fuerit intempestiuum subiungere sententias, quas plures in suis* Annalibus *libro 7. de reb⁹ à* Manuele Imp. *gestis* Nicetas Choniates *de hac reposuit, vt vim verbi* Christi *melius primò intelligamus, deinde vt* Manuelem Imp. *calumnia illi per* Nicetam *intentata liberemus.* Aliquot *annis pòst, inquit* Choniates, *quæstione de* Dei *hominis dicto,* Pater maior me est, *proposita, parum curatis* Patrum *explicationibus, iisque variis & ad controuersiæ explicationem & declarationem sufficientibus, suas interpretationes (*Manuel*) attulit, easq; pertinaciter defendit, & ad suam voluntatem & sententiam, vniuersalium doctorum sententias, non modò veritati non aduersantes, sed diuinitus editas accommodauit.* Nam *cùm alij dicant,* Patrem, *vt* Filij *auctorem dici maiorem, alij de natura humana id intelligant, & id dictum non verbo, sed assumptæ carni attribuant, vt & illa de profectione ad* Patrem, *de aduentu principis*

Pater maior me est, variè exponitur.

» *mundi, qui nihil in ipso eueniat, alij etsi de Verbo vocem* Maior, *accipiunt, non absolutè tamen & essentialiter, sed ob inhumanationis summam extenuationem & humilitatem, atque alij aliter, piè tamen explicẽt: iis nescio quo modo, vt propositæ quæstioni non satisfacientibus improbatis, aliam attulit interpretationem indictóque concilio & omnibus sacrarum literarum studiosis cõuocatis singulos hortatus est, vt ei decreto hoc modo subscriberent.* Equidem etiam S. Pa*trum voces de hoc dicto,* Pater *maior me est, amplector, aio tamen id dictum pertinere ad carnem in eo conditam & paßibilem. Quod nescio, quo modo* Filio *incarnato minus tribuit quàm* Patri, *perinde ac si ob naturæ humanæ assumptionem, & peregrinationem in terram, pari dignitate excidisset, ac suam authoritatem amisisset & intra limites extenuationis cõstitisset, ac nõ deificasset ac extulisset humilia, et sua gloria per vnionem illam ornasset potius, quàm ea re ipse depressus fuisset, quod absurdum est.* At*que etiam rubra scriptura, tanquam ense flammeo decretum hoc muniuit, quo mortem minitabatur & excommunicationem ei, qui non dico prima impulsione animi reprehendere & submurmurare, sed tantùm introspicere ausus esset.* Deinde idem decretum de *quorundam assentatorum consilio lapideis tabulis insculptum in maximo templo dedicauit.* Verebantur *enim, ne sanctio illa, vt quæ prætextu carnis, ipsi verbo derogaret, abrogaretur, præsertim cùm extenuationem & humanitatis rationem præteriisset.* Hæc quidem *Choniates, sed decretum* Manuelis, *quod ille allegat, quod ex tabulis affixis templo* S. Sophiæ *transcripsit* Theodosius Zygomalas *iussu* Selymi Turcarum *imp.*

Decretũ Manuelis.

qui hodie imperium Constantinopolitanum occupat, & consilio cuiusdam Mahometici doctoris, qui illo putabat mysteria quædam & arcana de rebus Mahometanis ab Hally Maometis genero descripta contineri, quod deniq; nuper Constantinopoli allatum mihi à quodam amico communicatum est, Choniati fidem detrahit. Decretum, quod nondum nec Græcè, nec Latinè publicatum est, sic delibauimus. Cùm Manuelis Porphyrogeniti temporibus acerrimè disputaretur de vera huius loci Euangelici, Pater maiór me est, *interpretatione.* Ioan.14. *Alij, inquit Manuel in suo illo edicto, abusi quibusdam scripturis ad solam causam æternæ & supremæ generationis Vnigeniti Filij Dei locum retulerunt. Alij ad solum exinanitionis siue descensus modum, ita vt personæ Christi secundum diuinam naturam hoc planè accommodent. Ipse enim sese exinaniuit formam serui accipiens.* Ph.2. *Alij hoc Christum aiunt dixisse persona non sua, sed totius humanæ naturæ, quemadmodum & illud, Deus Deus meus, quare dereliquisti me?* Ps.21. *Humana quippe natura derelicta est, quæ peccatis obnoxia erat, non ipsius Christi, qui peccatum non fecit Alij vocem esse dicunt carnis Christi, quatenus caro consideratur abstracta à diuinitate, citráque vnionem, qua ratione ei conuenire dicit Damascenus seruitutem & ignorantiam.* Damas.lib.3.cap.19.et lib.4 c.20. οἱ δὲ ἑτέρωθεν αὐτοῖς ἀντικαθιστάμενοι, ἤδεσαν μὲν καὶ εἶναί τινας τῶν πνευματοφόρων τῆς τοῦ θεοῦ ἐκκλησίας πατέρων καὶ διδασκάλων τὴν τοῦ κυρίου ταύτην φωνὴν ἑρμηνεύσαντας, καὶ κατὰ τὸ αἴτιον τῆς ἀκαταλήπτου προόδου γεννήσεως· ἀλλ' οὖν ὁπότε κατὰ τῶν ἐρθοσχλούντων κατ' οὐσίαν διαφέρειν τοῦ υἱοῦ τὸν πατέρα τὰς ἀντιρρήσεις ἐποιοῦντο, τῇ τοῦ μείζονος φωνῇ κατὰ πάντα χρώμενοι, καὶ ὑπέβαλον ἐν ἀμφοτέροις κατὰ τὴν φύσιν εἰσαγόντων καὶ

Lego ἀδολεσχούντων.

ἑτερότητα. οἱ μὲν δὲ κατὰ τοῦτο καὶ μόνον ἐκλαμβάνεσθαι τὴν τοιαύτην φωνὴν προσεπάγοντες· ἡνίκα γὰρ οἱ περὶ τοιούτοις ἦσαν αἱ ἀντιθέσεις, καὶ τὰ παλαίσματα, περὶ δὲ τῆς μετὰ σαρκὸς οἰκονομίας καὶ τῶν φυσικῶν ἰδιοτήτων, καὶ διαφορῶν ἐδογμάτιζον, ἑκάστῃ τῶν φύσεων τὰς προσφόρους ῥήσεις ἀπονέμοι· τὰς μὲν ὑψηλοτέρας καὶ ὑπερκειμένας τῇ τοῦ Χριστοῦ θεότητι, ὡς καὶ θεοῦ τελείου ὄντος προσαρμάττοντες. τὰς δὲ ταπεινοτέρας καὶ ὑποβεβηκυίας τῇ ἐν τῷ αὐτῷ Χριστῷ ἀνθρωπότητι, ὡς καὶ ἀνθρώπῳ γεγονότι τελείῳ προσαρμόζοντες. οἷς καὶ τὸ ἡμέτερον ὁμοφρονεῖ κράτος ταῖς τῶν ἁγίων τῆς ἐκκλησίας φωστήρων διδασκαλίαις ἑπόμενον. *Alij aliunde ipsis resistentes norunt quidem etiam aliquos Dei Ecclesiæ Patres & doctores, qui à Spiritu sancto inspirabantur hanc domini vocem interpretatos fuisse secundum causam incomprehensæ primæ generationis, sed cùm aduersus garrientes Patrem à Filio essentialiter differre dimicarent, qui abutebantur vocabulo,* Maioris, *& introducebant in vtrisque suppositionem & diuersitatem, verùm tamen non secundum id solùm accipi hanc dictionem asseuerantes. Cùm enim aduersus istos nullæ intercedebant contentiones & pugnæ, sed de dispensatione carnis & naturalibus proprietatibus differentiísque decernebant, vnicuique naturarum conuenientes locutiones aßignabant, sublimiores quidem, & excellentes Christi diuinitati, vt qui foret Deus perfectus, humiliores & abiectas ipsius humanitati; qui certè esset homo absolutus. Quibus etiam nostra potestas suffragatur, sequens doctrinas sanctorum Ecclesiæ luminum. Hanc interpretationem, vbi sequi iußisset, authoritate non tã sua, quàm vniuersa synodi (etiã si Nicetas secus scribat) anathemate percussos declarat,* τοὺς τῇ ζητήσει μόνῃ, τὴν τοιαύτην φωνὴν προσαρ-

μάζοντας, ἢ τῇ κατὰ ψιλὴν ἐπίνοιαν διαιρέσει, ὁπότε ἡ τοῦ κυρίου σὰρξ, ὡς μηδὲ τῆς θεότητος ἡνωμένη, καθ᾽ ἑαυτὴν νοεῖται, καὶ κρίνεται. οὐ μὴν δὲ ἀλλὰ καὶ τοὺς λέγοντας τὴν τοιαύτην φωνὴν παρὰ τοῦ κυρίου ῥηθῆναι ἐκ τῆς κοινῆς φύσεως τῶν ἀνθρώπων ὑποδυομένου πρόσωπον, *anathemate, inquam, ictos pronuntiat eos, qui soli generationi huiusmodi vocem adaptant, aut abstractioni, quæ est in subtili intelligentia, quando caro domini, vt non deitati vnita, per sese cogitatur & censetur. Quin etiam eos, qui asserunt talem propositionem à domino dictã sustinēte hominum personam communitate naturæ. Quartam autem, qua Verbum dicitur Patre minus ratione exinanitionis, non subiicit anathemati, quòd putauerit Athanasij explicationem,* Minor Patre secundum diuinitatem, *esse germanam, cæteras verò habuerit pro alienis, adeò vt ne eam quidem, quæ sæpiusculè inculcatur à Græcis de authoritate originis, receperit, nisi per concessionem. Vt Christus dicatur, minor Patre secundum diuinitatem ratione ortus, non tamen, ô Ariani, simpliciter minor erit, quia* αἴτιον *non pertinet ad substantiam, sed ad subsistendi modum, secundum quem minorē esse Patre quid incommodi? Cùm præsertim Patris nomen & titulus, etiam in humanis, sit Filij notatione præstantior? Prætereà Nicetam Manueli Imp. imposuisse planius sequentibus constat,* κεχώρισται γὰρ κατὰ τὰς διαφόρους καὶ ἑτέρας παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων δοθείσας ἐξηγήσεις νοεῖσθαι ταύτην καὶ λέγεσθαι. οὐ μὴν δὲ ἀλλὰ καὶ κατ᾽ αὐτὴν τὴν ἐν τῷ χριστῷ ἀνθρωπίνην κτίσιν καὶ παρα-[illegible] φύσιν, καθ᾽ ἣν ὁ αὐτὸς χριστὸς πάσχειν ποτὲ πέφυκε καὶ πέπονθε· καὶ τὰς λοιπὰς τῆς τοιαύτης φύσεως ἰδιότητας. ὡς ἐπειδὴ καὶ τὴν ἀληθῆ τοῦ κυρίου ἐνανθρώπησιν, ἤτοι σάρκωσιν [illegible]ζεσθαι, καὶ τὸ τῶν φύσεων ἄφυρτον ἐν τῇ τοῦ χριστοῦ μιᾷ ὑπο-

σαρκὸς σωτηρεῖσθαι καὶ ἀσυγχύτους τὰς ἰδιότητας. *Confirmatū est secundum differentes alias expositiones à Patribus datas hanc esse intelligendam & asserendam. Quin & secundum ipsam, quæ in Christo est humana natura creata & circumscripta, iuxta quam ipse Christus tunc pati consueuit & passus est, & reliquas huiusmodi naturæ proprietates, ita vt inde vera domini corporatio, id est, incarnatio seruetur, & naturarum sinceritas non mixta in vno Christi supposito teneatur, itémque proprietates non confusæ. Hanc verò sanctionem latam aduersum quosdam* μονοφυσίτας, *qui non agnoscebant Christi humanam substantiam, nisi mutatam in Deum siue deificatam, apparet ex his quæ subiicit. Nam contra eos declarat dictum,* Pater maior me est, *significare humanitatem Christi in cælis esse minorem Patre: quod Monophysitæ, inter quos hodie versatur Ioannes quidam Langus, nolebant confiteri. Vnde eam Deum effectam prædicabant, & asseuerationem Christi, abusi authoritate, itémque testimoniis Patrum, referebant ad authoritatem principij atque causæ, contra tales,* στοιχῶ, *inquit,* ταῖς γνώμαις τῶν ἁγίων πατριαρχῶν καὶ τῆς θείας καὶ ἱερᾶς συνόδου, καὶ λέγω ὅτι αὐτὴ ἡ σὰρξ τοῦ κυρίου ἐξ αὐτῆς ἑνώσεως ὑπερυψωθεῖσα, καὶ ἀνωτάτω πάσης τιμῆς ὑπερκειμένη, ὡς ἐξ ἄκρας ἑνώσεως ὁμόθεος γενομένη ἀμεταβλήτως, ἀναλλοιώτως, ἀσυγχύτως, καὶ ἀτρέπτως διὰ τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν, καὶ ἀχώριστος, καὶ ἀδιάσπαστος μένουσα τοῦ προσλαβομένου αὐτὴν τοῦ λόγου ἰσοκλεῶς αὐτοῦ τιμᾶται καὶ προσκυνεῖται μιᾷ προσκυνήσει, καὶ τοῖς βασιλικοῖς καὶ θείοις ἐγκαθίδρυται θώκοις ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρὸς, ὡς τὰ τῆς θεότητος αὐχήματα καταπλουτήσασα σωζομένων τῶν ἰδιοτήτων φύσεων. *Quæ Latinè sic reddi possũt. Assentior sententiis sanctorum Patrum, & diuæ atque*

sacræ Synodi, ac aio ipsam Christi carnem ab ipsa vnione superexaltatam, & supra omnem honorem cõstitutam. Nam in summa vnione Dei æqualis facta citra mutationem, alterationem, confusionem, & conuersionem propter vnionem hypostaticam, inseparabilis & non distincta à Verbo, quod ipsam assumpsit, manens, pari gloria ac ipsum honoratur & adoratur vna adoratione, regiisque & diuinis insidet soliis à dextris Patris, tanquam diuinitatis præstantias opulentè possidens saluis naturarum proprietatibus. Postremò, cum meminisset quosdam sui temporis vrgere authoritatem causæ atque principij, & solam expositionem eorum, qui ita accipiebant, amplecti, ait, καὶ συγχωρεῖν οὐκ ἤθελον καὶ ὡς σαρκοφόρου τοῦ κυρίου κατὰ τὴν κάτω γέννησιν χρηματίσαντος, τὸ ῥῆτον ταύτην λογίζεσθαι· ὡς ἐντεῦθεν καινήν τινα τὴν ἕνωσιν τῶν τοῦ χριστοῦ φύσεων, καὶ μὴ κατὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν παράδοσιν ἀναφαίνεσθαι καὶ ταύτην [illegible] νομίζεσθαι, ὑποστάσεώς τε τὸ ἑνιαῖον παραλαβεῖν, καὶ τὴν ἀσύγχυτον κρᾶσιν τῶν ἐν χριστῷ συμφόρων ἀτρέπτως φύσεων, καὶ διὰ ταῦτα κινδυνεύειν τὰς τῶν μονοφυσιτῶν δυσφημίας αὖθις ἀνακαινίζεσθαι. Nolebant, inquit, cõcedere hoc Euangelicũ dici in persona Christi, qui carnem gestabat, loquentis de suo ortu humili, adeò vt inde noua quædam naturarum Christi vnio ostenderetur aliena ab Ecclesiastica traditione, vnio hypostasis confunderetur & temperatio non confusa naturarum in Christo citra conuersionem copulatarum, proptereáque periculum esse, ne Monophysitarum ominosa verba veluti renouarentur. Imposuit igitur Manueli Choniates, nec scio, vnde, loco περιγραπτὴν, quæ vox extat in edicto Imperatorio, protulerit παθητὴν, quasi Manuel voluerit Patrem dici maiorem Filio, quatenus habuerit humana- Ioan. 14.

nam substantiam patibilem, imò verò quæ passa sit, qua ratione dicitur minoratus paulo minùs quàm Angeli, nempe perpessionis tempore, vel diebus totis infirmitatis carnis suæ, vt loquitur Paulus, pòst verò Christi humanitas transierit in æqualitatem diuinæ naturæ. Atqui, vt è superioribus intelligitur, nihil tale proposuit Imperator, sed cæteris repudiatis simpliciter laudauit, laudatámque per tabulas in propatulo templi Sophiani collocatas sacrauit interpretationem communem, id est, Athanasianam, quam omnes ferè Latini Theologi sequuntur, magnáque ex parte Græci suscipiunt. Vnde & Amphilochius Iconij Episcopus in oratione quæ inscribitur, Quid, Pater maior me est, vt quidem citat Theodoritus lib. 1. Polymorphi, sic dominum se interpretantem facit, τῇ μὲν ἑαυτὸν ἴσον λέγων τῷ πατρί. τῇ δὲ μείζονα τὸν πατέρα, οὐ μαχόμενος ἑαυτῷ, ἀλλὰ δεικνὺς ὡς θεός εἰμι καὶ ἄνθρωπος. θεὸς μὲν ἐκ τῶν ὑψηλῶν. ἄνθρωπος δὲ ἐκ τῶν ταπεινῶν. εἰ δὲ θέλετε γνῶναι, πῶς ὁ πατήρ μου μείζων μού ἐστιν, ἐκ τῆς σαρκὸς εἶπον, καὶ οὐκ ἐκ προσώπου τῆς θεότητος. *Aliquando meipsum æqualem dico Patri interdum Patrem maiorem, non mecum pugnans, sed declarans me Deum esse & hominem. Deum quidem ex sublimibus. Hominem verò ex humilibus ac imis. Quòd si cupiatis nosse, quo pacto Pater meus me sit maior, respondeo ex carne, non autem ex deitatis persona. Cyrillus eadem sentit lib. 2. Thesauri cap. 3 Eadē Athanasius, nisi quod apud Vigilium martyrem in disputatione inter Sabellium, Fotinum, Arium & Athanasium, dat aduersariis eum minorem esse Patre secundum diuinitatem, non quidem simpliciter, sed ratione* τοῦ αἰτίου.

Hebr. 2. Heb. 5.

34 Non duo tamen, sed vnus est Christus.

Vnus non tantùm numero, sed etiam specie, vt vnus sol, vna luna, vnus mundus, quæ in sua specie solitaria existunt, quod tota speciei materia in ipsa absumpta sit, vt philosophatur Aristoteles primo de cælo. Ideo enim Christus est indiuiduum in suo genere monadicum, quòd nullum præterea in rerum natura reperiatur, quòd participet vtraque substãtia, humana simul ac diuina. Iugulatur autem Nestorius, qui Christum duplicem constituebat, vnum Filium Dei, alterum Filium hominis, vtrumque verò in vnum coniungebat, vnione non quidem hypostatica personalíve, sed precaria. Diuersum hîc profitetur Athanasius ac docet vnum & eundem numero esse, qui ante carnis οἰκονομίαν solùm Deus erat, & Dei Filius, post incarnationẽ verò etiam homo & hominis Filius, adeò vt ex eo temporis puncto in se vno iam verè, propriè & simpliciter duas naturas complectatur, sitque planè idem ad numerum Deus & Homo, & vt Græci feliciter loquuntur θεάνθρωπος. Porrò duos hos versiculos Augustinus super Ioannem tractatu 78. sic complexus est.

» *Agnoscamus geminam substantiam, diuinam scilicet,*
» *qua æqualis est Patri, & humanam, qua minor est Pa-*
» *tre, vtranque autem simul, non Duo, sed vnus est Chri-*
» *stus, ne sit quaternitas, non Trinitas Deus, & per hoc*
» *Christus est Deus, anima rationalis & caro.* Hactenus Aug. *qui similiter aperit fontem communicationis idiomatum, cuius causa idem subiectum diuersam & plerunque contrariam denominationem recipit.* Id *apparet in domino & saluatore nostro, qui propter diuinitatem dicitur Patri æqualis, expers temporis, incircumscriptus, immensus, incomprehensus, impatibilis, propter carnem Patre minor, in tẽpore genitus,*

Communicatio idiomatum.

circumſcriptus, menſus, paſſus, omnibus denique obnoxius, quibus reliqui homines, dempto peccato iiſq; quæ peccati adiuncta ſunt, qualis cenſetur ignoratio, mentis caligo, &c.

Tribus modis aliquid dicitur fieri illud.

35. Vnus autem non conuerſione diuinitatis ſed aſſumptione humanitatis. *Cum hæc ſubſtantia dicitur fieri illa, id tripliciter intelligi poteſt. Vno modo per mutationem, conuerſionem ſeu tranſitionem vnius naturæ in alteram, ſic vt altera ſubſtãtia in alterius naturã commutetur, vt cùm aqua fit aër, aqua vinum,* Ioan. 2. *virga ſerpens,* Exodi 6. *Altero per ſucceſſionẽ, vt cùm ex nocte fit dies, ex pane corpus Chriſti in Euchariſtia, atq; in cæteris, in quibus altera ſubſtantia in alterius planè intereuntis locum ſuccedit.*

Quod genus conuerſionis in Euchariſtia.

Tertio per aſſumptionem ſiue acceſſionẽ alterius ſubſtantiæ ſiue naturæ, ita vt ex vtraque incolumi & ſalua vnum ſubiectum exiſtat, quæ hypoſtaſis dicitur. Sic ferrum fit ignis, cùm in eum ita conuertitur, vt ferrum ignis non dicatur, ſed naturam & proprietatẽ vtriuſque ferri videlicet & ignis conſeruet. Sic (nam has ſimilitudines duas inter ſe Origines, Cyrillus & Damaſcenus *contulerunt) Verbum caro factum eſt, quòd carnem ſeu humanam naturam ſuſceperit, non quòd in eam conuerſum ſit, aut in eius pereuntis locum ſucceſſerit. Hîc ergo aſſumendi verbum valde eſt accommodatum. Vnde & eo ſimilibúſve ſcriptura vtitur.* Paulus ad Heb. 2. *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ ἐπιλαμβάνεται apprehendit, accepit, aſſumpſit.* Ad Phil. 2. *formã ſerui ἔλαβεν accepit, aſſumpſit. Vt enim primus dicitur factus in animam viuentem ſeu anima viuens, quod animam viuẽtem ſibi diuinitus additam & in vnam hypoſtaſim conflatam ſumpſerit,*

Aſſumendi verbum.

ſumpſerit,ſic ſecundus homo factus eſt caro, id eſt, aſſumpſit carnem in vnitatem diuinæ perſonæ. Nam non *de qualibet aſſumptione id accipiendum, qualis etiam dicitur quædam applicatio & cōiunctio alienæ & à diuina natura ſeparatæ per ſeque cōſiſtētu rei, vt cùm Tertullianus in libro de carne ſcribit Spiritū S. aſſumpſiſſe ſubſtantiam extraneam, id eſt, columbam.* Duplex aſſumptio rei,

36. Vnus non confuſione ſubſtantiæ ſed vnitate perſonæ. *Multi eorū, qui poſt Eutychem diſputationem de duabus naturis in ſe aut cōfuſis, aut commutatis perſecuti ſunt eo ſe præcipitarunt, vt faterentur, neutram quidem naturarum in alteram fuiſſe permutatam, ꝙ tamen dicere ſuæ ſectæ auctoribus primis familiare erat, ſed ex duabus alteratis tertium aliquid extitiſſe. Mixtū id appellarent philoſophi, apud quorum principem libro primo de ortu extremo capite mixtio definitur eorū, quæ inter ſe temperari poſſunt, commutatorum vnio. Aduerſum autem iſtos pronuntiat Athanaſius ſine cōfuſione vnitatem eſſe perſonæ, quòd duæ naturæ, quantumuis ſe inuicem immeent, inconfusè vniantur, nec in ſe tranſmutentur, deitate à ſua ſimplicitate non diſcedente, & humana natura in diuinitatem non migrante.* Quid Mixtio. *Quare autem hîc perſonæ ſit vnitas facile capit, qui repetit è ſuperioribus perſonæ definitionem ac tenet eius rationem in per ſe conſiſtendo poſitam.* Hoc enim *conſtituto, humana natura à Chriſto aſſumpta cùm aliunde pendeat, atque ab alio ſuſtineatur, nempe à Verbo, à cuius hypoſtaſi nūquam fuit ſeparata, perſona dici non debet. Vnde Græci hāc ſacram hominis ſubſtantiam non hypoſtaſim ſed ἐνυπόστατον vocant, quaſi in alio ſubſiſtentem, &, vt ſic dicam, perſonatam.* Et Latini *non dicunt propriè Chri-* Cur vnica in Chriſto ſit perſona.

Christus nō assumpsit hominem, sed humanā naturā.

stum assumpsisse hominem, etsi hæc locutio interdum apud Veteres occurrat, sed humanitatem, quòd Hominis vox concretorum more non modò naturam, sed & naturæ subsistentiam atque hypostasim declaret. Nunquam autem ex ea carne & hac anima, quam Verbū assumpsit vlla fuit composita persona, cùm, vt rectè à Sentētiarum scriptore dictum est, eam animam eámque carnem accipiendo vniuerit, & vniendo acceperit. Hoc significauit B. Ioannes per illud, Verbū caro factum est. Nam si humana Christi substantia extra verbum aliquando constitisset, dicere debuerat, Caro facta est Verbum, id est, caro ante facta, postea à Verbo suscepta est. Hinc facile percipitur, quàm rectè à Scholasticis scriptū sit vnionem deitatis cum humana natura esse in vnitate personæ non humanæ, sed diuinæ, non assumptæ, sed assumentis, nō personæ cuiuslibet, sed solius verbi. Idque ne vel humana Christi natura per se constitisse, aut etiamnum constare, vel Pater & Spiritus carnem assumpsisse videantur.

Ioan. 1.

37. Nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo: *Hypostaticè scilicet, id est, sicut anima rationis particeps & caro vnam hominis personā conficiunt, sic Deus & homo vnus est Christus. i. vnā personam Christi constituūt. Eo enim hæc similitudo propriè pertinet, vt à Durando scholastico non ignobili annotatum est lib. 3. sentent. dist. 6. q. 3. Et proinde hac etiam similitudine ad declarandam vnā esse in Christo hypostasim vsi sunt Augustinus ad Dardanum epistola 57. in Enchiridio cap. 36. lib. 13. de Trinit. cap. 17. Et in libro de Trinitate & vnitate Dei, & Tract. 75. in Ioan. Iustinus Martyr in expositione fidei, Nazanz. prima ad Clidonium epistola, Cyrillus cap. 8. libri de*

incarnatione vnigeniti, Damasc.lib.3.cap.3. Vincentius Lyrinẽsis de antiq.fid. Praetereà Ecclesia in Ephesino cõcilio. *Testis est Cyrillus in Epistola, quã auctoritate totius synodi scripsit ad Nestorium. Quamuis, inquit, Verbum habitauerit in nobis, & dictum sit in Christo habitare omnem plenitudinẽ diuinitatis corporaliter; attamen intelligimus eum talem sibi fecisse habitationem, qualem & anima hominis habere creditur ad proprium corpus.* Et post, Non enim duplex *est vnus Christus, quamuis ex duabus diuersisque rebus ad vnitatem cognoscatur indiuiduam conuenisse, sicut homo quoque ex anima constans & corpore, nõ duplex, sed vnus potius est ex vtroque. Quia autem nulla est similitudo tam propria, quae non habeat multum diuersitatis, videamus quatenus haec ad praesens institutum accommodari debeat, quatenus nõ debeat;* Primùm sicut in homine duae naturae planissimè distinguntur, vt tamen nõ duos homines nec duas personas, nec duos Abrahamos esse censeamus, sed vnũ hominẽ ex duplici natura spirituali corporeáq; cõstitutũ, ita in Christo, vt tamen non duas personas aut duos Christos constitui, & Christum diuidi atque conuelli dicamus. Duae enim in eo coniunguntur, vt tamen non confundantur, neque altera in alteram intereat aut commutetur, quemadmodum Augustinus epistola tertia contestatur. Sicut, inquit, in vnitate personae anima vnitur corpori, vt homo sit, ita in vnitate personae Deus vnitur homini vt Christus sit. In illa ergo persona mixtura est animae & corporis, in hac persona mixtura est Dei & hominis, si tamen recedat auditor à consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri, vt neuter seruet integritatem suam. Quanquam

Ioan.1.
Col.2.

Similitudo haec tantũ attingit rationem hypostaticã.

Aug ad Volusianum epist.3.

» mundi, qui nihil in ipso eueniat, alij etsi de Verbo vocem Maior, accipiunt, non absolutè tamen & essentialiter, sed ob inhumanationis summam extenuationem & humilitatem, atque alij aliter, piè tamen explicēt: iis nescio quo modo, vt propositæ quæstioni non satisfacientibus improbatis, aliam attulit interpretationem indictóque concilio & omnibus sacrarum literarum studiosis cōuocatis singulos hortatus est, vt ei decreto hoc modo subscriberent. Equidem etiam s. Patrum voces de hoc dicto, Pater maior me est, amplector, aio tamen id dictum pertinere ad carnem in eo conditam & paßibilem. Quod nescio, quo modo Filio incarnato minus tribuit quàm Patri; perinde ac si ob naturæ humanæ assumptionem, & peregrinationem in terram, pari dignitate excidisset, ac suam authoritatem amisisset & intra limites extenuationis cōstitisset, ac nō deificasset ac extulisset humilia, et sua gloria per vnionem illam ornasset potius, quàm ea re ipse depressus fuisset, quod absurdum est. Atque etiam rubra scriptura, tanquam ense flammeo decretum hoc muniuit, quo mortem minitabatur & excommunicationem ei, qui non dico prima impulsione animi reprehendere & submurmurare, sed tantùm introspicere ausus esset. Deinde idem decretum de quorundam assentatorum consilio lapideis tabulis insculptum in maximo templo dedicauit. Verebantur enim, ne sanctio illa, vt quæ prætextu carnis, ipsi verbo derogaret, abrogaretur, præsertim cùm extenuationem & humanitatis rationem præteriisset. Hæc quidem Choniates, sed decretum Manuelis; quod ille allegat, quod ex tabulis affixis templo S. Sophiæ transcripsit Theodosius Zygomalas iussu Selymi Turcarum imp.

Decretū Manuelis.

qui hodie imperium Constantinopolitanum occupat, & consilio cuiusdam Mahometici doctoris, qui illa putabat mysteria quædam & arcana de rebus Mahometanis ab Hally Maometis genero descripta contineri, quod deniq; nuper Constantinopoli allatum mihi à quodam amico communicatum est, Choniati fidem detrahit. Decretum, *quod nondum nec Græcè, nec Latinè publicatum est, sic delibauimus. Cùm Manuelis Porphyrogeniti temporibus acerrimè disputaretur de vera huius loci Euangelici,* Pater maior me est, *interpretatione. Alij, inquit Manuel in suo illo edicto, abusi quibusdam scripturis ad solam causam æternæ & supremæ generationis Vnigeniti Filij Dei locum retulerunt. Alij ad solum exinanitionis siue descensus modum, ita vt personæ Christi secundum diuinam naturam hoc planè accommodent. Ipse enim sese exinaniuit formam serui accipiens. Alij hoc Christum aiunt dixisse persona non sua, sed totius humanæ naturæ, quemadmodum & illud, Deus Deus meus, quare dereliquisti me? Humana quippe natura derelicta est, quæ peccatis obnoxia erat, non ipsius Christi, qui peccatum non fecit Alij vocem esse dicunt carnis Christi, quatenus caro consideratur abstracta à diuinitate, citráque vnionem, qua ratione ei conuenire dicit Damascenus seruitutem & ignorantiam.* οἱ δὲ ἐπηρεασθεὶς αὐτοῖς ἀντικαθιστάμενοι, ἤδεσαν μὲν καί τινας τῶν πνευματοφόρων τῆς τοῦ θεοῦ ἐκκλησίας πατέρων καὶ διδασκάλων τὴν τοῦ κυρίου ταύτην φωνὴν ἑρμηνεύσαντας, καὶ κατὰ τὸ αἴτιον τῆς ἀκαταλήπτου θεότητος συνάψεως· ἀλλ' οὖν ὁπότε κατὰ τῶν ἐρθυοχλούντων κατ' οὐσίαν διαφέρειν τὸν υἱὸν τοῦ πατρὸς τὰς ἀντιρρήσεις ἐποιοῦντο, τῇ τοῦ μείζονος φωνῇ κατὰ πάντα χρώμενοι, καὶ ὑπόβασιν ἐν ἀμφοτέροις κατὰ τὴν φύσιν εἰσαγόντων καὶ

Ioan. 14.

Ph. 2.

Ps. 21.

Damas. lib. 3. cap. 19. et lib. 4 c. 20.

Lego ἀδολεσχούντων.

ἐπερότητα. οὐ μὴν δὲ κατὰ τοῦτο καὶ μόνον ἐκλαμβάνεσθαι τὴν τοιαύτην φωνὴν περισπάγοντες· ἡνίκα γὰρ οὐ πρὸς τούτους ἦσαν αἱ ἀντιθέσεις, καὶ τὰ παλαίσματα, περὶ δὲ τῆς μετὰ σαρκὸς οἰκονομίας καὶ τῶν φυσικῶν ἰδιοτήτων, καὶ διαφορῶν ἐδογμάτιζον, ἑκάστῃ τῶν φύσεων τὰς προσφόρους ῥήσεις ἀπένεμον. τὰς μὲν ὑψηλοτέρας καὶ ὑπερκειμένας τῇ τοῦ χριστοῦ θεότητι, ὡς καὶ θεοῦ τελείου ὄντος προσαρμάττοντες. τὰς δὲ ταπεινοτέρας καὶ ὑποβεβηκυίας τῇ ἐν τῷ αὐτῷ χριστῷ ἀνθρωπότητι, ὡς καὶ ἀνθρώπῳ γεγονότι τελείῳ προσαρμόζοντες. οἷς καὶ τὸ ἡμέτερον ὁμοφρονεῖ κράτος ταῖς τῶν ἁγίων τῆς ἐκκλησίας φωστήρων διδασκαλίαις ἑπόμενον. Alij aliunde ipsis *resistentes norunt quidem etiam aliquos* Dei Ecclesiæ Patres *& doctores, qui à* Spiritu *sancto inspirabantur hanc domini vocem interpretatos fuisse secundum causam incomprehensæ primæ generationis, sed cùm aduersus garrientes* Patrem *à* Filio *essentialiter differre dimicarent, qui abutebantur vocabulo,* Maioris, *& introducebant in vtrisque suppositionem & diuersitatem, verùm tamen non secundum id solùm accipi hanc dictionem asseuerantes. Cùm enim aduersus istos nullæ intercedebant contentiones & pugnæ, sed de dispensatione carnis & naturalibus proprietatibus differentiísque decernebant, vnicuique naturarum conuenientes locutiones assignabant, sublimiores quidem, & excellentes* Christi *diuinitati, vt qui foret* Deus *perfectus, humiliores & abiectas ipsius humanitati; qui certè esset homo absolutus. Quibus etiam nostra potestas suffragatur, sequens doctrinas sanctorum* Ecclesiæ *luminum.* Hanc *interpretationem, vbi sequi iußisset, authoritate non tã sua, quàm vniuersa synodi (etiã si* Nicetas *secus scribat) anathemate percussos declarat,* τοὺς τῇ [illegible] μόνῃ, τὴν τοιαύτην φωνὴν περιορ-

μόζοντας, ἢ τῇ κατὰ ψιλὴν ἐπίνοιαν διαιρέσει, ὁπότε ἡ τοῦ κυρίου σὰρξ, ὡς μηδὲ τῆς θεότητος ἑνωθεῖσα καθ' ἑαυτὴν νοεῖται, καὶ κρίνεται. οὐ μὴν δὲ ἀλλὰ καὶ τοὺς λέγοντας τὴν τοιαύτην φωνὴν περὶ τοῦ κυρίου ῥηθῆναι τῷ τῆς κοινῆς φύσεως τῶν ἀνθρώπων ὑποδυομένου προσώπου, *anathemate, inquam, ictos pronuntiat eos, qui soli generationi huiusmodi vocem adaptant, aut abstractioni, quæ est in subtili intelligentia, quando caro domini, vt non deitati vnita, per sese cogitatur & censetur. Quin etiam eos, qui asserunt talem propositionem à domino dictã sustinẽte hominum personam communitate naturæ. Quartam autem, qua Verbum dicitur Patre minus ratione exinanitionis, non subiicit anathemati, quòd putauerit Athanasij explicationem,* Minor Patre secundum diuinitatem, *esse germanam, cæteras verò habuerit pro alienis, adeò vt ne eam quidem, quæ sæpiusculè inculcatur à Græcis de authoritate originis, receperit, nisi per concessionem. Vt Christus dicatur, minor Patre secundum diuinitatem ratione ortus, non tamen, ô Ariani, simpliciter minor erit, quia* αἴτιον *non pertinet ad substantiam, sed ad subsistendi modum, secundum quem minorẽ esse patre quid incommodi? Cùm præsertim Patris nomen & titulus, etiam in humanis, sit Filij notatione præstantior? Præterea Nicetam Manueli Imp. imposuisse planius sequentibus constat,* κεκύρωται γὰρ κατὰ τὰς διαφόρους μὲν ἑτέρας περὶ τῶν ἁγίων πατέρων δοθείσας ἐξηγήσεις νοεῖσθαι ταύτην καὶ λέγεσθαι. οὐ μὴν δὲ ἀλλὰ καὶ κατ' αὐτὴν τὴν ἐν τῷ Χριστῷ ἀνθρωπίνην κτίσιν καὶ περιγραπτὴν φύσιν, καθ' ἣν ὁ αὐτὸς Χριστὸς πάσχειν ποτὲ πέφυκε καὶ πέπονθε· καὶ τὰς λοιπὰς τῆς τοιαύτης φύσεως ἰδιότητας. ὡς ἐπιτύχοι καὶ τὴν ἀληθῆ τοῦ κυρίου ἐνανθρώπησιν, ἤπου σάρκωσιν δοξάζεσθαι, καὶ τὸ τῆς φύσεως ἄφυρτον ἐν τῇ τοῦ Χριστοῦ μιᾷ ὑπο-

ſacræ Synodi, ac aio ipſam Chriſti carnem ab ipſa vnione ſuperexaltatam, & ſupra omnem honorem cõſtitutam. Nam in ſumma vnione Dei æqualis facta citra mutationem, alterationem, confuſionem, & conuerſionem propter vnionem hypoſtaticam, inſeparabilis & non diſtincta à Verbo, quod ipſam aſſumpſit, manens, pari gloria ac ipſum honoratur & adoratur vna adoratione, regiiſque & diuinis inſidet ſoliis à dextris Patris, tanquam diuinitatis præſtantias opulentè poßidens ſaluis naturarum proprietatibus. Poſtremò, cum meminiſſet quoſdam ſui temporis vrgere authoritatem cauſæ atque principij, & ſolam expoſitionem eorum, qui ita accipiebant, amplecti, ait, καὶ συγχωρεῖν οὐκ ἤθελον καὶ ὡς σαρκοφόρου τοῦ κυρίου κατὰ τὴν κάτω γέννησιν χρηματίσαντος, τὴν ῥῆσιν ταύτην λογίζεσθαι· ὡς ἐντεῦθεν καινήν τινα τὴν ἕνωσιν τῶν τοῦ Χριστοῦ φύσεων, καὶ μὴ κατὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν παράδοσιν ἀναφαίνεσθαι· καὶ ταύτην εἶναι νομίζεσθαι, ὑποστάσεώς τε τὸ ἑνιαῖον περιαιρεῖν, καὶ τὴν ἀσύγχυτον κρᾶσιν τῶν ἐν Χριστῷ συνωμόρων ἀτρέπτως φύσεων, καὶ διὰ ταῦτα κινδυνεύειν τὰς τῶν μονοφυσιτῶν δυσφημίας αὖθις ἀνακαινίζεσθαι. *Nolebant, inquit, cõcedere hoc Euangelicũ dici in perſona Chriſti, qui carnem geſtabat, loquentis de ſuo ortu humili, adeò vt inde noua quædam naturarum Chriſti vnio oſtenderetur aliena ab Eccleſiaſtica traditione, vnio hypoſtaſis confunderetur & temperatio non confuſa naturarum in Chriſto citra conuerſionem copulatarum, proptereáque periculum eſſe, ne Monophyſitarum ominoſa verba veluti renouarentur. Impoſuit igitur Manueli Choniates, nec ſcio, vnde loco* παραχαρὴν, *quæ vox extat in edicto Imperatorio, protulerit* πατέρα, *quaſi Manuel voluerit Patrem dici maiorem Filio, quatenus habuerit huma-*

nam substantiam patibilem, imò verò quæ passa sit, qua ratione dicitur minoratus paulo minùs quàm Angeli, nempe perpessionis tempore, vel diebus totis infirmitatis carnis suæ, vt loquitur Paulus, pòst verò Christi humanitas transierit in æqualitatem diuinæ naturæ. Atqui, vt è superioribus intelligitur, nihil tale proposuit Imperator, sed cæteris repudiatis simpliciter laudauit, laudatámque per tabulas in propatulo templi Sophiani collocatas sacrauit interpretationem communem, id est, Athanasianam, quam omnes ferè Latini Theologi sequuntur, magnáque ex parte Græci suscipiunt. Vnde & Amphilochius Iconij Episcopus in oratione quæ inscribitur, Quid, Pater maior me est, vt quidem citat Theodoritus lib. 1. Polymorphi, sic dominum se interpretantem facit, πῆ μὲν ἑαυτὸν ἴσον λέγων τῷ πατρί, πῆ δὲ μείζονα τὸν πατέρα, οὐ μαχόμενος ἑαυτῷ, ἀλλὰ δεικνὺς ὡς θεός εἰμι καὶ ἄνθρωπος. θεὸς μὲν ἐκ τῶν ὑψηλῶν, ἄνθρωπος δὲ ἐκ τῶν ταπεινῶν. εἰ δὲ θέλετε γνῶναι, πῶς ὁ πατήρ μου μείζων μού ἐστιν, ἐκ τῆς σαρκὸς εἶπον, καὶ οὐκ ἐκ προσώπου τῆς θεότητος. *Aliquando meipsum æqualem dico Patri interdum Patrem maiorem, non mecum pugnans, sed declarans me Deum esse & hominem. Deum quidem ex sublimibus. Hominem verò ex humilibus ac imis. Quòd si cupiatis nosse, quo pacto Pater meus me sit maior, respondeo ex carne, non autem ex deitatis persona. Cyrillus eadem sentit lib. 2. Thesauri cap. 3 Eadẽ Athanasius, nisi quod apud Vigilium martyrem in disputatione inter Sabellium, Fotinum, Arium & Athanasium, dat aduersariis eum minorem esse Patre secundum diuinitatem, non quidem simpliciter, sed ratione* τῇ αἰτίᾳ.

Hebr. 2.

Heb. 5.

34 Non duo tamen, sed vnus est Christus.

Vnus non tantùm numero, sed etiam specie, vt vnus sol, vna luna, vnus mundus, quæ in sua specie solitaria existunt, quod tota speciei materia in ipsa absumpta sit, vt philosophatur Aristoteles primo de cælo. Ideo enim Christus est indiuiduum in suo genere monadicum, quòd nullum prætereà in rerum natura reperiatur, quòd participet vtraque substãtia, humana simul ac diuina. Iugulatur autem Nestorius, qui Christum duplicem constituebat, vnum Filium Dei, alterum Filium hominis, vtrumque verò in vnum coniungebat, vnione non quidem hypostatica personalíve, sed precaria. Diuersum hîc profitetur Athanasius ac docet vnum & eundem numero esse, qui ante carnis ἐνσαρκώσεως solùm Deus erat, & Dei Filius, post incarnationẽ verò etiam homo & hominis Filius, adeò vt ex eo temporis puncto in se vno iam verè, propriè & simpliciter duas naturas complectatur, sitque planè idem ad numerum Deus & Homo, & vt Græci feliciter loquuntur θεάνθρωπος. Porrò duos hos versiculos Augustinus super Ioannem tractatu 78. sic complexus est.

» *Agnoscamus geminam substantiam, diuinam scilicet,*
» *qua æqualis est Patri, & humanam, qua minor est Pa-*
» *tre, vtranque autem simul, non Duo, sed vnus est Chri-*
» *stus, ne sit quaternitas, non Trinitas Deus, & per hoc*
» *Christus est Deus, anima rationalis & caro.* Hactenus Aug. qui similiter aperit fontem communicationis idiomatum, cuiùs causa idem subiectum diuersam & plerunque contrariam denominationem recipit. Id apparet in domino & saluatore nostro, qui propter diuinitatem dicitur Patri æqualis, expers temporis, incircumscriptus, immensus, incomprehensus, impatibilis, propter carnem Patre minor, in tẽpore genitus,

Communicatio idiomatum.

circumscriptus, mensus, passus, omnibus denique obnoxius, quibus reliqui homines, dempto peccato iisq; quæ peccati adiuncta sunt, qualis censetur ignoratio, mentis caligo, &c.

Tribus modis aliquid dicitur fieri illud.

35. Vnus autem non conuersione diuinitatis sed assumptione humanitatis. *Cum hæc substantia dicitur fieri illa, id tripliciter intelligi potest. Vno modo per mutationem, conuersionem seu transitionem vnius naturæ in alteram, sic vt altera substãtia in alterius naturã commutetur, vt cùm aqua fit aër, aqua vinum,* Ioan. 2. *virga serpens,* Exodi 6. *Altero per successionẽ, vt cùm ex nocte fit dies, ex pane corpus Christi in* Eucharistia, *atq; in cæteris, in quibus altera substantia in alterius planè intereuntis locum succedit.*

Quod genus conuersionis in Eucharistia.

Tertio per assumptionem siue accessionẽ alterius substantiæ siue naturæ, ita vt ex vtraque incolumi & salua vnum subiectum existat, quæ hypostasis dicitur. Sic ferrum fit ignis, cùm in eum ita conuertitur, vt ferrum ignis non dicatur, sed naturam & proprietatẽ vtriusque ferri videlicet & ignis conseruet. Sic (nam has similitudines duas inter se Origines, Cyrillus & Damascenus *contulerunt)* Verbum caro factum est, *quòd carnem seu humanam naturam susceperit, non quòd in eam conuersum sit, aut in eius pereuntis locum successerit. Hîc ergo assumendi verbum valde est accommodatum. Vnde & eo similibúsve scriptura vtitur.* Paulus ad Heb. 2. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ* ἐπιλαμβάνεται *apprehendit, accepit, assumpsit. Ad* Phil. 2. *formã serui* ἔλαβεν *accepit, assumpsit. Vt enim primus dicitur factus in animam viuentem seu anima viuens, quod animam viuẽtem sibi diuinitus additam & in vnam hypostasim conflatam sumpserit,*

Assumendi verbum.

ſumpſerit,ſic ſecundus homo factus eſt caro, id eſt, aſſumpſit carnem in vnitatem diuinæ perſonæ. Nam non *de qualibet aſſumptione id accipiendum, qualis etiam dicitur quædam applicatio & coniunctio alienæ & à diuina natura ſeparatæ per ſeque cōſiſtētis rei, vt cùm* Tertullianus *in libro de carne ſcribit* Spiritū S. *aſſumpſiſſe ſubſtantiam extraneam, id eſt, columbam.*

Duplex aſſumptio rei,

36\. Vnus non confuſione ſubſtantiæ ſed vnitate perſonæ. *Multi eorū, qui poſt* Eutychem *diſputationem de duabus naturis in ſe aut cōfuſis, aut commutatis perſecuti ſunt eo ſe præcipitarunt, vt faterentur, neutram quidem naturarum in alteram fuiſſe permutatam, q tamen dicere ſuæ ſectæ auctoribus primis familiare erat, ſed ex duabus alteratis tertium aliquid extitiſſe.* Mixtū *id appellarent philoſophi, apud quorum principem libro primo de ortu extremo capite mixtio definitur eorū, quæ inter ſe temperari poſſunt, commutatorum vnio.* Aduerſum autem *iſtos pronuntiat* Athanaſius *ſine cōfuſione vnitatem eſſe perſonæ, quòd duæ naturæ, quantumuis ſe inuicem immeent, inconfuſè vniantur, nec in ſe tranſmutentur, deitate à ſua ſimplicitate non diſcedente, & humana natura in diuinitatem non migrante.* Quare autem *hîc perſonæ ſit vnitas facile capit, qui repetit è ſuperioribus perſonæ definitionem ac tenet eius rationem in per ſe conſiſtendo poſitam.* Hoc *enim conſtituto, humana natura à* Chriſto *aſſumpta cùm aliunde pendeat, atque ab alio ſuſtineatur, nempe à* Verbo, *à cuius hypoſtaſi nūquam fuit ſeparata, perſona dici non debet.* Vnde Græci *hāc ſacram hominis ſubſtantiam non hypoſtaſim ſed* ἐνυπόστατον *vocant, quaſi in alio ſubſiſtentem, &, vt ſic dicam, perſonatam.* Et Latini *non dicunt propriè* Chri-

Quid Mixtio.

Cur vnica in Chriſto *ſit perſona.*

Christus nō assumpsit hominem, sed humanā naturā.

stum assumpsisse hominem, etsi hæc locutio interdum apud Veteres occurrat, sed humanitatem, quòd Hominis vox concretorum more non modò naturam, sed & naturæ subsistentiam atque hypostasim declaret. Nunquam autem ex ea carne & hac anima, quam Verbū assumpsit vlla fuit composita persona, cùm, vt rectè à Sentētiarum scriptore dictum est, eam animam eámque carnem accipiendo vniuerit, & vniendo acceperit. Hoc significauit B. Ioannes per illud, Verbū caro factum est. Nam si humana Christi substantia extra verbum aliquando constitisset, dicere debuerat, Caro facta est Verbum, id est, caro ante facta, postea à Verbo suscepta est. Hinc facile percipitur, quàm rectè à Scholasticis scriptū sit vnionem deitatis cum humana natura esse in vnitate personæ non humanæ, sed diuinæ, non assumptæ, sed assumentis, nō personæ cuiuslibet, sed solius verbi. Idque ne vel humana Christi natura per se constitisse, aut etiamnum constare, vel Pater & Spiritus carnem assumpsisse videantur.

Ioan. I.

37. Nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo: Hypostaticè scilicet, id est, sicut anima rationis particeps & caro vnam hominis personā conficiunt, sic Deus & homo vnus est Christus. i. vnā personam Christi constituūt. Eo enim hæc similitudo propriè pertinet, vt à Durando scholastico non ignobili annotatum est lib. 3. sentent. dist. 6. q. 3. Et proinde hac etiam similitudine ad declarandum vnā esse in Christo hypostasim vsi sunt Augustinus ad Dardanum epistola 57. in Enchiridio cap. 36. lib. 13. de Trinit. cap. 17. Et in libro de Trinitate & vnitate Dei, & Tract. 75. in Ioan. Iustinus Martyr in expositione fidei, Nazanz. prima ad Clidonium epistola, Cyrillus cap. 8. libri de

incarnatione vnigeniti, Damasc.*lib.3.cap.3.* Vincentius Lyrinẽsis de *antiq.fid.Præterea* Ecclesia in Ephesino cõcilio.*Testis est* Cyrillus *in* Epistola,*quã auctoritate totius synodi scripsit ad* Nestorium. *Quamuis,inquit,Verbum habitauerit in nobis, & dictum sit in Christo habitare omnem plenitudinẽ diuinitatis corporaliter, attamen intelligimus eum talem sibi fecisse habitationem;qualem & anima hominis habere creditur ad proprium corpus* Et post, *Non enim duplex est vnus Christus,quamuis ex duabus diuersisque rebus ad vnitatem cognoscatur indiuiduam conuenisse, sicut homo quoque ex anima constans & corpore,nõ duplex,sed vnus potius est ex vtroque. Quia autem nulla est similitudo tam propria,quæ non habeat multum diuersitatis, videamus quatenus hæc ad præsens institutum accommodari debeat,quatenus nõ debeat; Primum sicut in homine duæ naturæ planißimè distinguntur,vt tamen nõ duos homines nec duas personas, nec duos* Abrahamos *esse censeamus,sed vnũ hominẽ ex duplici natura spirituali corporeáq; cõstitutũ,ita in* Christo,*vt tamen non duas personas aut duos* Christos *constitui,&* Christum *diuidi atque conuelli dicamus. Duæ enim in eo coniunguntur,vt tamen non confundantur,neque altera in alteram intereat aut commutetur,quemadmodum* Augustinus *epistola tertia contestatur.Sicut,inquit,in vnitate personæ anima vnitur corpori,vt homo sit, ita in vnitate personæ* Deus *vnitur homini vt* Christus *sit. In illa ergo persona mixtura est animæ & corporis, in hac persona mixtura est* Dei *& hominis, si tamen recedat auditor à consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri,vt neuter seruet integritatem suam. Quanquam*

Ioan.1.
Col.2.
Similitudo hæc tantũ attingit rationem hypostaticã.
Aug ad Volusianum epist.3.

» *& in ipsis corporibus aëri lux incorrupta misceatur.*
» *Ergo Persona hominis Vnio est animæ & corporis.*
» *Persona autem Christi vnio Dei & hominis.* Deinde *quemadmodum anima coniuncta cum corpore corpus animatum denominat, ita diuinitas hominem Deum.* Etsi enim species disparatæ de se mutuo non enuntiantur, cùm hæ falsæ sint, Homo est arbor, Arbor est asinus, Asinus est lapis, id tamen fallit vbi duarum naturarum disparium talis facta est vnio qualis animæ, & corporis. Tertiò, vti anima in corpore cum corpore aliquas actiones habet communes, vt sentire, appetere, tristari, gaudere, amare, quasdam proprias, vt intelligere, vt velle, sic diuinitas cū humanitate quasdam ἐνεργείας communicat, vt rerum omnium peritiā, vt miraculorum effectionem, quasdam non communicat, siue quia natura humana eorum minimè est capax, siue quia illas ad suā perfectionē non requirit, cuiusmodi sunt omnipotētia & omnipræsentia. Quartò, quēadmodū anima multa per corp⁹ gerit. (Nā per corpus fabricat, legit, curat, ferit, &c.) per se plurima sine corporis adminiculo administrat, vt cùm se à contagione carnis liberans cælestia, diuina, æterna contemplatur, (Non enim ita alligata est corpori, quin aliquando illo se soluat & explicet) ita diuinitas multa exercet per suam humanitatem, olim quidem per ipsam miracula edidit, cælestem sapientiam hominibus nuntiauit; salutem nostram operata est, hodie verò in Eucharistia gratiam nobis largitur, corpora mentésque alit, pontificis & mediatoris officium obit, & pleraque alia exequitur nobis apprimè salutaria. Quintò, Anima non omnia verè & essentialiter cum corpore communicat, sed duntaxat titulo tenus.

Secunda ratio similitudinis.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Nam corpus humanum non dicitur rationis consilíique particeps nisi per accidens & rursum corpus non communicat cum mente sua omnia nisi quadam consecutióne cùm secabilitatem, ægritudinem, mortalitatem & similia ei non tribuat. Ita Diuinitas *non vniuersas suas proprietates humanitati largitur, & vicissim humanitas suas diuinitati non tribuit, nisi per idiomatum communicationem, id est, per accidens & impropriè.* Sic *enim* Christus *homo æternus dicitur omnipotens, vbique consistens, quia* Deus *etiam est, cuius hæ sunt notæ propriæ.* Postremò, *quemadmodũ actiones vtriusque toti composito verè tribuuntur, quæ alioqui naturis separatis tantummodò conuenirent, sic enim homo intelligit, vult, ratiocinatur, medicinam facit, negotia exercet, ægrotat, cùm tamen intelligere, velle, ratiocinari functiones sint animi propriæ: ægrotare, sitire, famere corporis, reliquæ vtriquæ communes: ita toti personæ* Christi *omnia absolutè tribui possunt, quæ sigillatim de altera naturarũ prædicãtur.* Christus *enim æternus est & temporalis, infinitus, & finitus, vbiq; & non vbiq; cõtraria profectò multa propter diuersas naturarum proprietates in se vnũ colligens.* Breuiter Vnio *hypóstatica tam arcta est, vt propter eam enunciationes in quibus naturæ dicuntur de tota persona per synecdochen, id est, communicationem idiomatum, recipiat,* Verbum caro factum est, *omnis* caro videbit salutare Dei, *id est, homo,* Animæ septuaginta descenderunt in AEgyptum, *id est homines.* Et *è conuerso persona de naturis,* Non mortui Domine laudabunt te, neque omnes, qui descendunt in sepulchrum, *hoc est, corpora mortuorum, quæ iacebunt muta &*

Communicatio idiomatum. Sexta.

Cõplexio notanda.

Ioan 1.
Es. 40.
Gen.

Psal. 6. *stupida in suis sepulchris.* Quoniam non est in morte qui memor sit tui, *id est, corpora mortua silent in morte, & tui recordari desinunt.* Psal. 9. Descendant in infernum viuentes & conuertantur peccatores in infernum, *id est, animæ quæ viuunt, animæ peccatorum descendant ad inferos.* Esa. 48. Descendentes in foueam, *corpora descendentia.* *Quatenus autem, hic dissimilia multa reperiri queant, age propter Vbiquitarios & semieutychianos explicemus.* In *primis non sicut anima & corpus hominem secundū substantiam componunt, ita diuinitatem & humanitatem partes esse Christi constituentes arbitrādum est, ne Verbi existentia dependeat ab esse Totius.* Deinde *si vnio diuinitatis humanitatisque æquaret vnionem animæ & corporis, diuinitas esset forma humanitatis, eáque vnio esset essentialis, cùm tamen sit tantùm personalis, quæ inter essentialem & accidentariam media existit.* Præterea *animus & corpus faciunt vnum hominem sicut potestas & actus, sicut materia & forma.* Atqui *vtraque natura hic actus est, & velut forma.* Rursum *ex animo & corpore efficitur tertia quædam natura, quæ nec animus est, nec corpus, scilicet homo vtraque natura constans, qui & significat vnam naturam compositam ex duabus.* Atqui *Christus tantùm significat vnam personam habentem duas naturas.* Postremò *ex animo & corpore efficitur quoddam suppositum quod neque proprium est corporis neque animi sed commune vtrique.* Ex natura *autem* Dei *& humana nullum suppositum efficitur, sed id, quod erat diuinum suppositū, sustentat vtrāque naturam.*

Quæ hic dissimilia. Vide Bandinum.

38 Descendit ad inferos. *Ambrosius in quintum*

caput ad Romanos auctor est Arianos huic articulo ita fuisse aduersatos, vt eum de Symbolo Apostolorum expungerent. Ab his parum absunt, qui vel eum per inanem ταυτολογίαν confundunt cum altero, Sepultus est, vel tropicè inferorum vocem ad nescio quam desperationem & gehennæ sensum horrendum torquēt. In illis est Bucerus & magna Germanorum pars, in istis Caluinus & Beza, & reliqua Geneuensium colluuies. Ecclesia omnium temporum credidit, quod verba simpliciter sonant, Christum mortuum, corpore quidem elatum fuisse in sepulchrum, ita tamen vt nō experiretur corruptionem, animo autem descendisse ad inferos, non quidem vt dolores inferni pateretur, (illos quippe non sensit) sed vt illinc Patres, qui sub spe reseruabātur, extraheret. Eò descendens vt victor, non vt debitor, vti sonat vulgaris Scholasticorum parœmia. Quod nituntur voce Hebraica שאול, *impudenter certè faciunt, ac quemadmodum in errore versantur, qui eam vocem nūquam sepulchrum designare contendunt, sic fronte sunt perfricta, qui vspiam Gehennæ regionem negant significare. Tantum enim abest, vt eam non significet, vt etiam primò, propriè ac per se illam significet, nec nisi per quendam tropum ad sepulchri acceptionem transferatur. Istud primùm apparet è veteribus cunctis interpretibus, seorsum è septuaginta, qui constanter* שאול *reddunt voce* ᾅδου. *Deinde Talmudistæ & Chaldæi paraphrastæ, dum tractant locum Psalmi 49. Redimet animam meam de manu Seól, & versum Psalmi noni, Conuertantur omnes peccatores in infernum, Seóla, itémque similes, Seól exponunt Ghehinnom. i. Gehennam. Quin etiā addunt in Deras* ה *finibus adiici ad declarandum,*

Castalio putauit Seol Heb. tātùm significare Gehennā.

Seol, ꝓpriè infernum significat.

Cellæ inferni multiplices. *quòd non solùm ad infernum impij descendant, sed etiam ad inferiorem inferni gradum. Constituunt enim varia Gehennæ Tabulata, vt ad Psalmum 9. R. Dauid indicat, id est, septem, quemadmodum è suis maioribus recenset R. Solomon sub finem capitis 24.*
Luc.16. *Esaiæ. Nostri tamen eius quatuor receptacula tantummodo numerant, limbum Patrum, cui Christus Sinus Abrahæ nomen imposuit, limbum puerorum, qui absque baptismi regeneratione vita excesserunt, Purga-*
1. Pet.3. *torium, quem locum perspicuè carceris nomine intelli-*
Apoc.9. *git D. Petrus, damnatorum tartarum, qui in Psalmis*
19. *nuncupatur infernus inferior, in Apocalypsi, puteus*
20. *abyssi, Abaddon, Apollyon, q. perditio, abyssus, stagnũ*
Matt.5. *ignis & sulphuris, in Euangeliis, gehenna, ignis æter-*
25. *nus, ignis inextinguibilis. Sed ad rem. Seól sonare gehennam etiam intelligitur ex adiunctione. solet enim iungi explicationis causa, & ἐκ παραλλήλου cum voca-*
Apoc.9. *bulo* אבדון, *Abaddon, quod significare abyssum inferni, perditionísque locum grauius est D. Ioannis testimonium, quàm vt poßit excipi. Iob 26, Nudus est seól, infernus coram eo, & non vestimentum ipsi Abaddon. Prouerb. 15.* שאול ואבדון *infernus & perditio. Prætereà Hebræorum omnium hæc sententia est. R. leui. in 26. Iob.* שאול היא מטה במוחלט. והוא מרכז. *seol est imus mundi locus, propriè siue absolutè, id est, mundi centrum. R. Abraham in 2. cap. Ionæ.* שאול מקום עמוק הפך השמים. שהוא מרום: *Seol locus est profundus oppositus cælo, qui locus est mundi superus. Et Psalm. 139. si descendero in infernum ades, Seol, inquit, locus est totius terræ infimus oppositus cælo. R. Solomon Ps. 49. interpretatur* גיהנם *gehennam. Hebræi in Midras Tehillim Psalmo 6,* מי שאינו מהול יורד

בגיהנם וכן ישעיה אומר הרחיבה שאול &c. Quicunque circuncisus est, descendet in gehennam, sicut minatur Esaias, Dilatauit Seol, infernus animam suam, & aperuit os suum sine statuto, id est, vt subiicit Midras, in eum exeruit os hians, qui est absq; statuto circuncisionis. In eundem locũ Esaiæ Lyranus & origine & eruditione Hebræus, infernus, inquit. i. Seol duobus modis accipitur, in scriptura, vno ꝑ fossa, in qua ponuntur corpora mortuorũ, altero pro loco, in quem descendunt animi eorum, qui non subuolant in cælum. Elias in Methurgheman confirmat, dum scribit magna ex parte Seol transferri in גיהנם. i. gehennam à Paraphrastis Chaldaicis. Et ne quis posit de eius mente dubitare in Tisbi gehennam apud suos, significare scribit regionem cruciatibus & suppliciis sempiternis destinatam. Postremò sententiæ Christi & Ioannis discipuli ipsius dilecti communire id debent. Hi cùm in historia diuitis, & Apocalypsi inferni vocẽ vsurpauerint, non pro sepulchro, quemadmodum isti solent sumere, sed loco cruciatus, vti illic vocatur, facta etiam ignis & flammæ mentione, nec illi Hebraicè loquentes ad id alia voce vti potuerint, quàm שאול vel Syriaco flexu שְׁיוֹל, apertè testati sunt istorum opinionem sine pingui inscitia probari haudquaquam posse. Clarus est versus Psalmi 49, Verùm Deus redimet animam meam de manu Seol, inferi, cùm acceperit me. Se opponẽs impiis, qui fiduciã in diuitiarũ incerto collocãt. Illi certè, inquit, peribũt, ac infernus illis erit pro æterno habitaculo. Me verò dominus, cùm acceperit me, id est, de vita sustulerit, vt Rabbini rectè interpretantur, liberabit me non de sepulchro, (nam non carebo honore sepulturæ, aut non immunis ero mortis, quæ omnibus communis est) sed

Luc. 16.
Apoc. 19. & 20.

de inferno, in quem cadere solent impij. Propriè ergo Seol *designat profundiora mundi loca, atque adeò ipsum terræ centrum. nempe quia peccatorum animæ, imò verò & tandem, corpora illô detruduntur.* Nam *illic inferorum locum situ esse omnibus, nedum* Christianis, *semper fuit persuasum.* Tertullianus, *vt omittam* Hebræorum, Philosophorum, Poëtarum cõmunes δόξας, *libro de anima, pag. 685. cap. de eius receptu,* Inferos, *ait* Plato, *velut gremiũ terræ describit in* Phædone, *quo omnes labes mundialium sordium confluũt, &c.* Et *paulò post,* Nobis *inferis non nuda cauositas, nec subdiualis aliqua mundi sentina creduntur, sed in fossa terræ & in alto vastitas, & ipsis visceribus eius abstrusa profunditas.* Siquidem Christum *in corde terræ triduum mortis legimus expunctum, id est, in recessu intimo & interno, & in ipsa terra operto, & intra ipsam cauato, & inferioribus adhuc abyssis superstructo.* strabus *in 14.* Esaiæ *ad illud,* Infernus subter te conturbatus est, *sub terra, inquit, positus est infernus, in quo visus sit diues ille à* Lazaro, *vnde dominus vinctos suos eruit, ac vbi vinctum diabolũ deseruit.* Ad *eundem locum* Nicolaus Lyranus, *communi notione infernũ collocatum fuisse in terræ parte profundissima asserit, itémque ad caput eiusdem 30. refellit* Hebræos, *quorum opinione gehenna instituta est secundo orbis conditi die, ex hac loci positione.* Nã *die 2, inquit, distinctio duntaxat facta est, cæli ab aquis, vbi nõ extat gehẽna, sed* circa centrũ terrę, *sicut cẽsent doctores.* Anselmus Cantuariẽsis *expressius alicubi commemorauit sententiam esse* Ecclesiæ, *vt inferi illic siti sint, vbi terræ medium collocatur.* Vnde *&* Augustinus *retractans quendam locum sub terris*

Inferi sunt circa cẽtrũ mundi.

Plato *in* Axiocho.

Virg. *lib.* 6. *æneid.*

Aug. *in lib.* Retract.

eos existere memorat, & D. Hieronymus *enarrans dictum domini*, Sicut fuit Ionas in ventre ceti, sic Filius hominis in corde terræ, *Quemadmodum, inquit, cor est in medio animalis, ita infernus in medio terræ.* Hieron. in Matth. 12.

Sed quid hoc, inquies, facit ad articulum, Descendit ad inferos, *cùm præsertim ad locũ suppliciorum æternorum Christi anima non videatur descendisse? Primùm attingo sententiam Ambrosij, qui in quartum caput Epistolæ ad Ephesios docet Christum descendisse etiam ad locũ damnatorum, illinc vt aliquos erueret, cæteris verò se demonstraret Christum Filium Dei viui, qui esset constitutus vniuersorum iudex. Deinde repello temeritatem sectariorum, qui aliquid gloriosum reperisse se putãt, dum garriunt vocem Hebræam* שאול *propriè sonare sepulchrum. Postremò ostendo Christum non tantùm anima descẽdisse in locum, vbi piorum animæ requiescebant, de quo illud domini ad latronem conuersum*, Hodie mecum eris in Paradiso, *sed etiam in carcerem, de quo Petrus loquitur, vbi non sine cruciatu propter ante actæ vitæ culpas peccatores tenebantur. Atque hinc certè Hieronymus ad Danielis tertium caput scribit, quartum, qui descendit in fornacem ad tres pueros, in typo præfigurasse* Filium Dei, *qui in fornacem descendit inferni, in quo clausæ & peccatorum & iustorum animæ tenebãtur, vt absque exustione noxáque sui eos, qui detinebantur inclusi, mortis vinculis liberaret.* Et *Augustinus lib. 12. de Genesi ad literam cap. 33. concionem Petri de solutis doloribus inferni non posse aliter intelligi affirmat, quàm vt aliqui soluti ereptíque censeantur è doloribus & suppliciis inferni. Cætera apud eundem lege ad* He-

An Christus descẽderit in gehennã.

1. Pet. 3.

Act. 2.

modium epistola 99. vbi exponit oraculum de Euangelio mortuis per Christum mortuum quidem carne, viuificatum autem spiritu prædicato, ac infideles appellat, qui talem Christi ad inferos descēsum inficiantur. Quis nisi infidelis, inquit, neget apud inferos Christum fuisse. Et paulò pòst, secūdum Catholicam fidem firma authoritate fundatam, tenendum Christum fuisse apud inferos. Lege præterea eius epistolam 57. quæ est ad Dardanum, vbi quid sit, Hodie mecū eris in paradiso, explicandum suscipit, docétque non repugnare vt idem Christus & in sinum Abrahæ & in carcerem afflictionibus destinatū vicissim penetrauerit. Vt profectò ex eo facilè innotescit, quod ad Paulam super obitu Blesillæ scripsit Hieronymus. Nam sinus Abrahæ locus quidem extitit refrigerij, sed tamen inferni erat portio, quemadmodum ante eum Tertullianus libr. 4. contra Marcionem notauit hisce verbis. Etsi regio illa (de sinu Abrahæ loquitur) non sit cælestis, tamē est inferis sublimior. Adde quod Nyssenus ostendit oratione prima de Resurrectione potuisse Christum eodem tempore tribus esse in locis, in manibus Patris, in paradiso, in inferno, propter arctā diuinitatis cū animo & corpore coniunctionē, quæ tāta fuit, vt iuxta Theologorū prouerbiū, quod Christus semel assumpsit, nūquā dimiserit. Itaque quoniā corpus erat adunatum diuinæ Verbi personæ, cùm corpus extabat in sepulchro, illic quoque extabat Christus, item cùm anima erat in inferno, in eo etiam erat Christus, denique cùm diuinitas in paradiso siue manibus siue sinu Patris conquiescebat, Christum quis inde remouerit? Hanc extitisse fidem veteris Ecclesiæ testātur Ignatius in Epistola ad Trallianos, vbi summam fidei & quasi symbolum re-

1. Pet. 3. & 4.

Infidelis qui non credit hūc articulum.

De sinu Abrahæ.

In triduo » Christus » tribus in » locis.

citat, Epiphanius *in hæresibus* 77. & 69. & *in* Ancorato, Hirenæus *sub extremum libri quinti*, Athanasius *lib*.3.*de incarnatione* Verbi, Nazanzenus *oratione de* Paschate, Basilius *in* Psalmum 48.

39 Ascendit ad cælos. *Hic articulus potest accipi de diuinitate* Christi, *quæ aduersa quadam ratione venisse & descendisse è cælo, è sinu* Patris, *à* Patre *dicitur*. *Quemadmodum igitur* Dei Filius *descẽdit, non quòd inde recesserit, vnde descendisse asseritur, sed quia nobis sub naturæ humanæ integumẽto apparuit. (Nam localis non est iste descensus) sic hinc ascendisse dici potest, cùm humanitatem in cælũ sustulit, nõ quòd à nobis secundum diuinam substantiam, quæ vbique est, à nobis tum discesserit, sed quia eius humanitate, in qua cernebatur, in cælum sublata præsentia illius diuinitatis latet apud nos, nec potest conspici*. Hanc *esse* Augustini *sententiam apparet è* 96. *tractatu in* Ioannem, *dum interpretatur oraculum*, Vado vobis locum parare. Si bene, *inquit*, te (ô Christe) intelligo, nec vnde vadis, nec vnde venis recedis. Vadis latendo, venis apparendo, *sed nisi maneas regendo, & nos proficiamus bene viuendo, quomodo præparabitur locus*? *Nec hæc interpretatio caret* Scripturarum *approbatione*. Nam *illæ vti ad declarandum peculiarem* Dei *ad homines aduentum, & quasi introitum* Deum *loquentem hoc modo faciunt*, Descẽdamus & confundamus labium eorum, &, Ecce dominus egreditur de loco suo & descendit, *ita ad exprimendum eius ab hominibus recessum per pœnas de nobis sumptas siue etiam ob aliam causam, rursum de eo loquuntur*, Ascẽdit dominus in iubilo, ascendit dominus in voce tubæ, &, Qui ædificat in cælo ascensionem suam, *vt cùm canit*

Ascensio in cælũ potest accipi secũdum diuinitatem.

Gen. 10.
Mich. 1.
Ps.
Amos 9.

Poëta, Terras Astræa reliquit.

Quatenus autem humanæ naturæ ascensio conuenit, articulus planus est, nec eget longiore tractatione. Nempe humanitatē suam dominus post 40. dies à sua resurrectione sustulit in cælum i. locum beatorum supra omnes cælos, qui motu, influxu, lumine suo horum inferiorum commoditatibus vtilitatibúsq; inseruiunt. Hoc piorum quidem domicilium tantummodò Strabi, Bedæ & recentiorum authoritate Empyrei nomen obtinet. Cæterùm veteris Ecclesiæ fide atque sententia eius veritas commendatur. Nam de illo ex D. Augustini dictatis sic Iunilius Africanus Episcopus in principium Geneseos pertractās scribit. Ipsum enim est cælum superius, quod ab omni huius mundi volubilis statu secretum diuinæ gloria præsentiæ manet semper quietum. Nam de nostro cælo, in quo posita sunt luminaria huic sæculo necessaria in sequentibus scriptura quomodo & quando factum sit, declarat. Non ergo superius cælum, quod mortalium est omnium inaccessibile circunspectibus inane creatum est, & vacuum, vt terra, quia nimirum mox creatum suis incolis, id est, beatissimis angelorum agminibus est impletum. Et paulò infrà. In eius expositione sententiæ S. Hieronymus meminit & superioris cæli ita scribens. Antequā de cælo corrueret (diabolus) ista dicebat, & postquàm de cælo corruit. Si adhuc in cælo positus, quomodo nunc dicit in cælum ascendam? sed quia legimus, cælum cæli domino cùm esset in cælo, id est, firmamento, in cælum, vbi est solium domini cupiebat ascendere, non humilitate sed superbia. Sin autē postquam de cælo corruit ita loquitur, in cælū ascēdam, exaltabo soliū meum, arrogantiā debemus intelligere.

De cælo Empyreo.

Hiero. in illud, Ascēdam in cælū. Es. 14.

Et vtroque antiquior B. Basilius in Hexaemero hanc beatam sedem, eius gloriam & antiquitatem describens, Erat, inquit, sanè status quidam mundi generatione superior, abstractis illis à concretione materiæ potentiis mundo præstantioribus pro decoro accommodatus, temporis etiam conditione anterior, æternus nimirum & perpes, hoc est, nulli vnquam subiectus corruptioni ac destructioni. Quæ accepta ex illa cælestis domicilij designatione, quam Ioannes in Apocalypsi delineat, dubitare non potest, qui illă factam attendit, postquàm Bestia Antichristus cum suo Pseudopropheta in stagnum ignis & sulphuris est præcipitatus, postquàm satanas, qui seducebat gentes in abyssum est detractus, postquàm magni & pusilli mortui stare cœperunt in conspectu agni, & libri conscientiarum aperti sunt, vt de illa cælesti domo, quæ & ciuitas magna & paradisus dicitur, vbi perpetuæ filij Dei & sponsæ eius ecclesiæ nuptiæ celebrantur, lubeat cum Propheta Baruch exclamare, O Israël, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius. Mirum est autem gentilem Philosophum sine fide, sine verbo Dei de ea, hæc tam præclara scribere potuisse. Perspicuum illud est nec locum extra cælum esse, nec inane, nec tempus. Itaque ea quæ ibi sunt non sunt in loco, nec ea tempus ad senectutem compellit, nec eorum, quæ supra extimum orbem eorum, qui descripti distinctique sunt, habitant, vlla est mutatio, sed ab omni commutatione vique externa libera & secreta & optimam vitam, quæque seipsa contenta est maximè, ex seque omnia, quæ optare quis possit, copiosissimè suppeditat, per omne æuum traducunt. Nam quid his diuinius, quid celsius dici scribi-

Hom.I.

Apoc.21.

Apo.20.

Bar.3.

Arist. lib.I. de cælo cap.9.

Cælū Empyreū non esse increatum.

ve poßit, equidem nescio. Illud tantùm reprehendò, quòd quidam meliores profectò philosophi, quàm Christiani cælestem separatarum mentium sedem non esse procreatam, sed quasi esse fulgorem à Deo *ab omni æternitate manantem existimant. Quo quid nō dicam falsius, sed repugnantia magis inuolutum pronuntiari potest, cùm præsertim istis hoc cælum non sit* Deus? *Quicquid enim* Deus *non est, illud oportet esse procreatum, & vicißim quicquid non est procreatum* Dei *appellatione atque essentia censeatur necesse est. Et tamen Hebræorum plerique, ac in eis quidem* R. Eliézer *in suis* PirKé, *in ea versantur opinione. Quin etiam ad ipsos* R. Dauid Kimhi *accedens in commentariis secretioribus in Quadrigā* Ezechielis *ita scribit,* הכסא לא יהיה דבר חוץ מעצמו כי אין למעלה מן הרקיע נפרד אחר אלא היושב והכסא מורה כמותו עצמותו וגדולתו׃ Solium *(Ita autem* Sedem, *in qua* Deus *se copiosè communicat, appellant* Hebræi) *non est aliquid extra* Deum, *cùm suprà cælum nihil sit separatum, per seque constans præter* Deum, *qui sedet, solium autem declarat quantitatem ipsius, substantiam atque magnitudinem. Quemadmodum enim (vt ille subiicit) rex internoscitur, qui fortaßis alioqui multis ignotus esset, dum sedet in throno regio supra principes suos, sic natura sapientiáque* Dei *sedentis ipsum ostendit esse rem nobilißimam, causámque omnium.* R. Mose Maiemonis *filius nono capite partis primæ libri, qui inscribitur* Moré Nebu-

chim;

ëhim, eadem docet. Sedes, inquit, Dei aliud non est, quàm ipsius essentia; nec est aliqua creatura, vt sit creator inuentus in sede & sine sede, quia istud esset blasphemia, & scriptura dicit, Tu Deus in æternum permanes, sedes tua in sæculum sæculi. Hinc enim demonstratur nihil esse separatum ab ipso. Ideóque sedes hoc loco & in aliis pluribus est gloria sua & fortitudo, quæ non est aliud ab essentia sua. Atqui ipse potius audiendus erat, cùm hanc sententiam infirmaret lib. 2. eiusdem operis cap. 27 & 28. docerétque cùm nostro D. Thoma hanc beatorum sedem fuisse creatam siue cum materia informi, quam chaos nominamus, siue potius incertis antè sæculis. Nam Hebræi qui Dei thronum creatum contra R. Eliezerem defendunt, in eam inclinant sententiam. Auctor R. Dauid Kimhi in 22. Esaiæ, vbi septem esse asserit, quæ Veteres Patres tradiderint à Deo fuisse procreata, antequam mundus conderetur. In quibus hãc regionem, de qua agimus reponit, sequutus opinionem Abben Ezræ, qui in commẽtariis in Decalogum docet mundũ עליון conditum Dei potestate ac numine.

40 Sedet ad dexteram Dei. *Hic articulorum omnium solus metaphoricè exponendus est. Nam Deus dùm res sit spiritualis & planè incorporea* Ioan. 4. *neque stat, neque sedet, nihil habet dextrum, nihil læuũ, vt per sessionem ad dexteram locus quidam corporeus significari valeat: sed non satis claret, quò referri debeat tropus, ac primum quid demonstret, deinde vtrum ad diuinam Christi naturam, an ad humanam, aut etiam vtramque accõmodandus sit. Græci magna ex parte dexteram interpretantur gloriam & honorem Diuinitatis, in quo Filius ante sæcula,*

Opinio græcorũ de sessione ad dexteram.

vt Deus & Patris ὁμούσιος semper extitit. Itaque Se-
dere ad Dexteram Patris nihil esse aliud sentiunt,
quàm simul cum patre obtinere θεότητος gloriam, bea-
titudinem, potestatem Regum more, qui filios ad suos
thronos euehunt, suæque gloriæ & maiestatis con-
sortes faciunt. Vnde Basilius cap. 6. libri de S. Spiritu
ad Amphilochium, ἡ δὲ, inquit, δεξιὰ τὸ τῆς ἀξίας ὁ-
» *μότιμον. Dextra est dignitatis honorísque æqualitas.*
» *Et Athanasias oratione 2. contra Arianos pag. operũ*
» *163. Christus ad dexteram sedens, non ad sinistram*
» *sedentem habet Patrem, sed ideò hoc dictum est, quia*
» *quod dextrum & magnificum est ac Patri ascribitur,*
» *hoc ipsum quoque Filius habeat. Atque inde est quod*
» *dicit, omnia quæ habet Pater, mea sunt. Et ad Antio-*
» *chum principem quæstione 78. de gloria Christi tra-*
» *ctans, Dexteram quando audieris maiestatem &*
» *gloriam Dei intellige. Damascenus idem sentit libro*
quarto de Orthodoxa fide cap. 2. δεξιὰν δὲ τοῦ πατρὸς λέ-
γομεν τὴν δόξαν καὶ τὴν τιμὴν τῆς θεότητος. Dextram au-
tem Patris dicimus gloriam & honorem diuinitatis.

Aug. sententia.

Nostri bifariam interpretantur. Qui sequuntur Au-
gustinum confessum huiusmodi iudiciariam potesta-
tem vniuersorum ipsi à patre collatam exponunt,
metaphora à præsidibus sumpta, qui pro tribunali
ad ius dicundum sedere consueuerunt. Sic enim
» *habet Aug. in sermone de symbolo. Sedere ad dexte-*
» *ram Patris nihil est aliud, quàm simul cum Patre glo-*
» *riam deitatis & iudiciariam potestatem habere im-*
» *mutabilem. Quod videtur significare Paulus 1. Cor.*
15. dum illud Psalmi 109. sede à dextris meis, circun-
scribẽs, Oportet, ait, illum regnare, donec ponat omnes
inimicos sub pedibus eius. Et ipse dominus Matthæi

16. cùm iudicij sui metũ scelestis & impiis iniicit, verum tamen, inquit, dico vobis à modo videbitis Filium hominis sedentem ad dexteram virtutis Dei & venientem in nubibus cæli. Quemadmodum enim eum more Patronorum stãtem legimus, cùm interpellaturus pro nobis ex suo Mediatoris, Redemptoris, sacerdotis officio intelligitur, sic videtur induci in solio sedens, dum iudicis munia in eo attenduntur. Accedit formulâ Hebraïcâ sedere idem esse ac præsidere, regnare, dominari. Es. 28. in die illa erit dominus Spiritus iudicij sedenti super iudicium, de Ezechia, qui apud Iudæos regnabat. Paulus 1. Thes. 2. de Antichristo in templo Dei sedet, id est, præsidet atque regnat. sic Christus, cui Pater dedit omne iudicium, in dextera Patris sedere dici potest, hoc est, regnare, imperare, præsidere, vtpote omnium dominus ac hæres constitutus. Recentiores in quibus D. Thomas, sedere ad dexteram Dei Trinitati esse proximum, potioribúsque frui bonis siue gloria post Deũ maxima interpretantur, quod dextera pars sit corporis potior, melior, nobilior, & humano more nequeat alter alterũ sibi charissimũ maiori honore afficere, aut euidentius aliis omnibus anteponere, quàm si ipsum ad dexteram suam asciscat & sibi à latere faciat, vt olim Iosephum Pharao. Hanc igitur ob causam Christus sedet ad dexteram, quoniam ex donorum communicatione, quàm potuit fieri copiosissima, cuncta bona, quibus illius humanitas inter omnes res conditas excellit, possidet. Vnde quâ etiam homo angelis dignior est, authoritate maior, felicior, beatior, omnibus virtutibus, perfectionibus & donis cumulatior, vt proinde nulli angelorum dictũ sit aliquandò, sede à dextris meis, quemadmodum differit

Act. 7.

Recentiorũ enarratio.

Heb.1. ad Hebræos Apostolus Et certè in sacris literis dextera est symbolū authoritatis, dignitatis, felicitatis, omnis generis præstātiæ, quēadmodū cōtrariorū sinistra prouerbiorū Salomonis tertio. Huic enarrationi scripturæ multæ fauere videtur, quippè quæ sessionis huius maximè meminerint, cùm de glorificatione Christi ignominia & dedecore crucis iam affecti sermo est, quasi propterea Pater ipsum ad dexterā suam exaltauerit. Marci vltimo capit. Dominus quidem Iesus postquàm locutus est eis, ascēdit in cælum & sedet à dextris Dei. Ad Ephesios primo, Cùm suscitaret eum ex mortuis, hunc sedere fecit ad dexteram suam in cælestibus, supra omnem potestatem & principatum & virtutem & dominationem & omne nomen, quod nominatur nō solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam. Ad Hebræos duodecimo, Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. Apocalypsis 3. Ego vici, & consedi cum Patre meo in throno eius. 1. Petri 3. Per Resurrectionem Iesu Christi, qui est in dextera Dei deglutiens mortem, vt vitæ æternæ hæredes efficeremur. Ex his non est difficile iudicare ad vtram naturam hæc sessio referenda sit. Si Græcorum enarrationem sequimur Christus Deus ad dexteram Dei sedet, id est, in Dei æqualitate. Nam absurdum est credere, quod Brentiani magno obnixu lacertorum disputant Christum qua homo est, obtinuisse ea omnia quæ propria sunt Dei, eóq; respectu esse omnipotētem, omnipræsentem, &c. vt mox differam. Hinc ergo fit, vt Athanasius, cuius sententiam de sessione ad Dexteram duobus ex locis attallimus, puter consequēs spi-

ritum sanctum sedere quoque ad dexteram quòd sit etiam Patri æqualis atque ὁμοούσιος. Nam vbi ad declarandum personarum ordinem in libro de communi essentia, capite, Quòd Spiritus sedeat, scripsisset, Tribus, inquit, apud Abrahamū sedētibus, ad sinistrā Spiritus S. sedebat. Ille enim illi attributus est locus, quatenus ad Filium dixit, sede à dextris meis. Ex eo autem quod Filius sedet ad dexteram, intelligere licebit quod per consequentiam dixerit spiritui suo, sede à sinistris. Paulò post propter æqualitatem subnectit. Ex Psalmo etiam centesimo nono, vbi sedentibus illis ait scriptura ad Christum, Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, & Dominus à dextris tuis, liquet spiritum sanctum ad dexteram esse. Quod si Augustinum & recentiores audimus, Christus Homo sedet ad dexteram Dei, id est, potestate iudiciaria, & bonis secundum Deum maximis perfruitur. Hoc enim nihil significat aliud nisi summam maiestatis & donorum communicationē, qua omnes res procreatas antecellit, Christo homini fuisse attributā, nō quod alioqui loci sublimitate quadā cæteros omnes superet. Athanasius sui velut oblitus hāc sentētiā muniit in oratione de fide: verba eius sic extant apud Theodoritū dialogo 2. Polymorphi, παρεθέμεθα περὶ τοῦ κάθου ἐκ δεξιῶν μου, ὅτι εἰς τὸ κυριακὸν σῶμα λέλεκται· εἰ γὰρ τὸν οὐρανὸν ἐγὼ πληρῶ, λέγει κύριος, ὥς φησιν Ἱερεμίας. πάντα δὲ χωρεῖ ὁ θεὸς ὑπ' οὐδενὸς δὲ χωρεῖται, εἰς ποῖον καθίζεται θρόνον, τὸ σῶμα τοίνυν ἐστὶν ᾧ λέγει, κάθου ἐκ δεξιῶν μου. *Proposuimus de eo, sede à dextris meis, docere, quòd in dominicum corpus dictum sit. Si enim cælum ego impleo, dicit dominus, vti ait Hieremias, Omnia autem capit Deus, à nullo autē*

Iuxta Latinos humanitas sedet & quo sensu.

capitur, in quonam sedet solio? Corpus igitur est, cui dicit, sedet à dextris meis. Cui & apud eundem suffragatur Chrysostomus. καὶ τοῦ θρόνου μέτοχον εἶναι τοῦ οἰκείου πεποίηκε. καὶ τὸ πλέον, ἐν τῷ τῆς ἑαυτοῦ δεξιᾶς αὐτὸ μέρει καθίδρυσεν. οὐκοῦν ἐπιγνῶμεν, τίς ἐστιν ὁ ἀκούσας ὅτι, κάθου ἐκ δεξιῶν μου. τίς δὲ; ἡ φύσις ἐκείνη πρὸς ἣν εἶπε. γῆ εἶ καὶ εἰς γῆν ἀπελεύσῃ. *Throni sui participem Christum fecit, & quod maius est, in suæ dexteræ parte collocauit, Agnoscamus igitur, quisnam ille sit qui audit, Sede à dextris meis? Quisnam ille est? Natura certè illa ad quam dixit, Terra es, & in terram reuerteris. Atq; ista ratione non fuerit fortasse absurdum nos quoque, gradibus tamen diuersis, prout cælestibus perfectionibus & donis in cælo abundabimus ad dexteram dei sessuros. Audi quid in Pauli caput secundum ad Ephesios notet Theophylactus. Propterea Paulus di-*

» *xit. Conresuscitauit & consedere fecit in cælestibus in*
» *Christo Iesu, quia vt ipse sedet & nos sedebimus, vt*
» *Christus ait, sedere à dextris meis & à sinistris meis,*
» *non est meum dare vobis, sed quibus paratum est. Ita-*
Matt.19 » *que paratum est. & mox. Quod verò ait in Christo*
& 20. » *Iesu, hoc est, non ad Christum solum vsque hæc persi-*
» *stent, sed per ipsum etiam venient ad nos veluti à*
» *principio ad finem, adeóque simul viuificabimur, &*
» *simul sedebimus. Hæc quidem magnus Ioannes Chry-*
» *sostomus hîc dicit. In Euangelio verò Matthæi dicit,*
» *quòd nemo sedebit, &c. Et eundem locum enarrans*
Carolus magnus in opere contra septimam Synodum,
» *simul ergo sanctos fecit sedere cum christo in cælesti-*
» *bus, non quòd ei sancti confideant, quandiu in hoc*
» *mundo sunt, & ab eo peregrinantur, sed quòd iuxta*
» *Hieronymi sententiam, mos iste sit scripturarum, vt*

interdum futura tempore præterito declinentur, per ſchema quod dicitur prolepſis. Damaſcenus *qui dexteram gloriam & honorem deitatis expoſuerat, videbatur eã debuiſſe ſoli* Chriſti *diuinitati tribuere, quòd eius humanitas nullo modo ad æqualitatẽ* Dei *pertingat.* Et *tamẽ duobus locis vtrãq; naturam huius gloriæ facit participẽ, ſed id tãtũ vt declararet* Deũ *quicquid potuit præmij, in humanã* Chriſti *naturã propter illã vnionem hypoſtaticã cõtuliſſe.* Ac *quemadmodũ humanum corpus efficacitate, felicitate, gloria cæterorũ animalium corporibus antecellit, quòd cum ratione communicet, ſic certè fieri non poſſe, quin* Chriſti *humana ſubſtantia, quia cum diuinitate communicat, cæteras lõgiſsimo interuallo ac beatitudine, gloria, maieſtate, potentia, ſuperet.* Itaque ἐν ᾗ, *ait*, ὁ τοῦ θεοῦ υἱὸς πρὸ αἰώνων ὑπάρχων, ὡς θεὸς, καὶ τῷ πατρὶ ὁμούσιος, ἐπ᾽ ἐσχάτων σαρκωθεὶς, καὶ σωματικῶς κάθηται συνδοξασθείσης τῆς σαρκὸς αὐτοῦ. *In ea* (*dextra* Dei *ſcilicet*) Filius Dei *ante ſæcula exiſtens, vt* Deus & Patri *conſubſtantialis, in nouiſsimis diebus corporatus etiam corporaliter ſedet, carne ipſius ſimul gloriæ celebritate affecta.*

Iuxta Damaſc. lib. 4 cap. 3. & lib. 1. cap. 3. vtraq; natura Chriſti ſedet.

Dam. lib. 4 cap. 2.

His non contenti Brentiani, *in quibus* SchеKius *atque* Smidelinus *noui aliquid, quo ſibi famam & exiſtimationem apud imperitum vulgus compararẽt, hoc loco repererunt.* Vbi *confeſsi ſunt* Chriſtum *propter humanitatem ſedere ad dexteram* Patris, *dexteram non tantùm eſſe aiunt extra cælos, ſed & intra & in omnibus.* Hæc *enim eſt* SchеKij, *ſi* Deo *placet, medici in libr. de perſona* Chriſti *& duabus naturis oratio.* Longius *deinde progredientes* Seſsionem *ad dexteram definiunt omnipotenti maieſtate, plenitudine poteſtatis, omnipræſentia, & cæteris diuinæ eſſentiæ attributis,*

Noua de Seſsione ad dexteram opinatio.

Tria axiomata omnipræſentiariorum.

Seßionẽ ad dexteram aiunt esse Dei omnipotentiam,

quorum participatione humanitas Christi verè sit omnipotens, plenam obtineat in omnia potestatem, omnibus in locis præsto præsensque consistat, cætera denique poßideat, quæ diuinitati naturaliter conueniunt, non quidem natura (lepidè sic distinguere sibi videntur) sed communicatione. Postremò communicationem idiomatum cuius causa Catholici fatemur de Christo homine omnia enuntiari posse quæ de Deo dicuntur, ne duas in ipso personas constituere cogamur, nũquam verbalem (smidelini in libro contra Bezam inuẽtum) censeri patiuntur. Atqui hæc cuncta noua, insolentia, falsa, hæretica esse recognoscet, qui meminerit quæ de duabus Christi naturis & earum differentibus proprietatibus suprà explicata sunt. Dextera Dei in primis, si ad humanã Christi naturam restringitur, infert non omnium bonorum, quæ in Deo insunt, sed eorum, quæ cum creatura communicari possunt, participationem. Ergo quoniam æternitas quæ principium non habuit, immensitas, omnipotẽtia, omnipræsentia & quæ sunt huiusmodi, eiiciunt è creaturæ limitibus & metis eum in quo inesse dicuntur, quid est dicere Christi carnem esse omni in loco præsentem, quàm non esse creatam, quàm esse Deum? Rursum Christi humanitatem sedisse ad dexteram Dei probauimus tum cum glorificato corpore ascendit in cælum, quo tempore plenam possessionem omnium eorum, quæ ad extremam corporis beatitudinem conferebant, iniit. Si dextera Dei extra cælos fuisset, cur non statim post beatã illustrémque resurrectionem consedisse ad dexteram Dei crederetur? Cur eã Apostoli in cælis reponerent? Quæ sursum sunt, ait Paulus, quærite, vbi Christus est ad dexteram Dei sedens. Et ad Eph. constituit eum ad dexte-

Dexteram Dei nõ esse extra cælos.

Colos. 3.

ram suam in cælestibus. Ad Hebræos, portans omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis. In canonica Petri, qui est in dextera Dei profectus in cælum. Præterea, quod ad communicationem idiomatum attinet, quàm sunt inepti, quàm imperiti, quàm stolidi, dum eam putant realem, verbalem non credunt? Sic enim melius suam infantiam prodere non poterant, ac mundo testatum facere se nescire, quid Patres per communicationem idiomatum intellexerint. Communicationem idiomatum tum vsurpauerũt, cùm alteri naturæ aliquid conuenire negarent propriè, per se, & reipsa, per accidens autem negare non possent, propter vnionem personalẽ. Hæ propositiones, hic homo cælos creauit, æternus, omnipotens est, demonstrato Christo, veræ sunt per communicationem idiomatum, id est, per accidens, quòd accidat (sic mihi loqui liceat in hac ineffabili vnione, quæ propriè nec essentialis nec accidentaria censeri debet, vt Catholicam sententiam efficiam planiorem) accidat, inquam, vt hic homo diuinitatem sibi copulatã in vnitatem personæ habeat. Qua ratione Aristoteles de eo, qui faber simul ac medic⁹ sit, fabrum curare & medicum fabricare nõ inuitus confitetur. Atque hinc fit vt cõmunicatio hæc naturas non in abstractis sed in concretis demonstret, quòd ne per accidens quidem proprietates naturarum secum communicent, vt de se inuicem in abstractis enuntiari queant. Nam hæc pronuntiata, Hæc humanitas creauit cælos, diuinitas est, æterna est, quonam sensu concedi possint? Sed falsi sunt, quòd sine iudicio putarent ἰδίωμα hoc loco ἰδιότητα proprietatémque simpliciter designare, cùm tamen Scholastici primi huius

I. Pet 3.

Quid communicatio idiomatũ.

Aristot. 2. phys. 1. ca.

Communicatio idiomatum nõ denominat naturam, sed suppositum & personam.

locutionis inuentores sic prætereà dicēdi modum, quo mutua fit prædicatio concretorum vtriusque naturæ de se inuicem & de persona ex his constituta, appellauerint quasi hîc potius sit verborum, quàm rerum communicatio, quæ quidem inanis non sit, vt isti ganniunt, sed quæ firma duarum naturarū in vnā personā coniunctione fulciatur, atque solidetur. Rectè igitur

Quo modò Christus secundum humanam naturam sit vbique.

Christum hominem esse vbique per accidens quidem, ex idiomatum communicatione admitti posse consentit Thomas. *per se autem, actu, atque reipsa, non solùm alienum, sed impoßibile etiam asseuerat.* Eam autem semper maiorum nostrorum sententiam fuisse sequētibus tabulis innotescere potest, quas idcirco libuit subiicere, vt constaret, Sedere ad dexteram Dei, nequire esse, quod isti peruersè volunt, humanā Christi naturam ad eā peruenisse maiestatem, vt vbique in cælis, extra cælos & in omnibus cōsistat. Ex Græcis Cyrillus lib. 6. in Ioannem cap. 14. *Hîc animaduertēdum, inquit, quòd etsi corporis sui præsentiam hinc subduxerit, maiestate tamen diuinitatis semper adest.* Eiusdem operis lib. 9. cap. 21. *Credere autem oportet fideles, quòd licet à nobis corpore absit, virtute tamē eius omnia & nos gubernari.* Chrysostomus in illud Ioā. 3. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo. Esse, ait, in cælo non attribuitur Filio hominis, nisi secundum naturam potiorem.* Damascenus libr. 3. de orthodoxa fide cap. 7. de verbo Dei, *Minoratur, inquit, corporaliter & contrahitur, diuinéque incircunscriptum est non coëxtensa carne eius cum incircunscripta diuinitate.* Græca sic habent. σμικρύνεται σωματικῶς, καὶ συστέλλεται, καὶ θεϊκῶς ἐστὶν ἀπερίγραπτος, οὐ συμπαρεκτεινομένης τῆς σαρκὸς αὐτοῦ τῇ ἀπε-

Humanitatem Christi non esse vbique sed vel loco definiri, vel in illis tantùm locis esse, in quibus vt simul sit, Deo collibitū est, quod posterius fit per miraculum.

ἐγχάπλῳ αὐτῇ θεότητι. Hoc Nostri quidem declarant similitudine lineæ finitæ & infinitæ, quæ etsi inseparabiliter iungerentur, nunquam tamen æqualiter paterent. Idem verò Græci ostendunt ex ellychnio & flāma, Nysseno in catechetico maiore capite 9. humanam Christi naturam & diuinam cum his conferente, vt quemadmodum materia quam circunfundit ignis in lucerna, id est, ellychnium, ita coniuncta est cum flamma, vt in eo tamen flamma non includatur, sed latius se effundat, sic diuinitas carni adunetur, vt tamē carnem non exporrigat in immensum, neque ponat extra quātitatis terminatæ limites. Et certè si vtriusque par esset amplitudo frustra Eustachius Episcopus Antiochenus oratione in illud prouerbiorū, Dominus creauit me principium viarum suarum, scripsisset id, quod aduersum Eutychianos cōmemorat Theodoritus Cyrensis lib. 3. Polymorphi, οὐκ εἴσω τῶν σωματικῶν ὄγκων ἡ ἀνωτάτω σοφία καθειργμένη περιέχεται, καθάπερ αἱ τῶν ὑγρῶν καὶ ξηρῶν ὕλαι, τῶν ἀγγείων εἴσω κατακλείονται, περιέχονται δὲ μᾶλλον ἢ περιέχουσι τὰς θήκας. ἀλλὰ θεία τις οὖσα καὶ ἀνέκφραστος δύναμις τά τ' ἐνδοτάτω καὶ ἐξωτάτω τοῦ νεὼ περιλαμβάνουσα κραταιοῖ. καὶ τοῦ τ' ἐπέκεινα διήκουσα πάντας ὁμοῦ τοὺς ὄγκους κρατεῖ περιέχουσα. Nō intra corporatas moles suprema sapientia conclusa continetur, quemadmodum materiæ humidorum & siccorum intra vasa concluduntur, continentur autem potius, quàm continent thecas. Sed diuina & ineffabilis potestas quæ sunt intra & extra templum suum comprehendens corroborat, indéque in illa peruadens omnes simul moles continens firmat.

similitudines hoc mysterium declarantes.

Prou. 8.

Ex Latinis autem Augustinus ad Dardanum epist. 57. vbi duas explicat quæstiones: vnam quomodo Deus dicatur esse alicubi & nō esse, alteram, quo mo-

do Christus non sit vbique, & rursus sit vbique, in
» *medio totius epistolæ, secundum, inquit, carnis formã*
» *non est putandus vbique diffusus.* Cauẽdum est enim,
» *ne ita diuinitatem astruamus, hominis vt veritatem*
» *corporis destruamus.* Non est autẽm consequens, *vt*
» *quod in* Deo *est, ita sit vbique vt* Deus. Nam *in* Deo
» *sumus, & tamen vbique non sumus.* Et *sub finem epi-*
stolæ dum in epilogũ contrahit totã disputationẽ. Chri
» *stũ autẽ vbiq; totũ præsentẽ esse ne dubites, tanq̃* Deũ
» *& in loco aliquo cæli propter verũ corporis modum.*

Vigilius Episcopus *&* Martyr *lib.* 4. *contra* Euty-
» *chem*, Si Verbi *& carnis vna est natura, quo modo*
» *cùm verbum vbique sit, non vbique inueniatur & ca-*
» *ro?* Nanque *quando in terra fuit, non erat vtique in*
» *cælo, & nunc quia in cælo est, non est vtique in terra,*
» *& in tantum non est, vt secundum ipsam,* Christum
» *spectemus venturum de cælo, quem secundum verbũ*
» *nobiscum credimus esse in terra.* Igitur *secundum vos,*
» *aut verbum cum carne sua loco continetur, aut caro*
» *cum verbo vbique est, quando vna natura contrariũ*
» *quid & diuersum non recipit in seipsa.* Diuersum *au-*
» *tem est & longe dißimile circunscribi loco & vbique*
» *esse.* Et *quia* Verbum *vbique est, caro autem eius vbi-*
» *que non est, apparet vnum eundémque* Christum *v-*
» *triusque esse naturæ, & esse quidem vbique secun-*
» *dum naturam diuinitatis suæ, & loco contineri secun-*
» *dum naturam humanitatis suæ.* Et *paulò post.* Igitur
» *vnus* Dei Filius, *idémque hominis factus* Filius *cir-*
» *cunscribitur loco per naturam carnis suæ & loco non*
» *capitur per naturam diuinitatis suæ, &c.* Hæc *est fi-*
» *des & confeßio* Catholica, *quam* Apostoli *tradide-*
» *runt, martyres roborauerunt, & fideles nunc vsque*

custodiunt, &c. Fulgentius Episcopus ad Trasimundum regem lib. 2. Qui vt localem ostendere humanitatem suam dixit Apostolis suis, Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum. De Lazaro quoque cùm dixisset Lazarus mortuus est, adiunxit dicens, Gaudeo propter vos vt credatis, quoniam non eram ibi. Immensitatem verò suæ diuinitatis ostendit dicens, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus. Quomodo ascendit in cælum, nisi quia localis & verus est Homo? Aut quomodo adest fidelibus, nisi quia idem immensus & verus est Deus? Hoc verò Matronis, quæ visebant monumentum Christi, angelus disertè ostendit, Iesum quæritis, surrexit, non est hîc. Quod certe de ipsius diuinitate accipi non potest, quippe quæ sit non tantùm in omnibus mundi locis & partibus, sed etiam extra mundum vniuersum. Quod sentire de humana eius substantia quid ineptius quidque magis castigandũ verberibus? Nam Christi corpus quod nunquam peruenit ad Gigantum magnitudinem, vt oculi Apostolorum viderunt, digiti contrectauerunt, reliqui sensus deprehenderunt, qui patere poßit in tãtam támque vastam & diffusam orbis amplitudinẽ?

Huc faciunt vniuersa testimonia scripturarum, quibus innotescit Christum à nobis recessisse, abiisse, profectũ esse, mundum hunc reliquisse, sublatum esse in altum, assumptum esse à nobis in ipsum cælum, inque Luc. 24.
sancta non manufacta, atque ibi consedisse ad dextram Ioan. 14.
patris, vt iam deinceps semper appareat vultui 1. Pet. 3.
Dei pro nobis. Huiusmodi enim planè ac dilucidè o- Ioan. 16.
stendunt, quod ad loci capacitatem siue amplitudinẽ Act. 1.
attinet, id inter humanam Christi naturam & diui- Eph. 4.
nam interesse, quòd hæc vbique sit, illa minimè, sed Mar. 16.

Heb.9. *vel in ipso cælo, vel & alibi, prout domino placuerit,*
Heb.8. *qui corpus suum nunc in vno cæli loco, nunc in pluri-*
Act.3. *bus, multis puta altaribus, constituit. Nam vt huma-*
Nota. *næ naturæ in omnibus locis esse repugnat, ita ab ea alienum non est per multiplicationem non quidem sui, sed locorum in pluribus locis, & quidem Dei vi atque opere, reperiri. Quemadmodum Nostri euidenter demonstrant, dum luce clarius euincunt corpus Christi reapse, verè & substantialiter inesse sacramentis Panis & vini in Eucharistiæ singulis mysteriis. Nam id etiam vmbram quandam in his rebus oculo patentibus habet, in quibus cernimus sine multiplicatione vultus per solam multiplicationem specillorum, speculum fractum toties hominis faciem repræsentare, quot eius fragmenta extiterint. Atque hæc quidem nunc aduersum Brentianos Christianæ reipub. genus perniciosissimum sufficiant. Nam hæc quoque euertunt impiam Langi cuiusdam opinionem; qua sentit,* Ioan. Langi impium dogma. *docereque conatur aduersus Fredericum Staphylum carnem domini Deum esse effectam. In quo mireris hominem studiosum antiquitatis, vt ipse quidem videri vult, sua opinione adeò fuisse cæcatum, vt non eam perspexerit sempiterna execratione conciliis œcumenicis tribus Calcedonensi, & duobus Constantinopolitanis in Eutyche & illius astipulatoribus damnatã.*

41 Inde venturus iudicare viuos & mortuos.

» *Aug. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 8, Quod autem*
» *dicimus in Symbolo, in aduẽtu domini viuos & mor-*
» *tuos iudicandos, non iustos tãtùm ac peccatores signi-*
» *ficari, sicut Diodorus putat, sed & viuos eos, qui in*
» *carne inueniendi sunt, credimus. Qui ad hoc morituri*
» *creduntur vel immutandi, sicut alij volunt, vt susci-*

tati continuò, vel reformati à mortuis iudicentur. Significat autē quæstionem, An aliqui futuri sint viui in cōsummatione sæculi, ita vt sine morte à domini iudicio intercipiantur, *habêre hîc locum, fuisseque tractatam à symbolorum enarratoribus.* Græci *affirmantē partem tutantur, & ad id duo* Pauli *loca producunt.* Vnum *ex cap. 4. primæ ad* Thessalonicenses. Hoc *enim vobis dicimus in verbo domini, quia nos qui viuimus, qui residui sumus in aduentum domini, non præueniemus eos qui dormierūt. & mox,* Mortui*, qui* Christo *sunt resurgent primi.* Deinde *nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam domino in aëra & sic semper cum domino erimus.* Alterum *ex decimo quinto capite primæ ad* Corinthios, Ecce *mysteriū vobis dico,* Omnes *quidem non dormiemus, omnes tamen immutabimur, in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba. sic enim legunt, cùm cōtrà in nostris exemplaribus habeamus,* Omnes *quidē resurgemus, sed non oēs immutabimur.* Tertium *ex* Daniële *proferre poterāt.* Et *multi (inquit) de his qui dormiunt in puluere terræ euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium.* Non *omnes dixit sed multos propter illorum prærogatiuam, qui sine mortis gustu per solum demutationem à mortalitate in immortalitatem viui in occursum* Christi *rapiētur.* Græcos *sequuntur ex* Nostris Tertull. *&* Hieronymus *ad* Marcellam. Gemimus*, inquit,* Tert. *lib. de* Resurectione *carnis, domicilium nostrum, quod de cælo, superindui cupientes, siquidem exuti non nudi inueniamur, id est, antè volumus superinduere virtutem cælestem æternitatis, quam carne exuamur.* Huius *enim gratiæ priuilegium illos manet, qui ab aduentu*

Græci putant non omnes morituros.

Dan. 12.

2. Cor. 4.

Domini deprehendentur in carne. Horum demutationem ad Corinthios reddit, dicens, omnes quidem
1.Thes.4. resurgemus, non autem omnes demutabimur: sed illi scilicet, qui inuenientur in carne. Et mortui, inquit, resurgent primi & nos immutabimur. Immutari autem est deuorari mortale à vita, nondum autem mortuum. Idem in lib. de Anima cap. de inferis. Augustinus & Latini ferè omnes contrariam opinionem defendunt
Heb.10. seseque his & similibus locis muniunt, Statutũ est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium, Ps.88. quis est homo qui viuet & nõ videbit mortem, 2. Regum 14. Omnes morimur & quasi aquæ in terram dilabimur, 3. Reg. 2. Ecce ego ingredior viam vniuersæ carnis. Addunt ex Tertull. libr. de anima cap. de Menandro, Menãdrum notatum fuisse hæresi, quòd mortem ad aliquos, nempe suos, non pertinere diceret. Putant etiam absurdum alicuius conditionem ipsius Christi, qui mortẽ gustauit, statu potiorem existimare. Denique priuari aliquos beneficio resurrectionis aiunt, quòd resurrectio sit eius quod cecidit iterata surrectio, adeò vt ipsa mortem supponat, id est, separationem animæ à corpore. Hanc controuersiam sic explicat August. Omnium hominum erit resurrectio. si omnium erit, ergò omnes moriuntur, vt mors ab Adam ducta omnibus eius filiis dominetur, & maneat illud priuilegium in domino, de quo specialiter dictum est, Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Hanc rationem maxima Patrum turba tradente suscepimus. Verùm quia sunt & alij æquè Catholici & eruditi viri, qui credunt anima in corpore manente immutandos ad incorruptionem & immortalitatem, eos, qui in aduentu domini viui inueniendi sunt, & hoc ei reputari

Dam.lib. 4.cap.vlt.

August. de Ecclesiasticis dogma. lib. cap. 7.

Ps. 15.

tari pro resurrectione ex mortuis, quòd mortalitatem immutatione deponant, non morte, quolibet quis acquiescat modo non est hæreticus, nisi ex contentione fiat hæreticus. sufficit enim in Ecclesiæ *lege carnis resurrectionem credere futuram de morte.*

42 Homines omnes resurgere habent. *Impiorum enim corpora etiam ad æternitatem resurgent, vt debitas in æternum luant pœnas.* Hebræi *maiore ex parte aliter sentiunt ac putant, impiorum, nisi admodum paucorum, qui ob insignia scelera perpetuò in flãmis vltricibus flagrent, animas vnà cùm corporibus extingui citra vllam resurrectionis spem.* Id *sed perperam colligunt ex* Psal.1. *Impij non consistent in iudicio & via peccatorum peribit.* Atque *ex* Danielis *duodecimo,* Multi *in puluere terræ euigilabunt, multos dixit, inquiunt, quasi non id ad omnes nempe impios, qui æternùm pereunt, referatur.* Verum *loci huius genuinam interpretationẽ superiore articulo protulimus.* Cùm *autem asserimus resurrectionem corporum, non commouemur stultis rationibus, quas contra obiiciunt impij apud* Athenagoram Christianum *philosophum.* Nam *vt illæ euertantur, satis est dicere, quod ipse demonstrat, quicquid est de veritate humani corporis rediturũ ad suum locum.* Modo *enim quæ pertinent ad corporis perfectionem & integritatem resurgant, non laboramus quid fiat de superfluis, impuris, fluentibúsq; partibus.* Nõ *nos etiã mouet* R.ben Maimonis *opinatio, qui existimauit membra carnis nõ resurrectura, ꝙ nullũ in altero sæculo habere poßint vsum; adeò vt putet solas animas æternitatis fore participes.* Nam *huic satis factum est à* Tertulliano, *dum* Marcioni *sic disputanti,* Cum *nullus membro-*

R. Dauid Kimhi in primum & 104. Psal. R. Abrahã & R. Saadias in 12. Dan.

Athenag. lib. de Resurrectiõe. R. Isaac in 2. Leuit.

» *rum vsus illic futurus sit, quorsum erit corporis resur-*
» *rectio. Quò enim spelunca hæc oris, & dentium statio,*
» *& gulæ lapsus & compitum stomachi &c. respõdet,*
» *licet officiis liberentur, sed iudiciis retinentur, vt quis-*
» *que referat per corpus prout gessit.* Cætera *per te le-*

Auerrois Arabs in primum de ortu Arist.

Materia radicalis.

gere possis pagina eiusdem 87. & 88. Porrò *non solùm idem homo redit ad nunerum, quòd eadem numero anima redeat, vt Platonicis & Auerroi videtur, apud quos animus intelligens est ipse homo, corpus verò instrumentum, sed & quoniam materia vera ac propria, quam contrahimus à generationis principiis Dei omnipotentia conseruatur. Sic enim vbi tandem in resurrectione ab animo resumpta fuerit, idem numero indiuiduum renascetur, quippe cùm ad eandem radicalem & originariam materiam informandam forma, id est, anima eadem accedat.*

43 Reddituri sunt de factis propriis rationem. *Anima enim, quæ peccauerit ipsa morietur, & qui iustus est vita viuet.* Ezech. 18. *Quæ seminauerit homo, hæc & metet* Gal. 2. *ad Colos. 3. Quodcunque facitis ex animo operamini, sicut domino non hominibus placentes, scientes quòd à domino accipietis retributionem (quæ vox extat* Psalm. 118. & Heb. 11) *hæreditatis. Reddet vnicuique prout gessit siue bonũ siue malum.* 2. Cor. 5. *Reddet vnicuique secundum opera sua,* Rom. 2. *Opera enim illorum sequuntur illos,* Apoc. 3. & 20. *Tibi domine misericordia, quia tu reddes vnicuique secundum opus suum* Ps. 61. *vbi particula* Secundum *non refertur ad quantitatẽ, sed ad qualitatem, nã maior erit remuneratio quã opus,* Ro. 8. & 2. Co. 4. *id quod in præsenti est momentaneum, &c. sed qualitas erit eadem, bonum enim bono*

retribuet & malum malo. Ad id communiendum *proferri possent innumerabiles aliæ scripturæ, valdè vt mirũ sit contra tam expressum* Dei Verbum, *contra tam aperta* Scripturarum *testimonia nostræ tempestatis sectarios contendere bona opera nullum tenere locum efficiẽtiæ, nullum gradum causæ, ne quidem sine qua non, respectu vitæ æternæ.* Si *vrges, quàm verum igitur sit* vnicuique reddendum secundum opera sua, *ridiculè respondent huiusmodi fidei* Articulũ *impios tantùm inuoluere, quibus* Deus *iuxta ipsorum improbitatem æternos inferat cruciatus, nec verò dici de* Piis, *vt pote qui nullum fructum ex suis fidei operibus percipiant.* Nam *etsi hîc sudent seque serpentium more in multas ambages sinuent, ne tam ludicram interpretationem videantur* Articulo *affingere, huc tamen delabuntur.* Audi Cythreum, *qui candidè & sine tergiuersatione suæ* Ecclesiæ *sensum patefacere ausus est.* Is *in 20. cap.* Apocalypsis *pag. 377. vbi docuisset nos gratia saluari.* Cum hisce, *inquit*, principiis fidei non pugnat quod hoc loco, & Ro. 2. dicitur Deum in iudicio redditurum secundum opera sua. Nam impios & damnandos manifestum est suis operibus & factis pœnas æternas commeruisse & referre. De piis verò & iustis ex Euangelio discimus, eos gratuita Dei Misericordia propter solum Christum salutem consequi. A*tqui* P*aulum de solis impiis non pronunciasse*, Reddet vnicuique secundum opera sua, *testatur locus* 2. Cor. 5. Reddet *vnicuiq; prout gessit siue* bonum *siue* malum. *Nec secum intereà pugnat, cùm aliis in locis vitam æternam soli gratiæ tribuit.* Ad Romanos, *Gratia vita æterna.* Et *reliquiæ*

per electionem gratiæ, id est, gratuitam salua factæ sunt. Ad Ephesios, *Gratia salui facti sumus per fidem idque non ex nobis,* Et, *non ex operibus, ne forte quis glorietur.* Nam *bona opera, quæ merita prisco* Ecclesiæ *vocabulo nominamus, non opponimus gratiæ* Dei, *sed ei tanquam effectum causæ, consequens antecedēti, fructum arbori subiicimus,* Apostolum *secuti, qui tradit* fructus Spiritus *esse charitatem, gaudiū, pacem, patientiam, longanimitatem, bonitatem, mansuetudinem, fidem, continentiam, castitatem, quòd ea in nobis* spiritus *sanctus gratia, beneuolentia, fauore creet atque efficiat.* Cur *igitur hæc,* Gratia vita æterna, *&* reddet piis iuxta ipsorum opera, *tanquam inter se pugnantia committunt?* Quantò *rectius* Esaias, *cap.* 26. Domine dabis pacem nobis, Omnia enim opera nostra operatus est in nobis. Et *certe* August. *in libro de gratia & libero* Arbitrio *cap.* 8. *hunc nodum sic diluit, aitque vitam æternam ita reddi operibus bonis, vt tamen ex mera* Dei *gratia seruemur, quòd sancta vita sit gratia, ac à* Deo *gratis nobis cōcedatur.* Ita *enim vtrunque, locū habere posse.* Et *cap.* 9, *in* Euāgelio, *inquit,* Ioannis *scriptum est nos omnes de plenitudine eius accepisse, gratiā pro gratia.* Vnde *cùm redditur vita æterna, redditur gratia pro gratia.* Quoniā *is est, qui operatur in nobis velle & perficere.* Et *in* Epistola *ad sixtum presbyterum* 105. Cùm *coronat merita nostra, nihil aliud coronat quā munera sua.* Vnde *vita æterna, quæ meritis redditur, gratia vocatur, quia gratis datur, nec ideo gratis, quia meritis nō datur, sed quia per gratiam dātur & ipsa merita, quibus dātur.* Hāc *sententiā expreßit* Nicolaus Lyranus *scripturarum interpres candidißimus*

Galat. 5.

Psal. 50.

Dū saluamur ex operibus saluamur gratis, quia Christiana *opera sunt gratiæ fructus, neque ei opponūtur*

in superiorem Esaiæ locum, Opera nostra, ait, non sunt meritoria nisi ex acceptione diuina & quia gratia, per quam sunt acceptabilia, à solo Deo in nobis efficitur. Propterea opera illa nostra etiamsi per gratiam Dei perpetrata sint, nedum quidem ad perpetuam salutem sufficiunt, quoniam aliquid vitiositatis adiunctũ semper habent, ac rarò fit, quin in ipsis aliqua recti, perfectíve circunstãtia desideretur. Quidni tamen ad eam pertineãt, cùm ipsis nunquam desit Dei fauor & gratia, quæ absentes circunstantias, quòd veniales & ex insita naturæ infirmitate atque corruptela profectæ sint, non modò non imputet, sed & reuera remittat? Hæc enim est altera ratio, cur Scriptura soli gratiæ salutis causam interdum ascribat, vt D. Thomas annotat in hæc B. Petri verba, Sperate in eam quæ offertur vobis gratiam. Gratiam, inquit, vocat gloriam ex misericordia dandam. Rom. 6. Gratia Dei vita æterna. Offertur autem gratis quia propria merita non sufficiunt. Hæc ille, cui vt consentiant scholastici reliqui axiomate iactant nos non expectare vitam æternam ex meritis tantùm. i. operibus ex gratia & voluntate factis, sed etiam ex gratia. Spem enim definiunt certa expectatione futuræ beatitudinis ex gratia & meritis. Quod certè non facerent, nisi cum operibus sanctis & bonis præter gratiam siue operantem, siue cooperantem, qui habitus sunt infusi, peculiarem aliquam gratiam, cui fauoris & Dei erga nos beneuolentiæ nomen des licet, concurrere intelligerent. Nam gratia vna est qualitas, per quam reipsa, & verè iusti sumus iustéque operamur, vt quæ in animis nostris accidentum more inhærescat, eósque tales denominet. Altera, quæ Dei est erga nos beneuolentia supe-

Gratia multis modis accipitur.

rioris velut efficiens, vt tertiam speciem omittā, quæ Christi meritum significatur. Porrò hîc remouendus scrupus ex eorū animis, qui nomen Meriti paulò durius existimant. Cùm Deus sua dona in nobis propriè coronet, ac nostra bona opera ex sua liberalitate atq; ex pacto, quod nobiscum iniit, remuneret, cur Meriti nomen hîc vsurpamus & non potius gratiæ solius meminimus? Respondeo & facile, meriti vocem, vsurpari ad distinguendum inter Christianorum & incredulorum opera. Istorum actiones vtut virtutes sint, Deo tamen gratæ & acceptæ non sunt ad vitam æternam consequendam, quæ non datur bonis operibus, nisi vti dixi, quatenus illorum Deus effector, causa, acceptatórque est. Nostræ autem, Deo quia ipsō non dico comite sed duce fiunt, gratæ sunt & placent, dicente Apostolo, Beneficētiæ & communicationis nolite obliuisci, quia talibus hostiis εὐαρεστεῖται ὁ θεός, sibi placet Deus. Huius differentiæ rationem merendi vocabulum & eleganter & dilucidè explicat complectitúrque. Nam quid est aliud mereri nisi ad gratiam Dei aliquid agere? Quid Latinè, demereri aliquem, mereri alicuius gratiam, nisi eius fauorem re aliqua gerenda consequi? Id quia increduli non possunt, demereri Deum Latinè dici nequeunt, è contrario pij, quia hoc quod agant, ipsis fauorem Dei conciliat quidni dicantur promereri Deum, mereri Dei gratiam, eius fauorem demereri? Ob eam enim causam mihi non videntur omnino aliene sentire qui notant vitam æternam mereri apud vetustos Theologos, esse vitam æternam consequi, maximè si addāt id bonorum & Christianorum operum interuentu existere. Nam hanc vocem nihil duri alere præter superiorem Latini sermo-

Altera causa cur gratiæ tribuēda nostra salus, dei fauor meritorum vitiositates obliterans.

Meriti nomen separat opera Christianorum ab infidelium.

Amb. lib. 1. de vocat. gentium cap. 1.

Heb. 13.

nis elegantiam, testantur quoque scholasticorum expositiones. Holcotium *&* Gulielmum OKKam *qui tibi nūc sint instar omnium, citabo.* Hic *quæstione prima in quartum sententiarum, quærens qui sacramenta sint causa gratiæ, causam, inquit, esse illud, ad cuius esse sequitur aliud dupliciter potest accipi.* Vno *modo, quando ex natura rei ad præsentiam & esse vnius, sequitur naturaliter esse alterius.* Quo *modo dico sacramenta non esse causam gratiæ.* Alio *modò, quādo ad esse & præsentiam vnius, non ex natura rei sequitur aliud, sed ex sola voluntate diuina aliquid instituentis & isto modo dicimus, quòd actus meritorius dicitur causa præmij ex sola diuina voluntate & causa sine qua non dicitur isto secundo modo causa.* Ille *verò sub finem quæstionis primæ in quartum sententiarum,* Causa, *ait, effectiua dicitur dupliciter, propriè & metaphoricè.* Sacramenta *enim non sunt causæ efficientes gratiæ sed solus* Deus. Metaphoricè *autem dicuntur merita nostra causa tam gratiæ, quàm augmēti gratiæ, & similiter sacramenta, quia ad susceptionem sacramētorum* Deus *confert & causat gratiam.* Mihi *etiam non displicet, quod* Hebræi *scribunt beneficia* Dei, *antequam nobiscum paciscatur, esse miserationes siue* חסדים, *postquam verò fœdus nobiscum iniit esse* זכיות *merita, vt pote quia se suis pollicitationibus veluti obligauit.* Audi R. Ioseph Albonem *sub extremum cap.15 lib.2.*HiKKarim, *exponentem illud* Psalmi, Trahe *misericordiam tuam scientibus te, & iustitiam tuam rectis corde.* Prius, *ait, vt declaret par esse, vt misericordia adeptionum illarum trahatur potius ad scientes dominum, quàm ad alios.* Posterius *verò, quia par est, vt rectis corde, id est, credentibus*

Opinio Hebr. de meritis.

Psalm.36.

tribuatur merces constituta à lege, per modum iustitiæ. Id *nimirum est,* Et iustitiam tuam rectis corde. *Iustitia enim diuina decernit, vt credentes consequantur gradum vitæ æternæ constitutæ ex parte legis, quòd fuerint sperantes in domino, & credentes legi eius, quamuis non satis fuerit comprehendendo intelligentia ratiocinans, iuxta verba prophetæ,* Et iustus fide sua viuet. N*empe quia pacta adoptionis vitæ æternæ sunt ex parte fidei.* Non *enim designat vitam corpoream, qua non fruuntur abundantius iusti credentes, quàm impij increduli.* Hactenus, *vt potuimus,* Latinè *expressimus* Albonis Hebraica. R. *verò* Leui ben Gersom *huic astipulantem audi in illud* Genesis 24. Benedictus *Deus* Abrahæ, *qui non deseruit gratiam & veritatem cum domino meo,* Gratia, *inquit,* חסד, *siue misericordia est cùm homini bene fit gratuitò.* Veritas *autem,* אמת, *cùm homini tribuitur ius, quod in illam rem habet.* Propterea *autem, vocatur exhibitio gratiæ, quam pactus est alicui dominus,* Veritas, *quia post promissionem debet illam dominus præstare.* Vnde *scribitur,* Dabis *veritatem* Iacobo, *misericordiam seu gratiam* Abrahamo. Id *enim quod erat gratia* Abrahamo, *factum est veritas siue fides,* אמת, *Iacobo.* Proferrem *cõmentaria* R. Dauid Kimhi *in* Psalmum 108, *ni hæc sufficerent.* Conuenire *autem* Nostrorum *scitis apparet ex his* Bandini *primo sententiarum dist.* 43. *verbulis.* Debet, *inciuiliter de* Deo *dicitur, quia nihil omnino nobis debet, nisi ex promisso.* Quod *autem promisit, omnino non fuit necessitatis, sed gratiæ.* Assentitur *Durandus inter* Scholasticos *nominatissimus dist.* 35. *lib.* 3. *sent. q.* 3. Meritum, *inquit, propriè dictum non est inter hominem & Deum, sicut*

An Deus debeat aliquid.

nec iustũ propriè acceptum. Deus *tamẽ ex liberalitate sua remunerat nostra bona opera tã interiora, q̃ exteriora.* Quod *repetit lib. eodem 3. dist. 20. q. 2. & lib. 2. dist. 27. q. 1. & 2. & dist. 42. q. 2.* Et *reuera* Dei *iustitiã respicere promissiones, liquet ex his scripturæ locis,* Impleuisti *verba tua, quoniam iustus es.* Miserere *mei, vt iustificeris in sermonibus tuis,* Non *enim iniustus est* Deus, *vt obliuiscatur operis vestri boni.* Excitaui *eum in iustitia, id est,* Cyrum, *vel potius* Christum *iustè suscitaui ad implendas meas promissiones.* Exiuit *de ore meo iustitiæ verbum, & non reuocabitur.* Quo *loco* Esaias *loquitur de promissionibus* Christi *implendis, quasi* Verbum *iustitiæ sit verbum, quod iustum est, vt impleatur atque perficiatur ob factas pollicitationes.* Alioqui *latũ discrimen inter merita erga* Deum *& erga homines.* De *hominibus benè meremur, quia nostra actione afficimus illos aliquo commodo, nihil autem tale* Deo *præstamus.* Merito *nostro propriè homines nobis obstringimus, propriéque reddimus debitores.* Deus *autem à nobis debitor propriè nequit constitui, sed à se solùm, vel quia sponte, cùm nihil nobis deberet, sese obligauit daturum vitam, &c. vel quia suppeditat nobis auxilium quod est necessarium, vt quod iubet, perficiamus.* In *his nihil esse duri, qui sunt animo perturbationibus vacuo, intelligunt.* Neh. 9. Ps. 51. Heb. 6. Es. 44. Es. 45.

44 In vitam æternam. Vita *æterna hominis post mortem posita est in* Dei *splendido claróque conspectu, deinde voluptate inexplebili, quam de eo percipiemus, quámque fruitionem appellamus.* His *accedet tentio perpetuáque de ea retinenda securitas.* Ad *extremum gloria huiuscemodi redundabit in corpus, vt non tantùm beemur animo, sed & corpore.* Decipi-

tur enim Auincenna Arabs in libro de Almaad.i.loco animæ post mortem, cùm fingit Christianos felicitatem hominis in alia vita tantùm Spiritualem ponere, quæ videlicet consistat in Dei perspicua contemplatione, eiúsque fruitione: adeò vt nihil inde in corpus manet. Præterea enim docemus, vt constat ex omnibus Scholasticis, qui scripserunt in quartum sententiarum, corpus ipsum, quod constat elementorum mixtione, ac informatur animo intelligēte, quatuor dotibus beandum esse post resurrectionem. Impatibilitate quidem, quòd corpus beati nulla neque alteratione neque partium distractione affici poterit. Claritate, quia tanta fulgebit luce, vt vel superaturum sit splendorem solis, vel certè æquaturum. subtilitate, id est, penetrandi facultate, quoniam facile permeare valebit in quodcunque aliud corpus. Agilitate autem, dum pro libito breuissimo tempore, id est, vel momento, vel, vt Scoto placet successione non percepta de loco in locum demigrabit. Itaque potius Maometanus iste carpendus à nobis fuerit, qui voluptatem spiritualem, præter corpoream, quam solam certè in suis libris impius Maometes pollicetur, suus ausus est promittere. Nam si quis attendat ad doctrinam Alcoranicam, perspicuè intelliget Maometem suam felicitatem conflasse ex fabulis Iudæorum de paradiso voluptatis siue horto Eden, ac tantùm hoc interesse inter ipsorum Rabbinos & Maometanos, quòd illi in aduentu sui Messiæ sibi promittant temporariam & carneam felicitatem per mille & amplius annos, vt imperium, vt diuitias, vt rerum omnium affluentiam, omnis generis siue venerea siue voluptaria, quousque Deus progrediatur ad iudicium viuorum & mortuorum atque Iudæos excitet, vt iam

Discrimen Iudæorum & Maometanorum in felicitate cōstituēda.

fruantur solida & verè spirituali beatitudine, quemadmodum apertè tradit Abben Ezra in 12. Danielis. Maometani autem vt omnium mortalium sunt brutissimi, ita nihil aliud sperant, quàm perpetuitatem venereorum, esculentorum, poculentorum, somniãt hortum elegantissimũ, in quo riui sint lactei, fructus suauissimi, mella roscida, mulieres pulcherrimæ, omnisque generis voluptates, quas solæ animantes brutæ sibi expetere queant. Atqui miseri effectum consequentis articuli haud dubiè nanciscentur. Certum enim est incredulos, etiam si ciuilibus virtutibus eminerent, inter eos comprehendi, quibus ira Dei in perpetuum denunciata est, dicente domino, quem Pater iudicem vniuersorum constituit, Qui non crediderit, iam iudicatus est. Et Baptista prædicante, Qui incredulus est Filio non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

45 In ignem æternum. *Sic ignis gehennæ appellatur à domino, quòd in perpetuum in impios exarsurus sit.* Mat. 25. *Nempe is est, quem eius* Baptista *& præcursor inextinguibilem dixerat, & de quo* Esaias 30. *Instructa est ab hesterno* Tophet, *& cap. 66. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt vsque ad satietatem visionis omni carni.* Et Daniel 12. *Alij euigilabũt in vitam æternam, alij vt opprobrium videant semper.* Et Iob 20. *Deuorabit eum ignis qui non succenditur.* Origenes *tamen inani quadam misericordiæ domini præsumptione, etiam dæmones, nedum reprobos homines, delirabat, inquit* August. de Eccl. dog. cap. 9. *post tormenta expurgatos restitutum iri.* Eo quòd hæc diuinæ conueniant pietati, ne quid ex rationalibus pereat creaturis. Sed nos credamus iudici omnium & iusto retributori,

Matt. vlt.
Ioan. 3.

qui dixit, Ite in ignem æternum, & ibunt hi in supplicium æternum quod paratum est diabolo. Nec verò *quicquam faciamus eos, qui* Gregorij *magni tempore, vt liquet è lib.4.dialog.cap.44.asserebant,* Deum *idcirco peccatibus æternam vitam esse minatum, vt eos à peccando deterreret.*Nam *illa est vetus satanæ cantilena, qui per* Euripidem *& similes* Atheos *supremi* Numinis *& pœnarum à supremo* Numine, *imò verò conscientia dictatarum metum ex animis pridem voluit abstergere, quo & peccatum securè regnaret, & virtus pedibus calcaretur.* Quanto *tolerabiliores existimas* Rabbinos Hebræorum, *qui ne discedant ab oraculis diuinis planè denuntiantibus æternam miseriam his, qui impiè vixerint, & vt intereà suæ cogitationi indulgeāt, quæ sibi non facile persuadet* Deum *tanta esse austeritate, vt res à se procreatas cruciet in perpetuum, ita apud* R. David Kimhi *in primum* Psal. *distingunt, vt dominus* Deus *facinorosos quidem insignes pœnis æternis reseruet, cæterorum verò, quorum improbitas aliquantò fuerit moderatior, animas sempiterna obliuione deleat, neque eas ad vitam & sensum, qui perpetuis miseriis obnoxius sit, superesse faciat.* sic *enim in aliquibus, vt in* Herode, *vt in* Antiocho, *vt in* Nerone *& similibus humani generis monstris veritatem verbi* Dei *saltem apparere.* Nunc *verò istos, cùm omnes improbos eodem loco habeant, cùm non distinguāt inter scelerum gradus, quàm putas rectè sentire de* Dei *iustitia, de* Dei *prouidentia, de* Dei *erga suos, quos improbi opprimunt, beneuolentia.* Videant, Videant, *ne de iis sint, quibus sequens coronis perditionem sempiternam denuntiat.*

Opinio Hebræor. de futuro impiorum statu.

46 Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque

firmiter crediderit saluus esse non poterit. *Conclusio est vniuersi Symboli per Epiphonema. Sumpta autem est à B. Ignatio, qui in Epistola ad Philippenses,* Pag. 48.
vbi quæ pertinebant ad fidem S. Trinitatis & incarnationis articulatè exposuisset, subiicit, ὁ ταῦτα πιστεύσας, ὡς ἔχει, ὡς γεγένηται, μακάριος. ὁ ταῦτα μὴ πιστεύων ἐναγής, οὐχ ἧττον τῶν τὸν κύριον σταυρωσάντων. *Qui crediderit, vti sese habent, vtque facta sunt, felix est. Qui hæc non credit, execratus est, non minus certè, quàm qui dominum cruci affixerunt. Quamobrem, lector Christiane, cùm cernas quæ impiis hominibus immineant, quanta piis viris promittantur, quãta reddantur, cùm intelligas quàm magni sint fructus fidei, quàm copiosa sit messis eorum, quæ per pietatem seminantur, stultas & expertes disciplinæ quæstiones, quibus satanas in nostro orbe vniuersa miscere vult,* 2. Tim. 2.
sciens, quia generant lites, & conscientias turbant, deuita, fuge, transgredere. Sectare verò iustitiam, fidem, spem & charitatem ac pacem cum iis, qui dominum corde puro inuocant, suppléxque Deum obsecra, vt conterat sub pedibus nostris Draconem, qui cauda sua de cœlo detrahere stellas etiam nunc nititur, ne magno Apoc. 12.
animarum nostrarum incommodo gloria ipsius, qui est Pater & Filius & Spiritus S. ternus scilicet personis, vnus autem essentia, tenebris nunquam fortasse à domino gloriæ discutiendis, apud nos obruatur. Quod procul auertat benedictionis omnis fons atq; largitor spiritus sanctus, vt ipse cum Patre & Filio nostris in sedibus in perpetua regnet sæcula. Amen.

Finis trium librorum de S. Trinitate,
Deo honor & gloria.

RERVM PRAECIPVARVM INDEX.

A

L

M

N

O

P

FINIS.